


Es dla Lib.ª dlos Cleg.s Men.s dla Ciudad de Sevilla

# LIBER GENERATIONIS ET REGENERATIONIS ADAM,

SIVE

## De historia Generis humani.

OPERIS MAGNI PARS PRIMA, *ID EST, ANIMA.*

BENED. ARIA MONTANO HISPALEN. DESCRIPTORE.




esta corregido conforme el expurgatorio del año de 1632 por mandado de los señores inquisidores.

esta corregido y expurgado conforme del expurg.º de el año de 1640 —

Doctor Cuenca
calificador

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam, & Ioannem Moretum.
M. D. XCIII.

# BENED. ARIÆ MONTANI PRÆFATIO IN HVMANI GENERIS HISTORIAM.



SINGVLIS quæ in terra degunt, quæque in 1
aëre vagantur animantium generibus, suum
proprium ac præcipuum ad exercendum
opus à natura propositum datúmque esse,
præterquam quòd omnes qui de mundo, 2
deq; partibus mundi sapienter disputauere,
sentiunt, ipsa quoque perpetuò obseruata,
atque minoris etiam ingenij hominibus spe- 3
ctata experimenta docent. Namque aues ad 4
volatum, ad cursum equos, feras ad sæuitiam gigni ex immutabili
atq; assiduo vsu cognouimus. Atque vnamquamque ex his formam, 5
ad id quod efficere posse intelligimus, aptis & commodis partibus ac
membris constare conspicimus. Quamobrem hominem animan- 6
tium omnium vel ex earũdem metu, pauore, & obsequio principem
agnitum, non otiosum in vita esse posse, sed proprio ac cognato, opti- 7
moque præ cæteris munere officioq; fungi oportere, nemo, qui hu-
mani sensus fuerit compos, non fatetur. quando non animalia tan- 8
tùm, sed quidquid cuiuscunque vitæ particeps est, hanc totius orbis
nusquam segnem, nusquam inutilem fabricationem aliquo sui vsu 9
fructuque decorat, vt arbores plantæq; omnes, & si quid proximè in
hanc rerum sortem concedit. Nullum verò vel hominis naturæ ma- 10
gis propriũ, vel eiusdem precipuis partibus magis congener aptumq;
munus esse declaratum est, quam mentis agitationem quãdam, per-
petuamque solertiam, vel omnium, si concedatur, vel quamplurima-
rum studium rerum. Quam quidem ad rem animali huic si non 11
prorsus, at maxima ex parte diuinæ ac cælestis originis prærogatiua,
publico non sibi blandientium, sed verum indagantium hominum
iudicio data fuit: cui non solùm animus, hoc est, interior pars excel-
lentissimis, præter alia, dotibus prædita, sed exterior quoque, hoc est,
corpus ipsum, quamquã (vt prima sui cõtẽplatione videtur) ex eadẽ
materia cõstet, tamẽ situ, membris, habituq; præstantibus cõtigerit. 12

*Pronaq; cùm spectent animalia cætera terram,*
*Os homini sublime dedit, cælumq; videre*
*Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

Ouid. Metamorph.

† 2 Sepa-

*——Separat hæc nos*
*A grege mutorum, atque ideo venerabile ſoli*
*Sortiti ingenium, diuinorumq́ capaces,*
*Atque exercendis capiendisq́ artibus apti,*
*Senſum à cæleſti demiſſum traximus arce,*
13 *Cuius egent prona & terram ſpectantia: mundi*
*Principio indulſit communis conditor illis*
*Tantùm animas, nobis animos quoque.*

14 Atque ex hoc illud efficitur, vt non maturos tantùm, ætateq́; iam valentes homines, verùm iuniores, verùm adoleſcentes, & pueros, ac propè dixerim infantes ipſos, tantùm non obrepentes cognoſcendi cupiditate captos rapi, ac propè trahi videamus, & ad omnem vel noui, vel miri, vel peregrini, vel etiam vicini & aſſidui exempli ſpectandi occaſionem ſiue opportunitatem magno concurſu aduolare, in co-
15 ronasque quàm proximè cogi quotidie deprehendamus. Verùm enimuero cùm varia omnino ac multiplex cognoſcendorum non ſolùm farrago & materia, ſed forma, ratio, ac modus ex ipſa rerũ omniũ copia ac infinita propè multitudine obiiciatur, quídnã primùm, potiſſimumq́. optari, qua via iniri, quibus auxiliis, quibus partibus, quibus artibus ac ducibus vti expediat, prænoſcere ac deligere, per-
16 magni referre, periculo iam ſæpius facto conſtitit. Accidere enim poteſt (quod iam maximo noſtri generis detrimento accidit) vt, dum quis aliena ac peregrina curioſè diſcenda & cognoſcenda ſectatur, quàm maximè dimoueatur, & quàm longiſſimè diſcedat ab iis quæ maximè cognita explorataque habere debuit: & cæleſtia quæ procul
17 diſtant, conſtanti immotoque vultu conſpiciendi auidus, ea, quę ante pedes iacent, minimè videns, in foueam puteúmve ſeſe dedat præcipitem. Itaque exſpectatæ ac nimio ſtudio conquiſitæ ſcientiæ ſpe deceptus, & fructu abdicatus, præter curæ, laboris, ac temporis cum primis iacturam æternum ſibi ipſi molitus exitium, inſanire potiùs quàm ſapere, paraſſe cenſeatur. Quamobrem homini qui ſeſe proprio muneri atque operi, hoc eſt, diſcendi ac ſciendi labori addixerit, quid primùm potiſſimùm ad cognoſcendum ſibi propoſitum fuerit, diſpicere ac deligere, primam curam eſſe oportere, ipſa rerum ratio
18 naturaq́; indicat: nam ſcientiarũ omniũ fontes & capita petentiũ felix cõditio fuerit, cõtrà verò riuulos conſectantiũ laborioſa & infelix.

19 Nullum verò vel melius, vel commodius, vel facilius, vel etiam hominis ingenio atque animo ſciendi cupido dignius diſciplinæ ac ſcientiæ caput eſſe, quàm ſui ipſius cognitionem contemplationemq́;

quicun-

quicunque res bene existimauere, momentisque ponderauere suis,
tandem censuerunt: cùm importunum ineptumque prorsus iudi-
carent, aliena à sese remota, ac fortassis humanæ mentis viribus &
ingenio negata, summa persequi contentione, sese verò ipsum igno-
tum relinquere, ac prorsus negligere: atque ita quæ non sibi regenda
gubernandaque data essent, velle cognoscere tamen, (quæ tametsi 20
maximè cognoscerentur, non ideo vel mutari, vel corrigi, vel in-
uerti cognoscentis ingenio, & authoritate ac voluntate possent)
quod verò arbitrio proprio tractandum, moderandum, & guber-
nandum committeretur, quónam pacto id agi posset, necessariò ne-
scire; cùm ne id quidem quídnam, qualeque esset, cognosceretur.
Cuiusmodi peruersam ac præposteram sapientiam, furorem haud
dubium manifestamque phrenesin cordatissimi ex hominibus esse
credidere: illudque alterum consilium non humanum tantùm, sed 21
planè diuinum è cæloq; demissum affirmarunt.

*E cælo descendit γνῶθι σεαυτὸν* — Iuuenalis Sat. 11.
*Figendum & memori, tractandum pectore, quidquid*
*Esse velis.* Quippe ad sui ipsius cognitionem, tanquam 22
ad primum proximumque atque adeò agnoscenti insitum caput,
innatumque fontem aliarum omnium, quæ intra extraque homi-
nem sunt, rerum tractatio contemplatioque refertur. Atque vt mo- 23
tus actioque animalis omnis ab ipso sese mouente animali naturæ
impulsu incipit, ita etiam animi atque ingenij bene instituta agita-
tio exercitatioque propriæ naturæ atque virtutis notitiæ primùm ac
potissimùm adhibenda est, idque à mente est intendendum, cui re-
gnum totius animi à natura est tributum.

*Disciteq́, ô miseri, & causas cognoscite rerum:* — Pers. Sat. 3.
*Quid sumus, aut quídnam victuri gignimur, ordo*
*Quis datus, aut metæ quàm mollis flexus & vndæ,*
*Quis modus argento, quid phas optare, quid asper*
*Vtile numus habet, patriæ carisq́; propinquis*
*Quantum elargiri deceat, quem te Deus esse*
*Iussit, & humana qua parte locatus es in re.*

Et profectò Stoicus ille hominum vitæ seuerus censor, totius huma-
næ sapientiæ summam his paucis versibus explicauit, generatimque
partitus dixit ac perorauit: cuius nos artem imitati, de rebus quas tra-
ctandas suscepimus, Deo propitio, differemus. Cùm itaque nihil in — Tractandorum in hoc opere ratio & modus.
hominum actionibus cognitione prius antiquiusque esse omnis om-
nium consensus, impetus, appetitusque statuat; nihil verò cognitu,

ſcituque magis dignum, quàm ſuæ vniuſcuiuſque hominum naturę ac ſortis ratio & modus ſapientiorum authoritas probauerit & commendauerit: illud porrò quærendum ac diſpiciendum reſtat, quemadmodum diſcendi cognoſcendique cura & ratio inſtituenda ſit, cui duci, quibus authoribus permittenda, vt cum quæſtu compendioq́;
24 efficiatur id quod agimus: namque homines minimè doctos, minimè eruditos, imò infantes prorſus naſci manifeſtum eſt, eoſdemque diu in magna rerum ignoratione creſcere & adoleſcere, & niſi docto-
25 rem ac magiſtrum idoneum nactos, aut ſingulari & egregia præter cæteros naturæ ingeniiq́; vi & ſolertia auctos, aut diuino aliquo dono atque munere præuentos (quorum rariſſima ſemper fuere exempla), cæteros vel parum à belluis agendo differre, vel vulgarium opinionum nebulis ac tenebris circumfuſos in vita omni oberrare, vel ea tantùm agnoſcere quibus ex paterna diſciplina familiarique conſuetudine imbuti fuerint, aſſiduis exploratũ eſt periculis. Id quod etiam ad virtutum ac vitiorũ imitationem & ad ſenſum cognitionis & intellectionis comitẽ pertinere, Gentiũ ſapiẽtiæ profeſſores adnotarũt:

Iuuenal. Sat. 14.

*——Velocius ac citius nos*
*Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis*
*Cùm ſubeant animos authoribus, vnus & alter*
*Forſitan hæc ſpernant iuuenes, quibus arte benigna*
*Et meliore luto finxit præcordia Titan.*
*Sed reliquos fugienda patrum veſtigia ducunt,*
*Et monſtrata diu veteris trahit orbita culpæ.*

26 Vt enim agrorum nouale quamuis glebæ ſolique ingenio elegans beatumque ſit, ſi tamen ab arte, opera, culturaque deſertum fuerit, ſentes & ſpinas, atque infelicia alia arbuſtorum herbarumque genera ſua ſponte abunde procreat; ſic quicunque non rectè coluntur teneri animi, vel ſterilitate propria marcentes vileſcunt, vel in ſumma naturæ vbertate corrumpuntur luxurie.

*——Fortes creantur fortibus & bonis:*
*Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum*
*Virtus, nec imbellem feroces*
*Progenerant aquilæ columbam.*
*Doctrina ſed vim promouet inſitam,*
*Rectiq́; cultus pectora roborant,*
*Vtcumque defecere mores*
*Dedecorant bene nata culpæ.*

27 Ita adeò efficitur, vt exiguum vitæ curriculum & ſpatium quod

hominí natura circumſcripſit,niſi diſcentisſtudium&induſtriam ma-
giſtri optimi conſilium & curam habeat,longis laborioſiſq; erroribus
compleri,infelicique exitu confici neceſſe ſit. Fuerit ergo vel beatæ
ſortis, vel accuratę rationis,eum cognoſcendi & intelligendi artium-
que in vita optimatum magiſtrũ reperire, qui viam certam, nec lon-
gam tamen,ſibi optimè notam, & docendo monſtrare, & præeundo
tradere poſſit. Verùm enimuero cùm antiquis hominũ ſeculis quam- 28
plurimi exſtiterint,qui doctrinæ atq; humanitatis profeſſi ſtudium,
varias explicuerint ſcholas,ſeſeq; & intelligendi & viuédi præcepto-
res diuerſis in gymnaſiis fallaciſſimè venditauerint, euenit tandem,
vt diſcipulos profectus in diſcendo agendoque facti nunquam non
pœniteret:cùm manifeſtum ſit,iſtorum nemini, eos qui ſibi ad inſti-
tuendum traditi fuerant, eò demum,quo animus iterque dirigeba-
tur,eſſe perductos.Cum primis enim iſtorũ nullus rem ipſam ex pro- 29
priis principiis ac nominibus ſubductam exploratamque habuit: ſed
hic ex anteactis temporibus vulgarique narratione traditam occupa- 30
uit; ille verò ex propriȷ ingeniȷ intentione primùm protulit,alius au-
tem ex aliorum diſputationibus vſurpatam pro ſua propoſuit, ac ne
verborum & ordinis ac modi ſpecies furtum proderet,mutandis vo- 31
cibus, variandæque arti operam impendit, & ad fabularum vſque
ænigmata & euripos ſeſe demiſit:quorum poſteri & ab iſtorũ ratione
& exemplo degenerauerunt, & mutuis inter ſe contentionibus pu-
gnantes ita diſſenſerunt,vt proprios atq; in ſua verba iurare coactos 32
diſcipulos pro ſapientibus inſanos dimiſerint,alienos verò tanta opi-
nionum & ſententiarum diuerſitate,tam nimia diſcendi prolixitate,
tam varia & inextricabili orationis ac verborum perplexitate, vel
obſcuriſſima breuitate incertiſſimos perturbatos confuſosque reddi-
derint. Atque hæc omnia hoc loco ſuis membris exemplisque per-
ſequi, longa magis quàm benigna materia eſſet:docere verò & oſten-
dere iam noſtro æuo ſuperuacanei cẽſeretur operis, vtpote re nõ ſolũ
ad meliores iam calculos reuocata, ſed è diſcipulorũ,etiã ſuorũ, ſuſpi-
cionibus coarguta,&confeſſionibus patefacta,ex quo cenſu illa ſunt:

*Ac ne fortè roges, quo me duce, quo lare tuter:* Horat. Ep.1.
*Nullius addictus iurare in verba magiſtri,*
*Quo me cunque trahit tempeſtas, deferor hoſpes.*
*Nunc agilis fio, & verſor ciuilibus vndis,*
*Virtutis veræ cuſtos rigidusq́; ſatelles,*
*Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor,*
*Et mihi res, non me rebus ſubmittere conor.* &,

*Parcus*

*Parcus Deorum cultor & infrequens*
*Insanientis dum sapientiæ*
*Consultus erro, nunc retrorsum*
*Vela dare atque iterare cursus*
*Cogor relictos.* In huiusmodi ergo tenebrarum densitate, ventorum vehementi & contentiosa pugna, sententiarum & verborum procelloso ac perpetuo nimbo, in tam magna ac turbulenta studiorum ac partium tempestate, simplicis ac sciendi cupidi hominis cuiuspiam sanam mentem naturalium virtutum naufragium facere, & sui ipsius periculum adire consequens erat, non adiutam & ereptã ope scientissimi alicuius gubernatoris, qui in sapientiæ puppi sedens, veriq; clauum tenens, in certæ atque exploratæ cognitionis
33 tranquillũ ac tutum portũ ex alto inueheret. Talem verò ac tantum gubernatorem nisi Deum quempiã esse posse, atque hunc optari & quæri oportere, cordatissimi viri intellexerunt, & docuerunt. Ita longam, multiplicem, atque acutam de hominis natura, virtute, ac præstantia disputationẽ huiusmodi sentẽtia à Platone cõclusam legimus:

Plato in Timæo.

Τὰ μὲν οὖν περὶ τῆς ψυχῆς, ὅσον θνητὸν ἔχει καὶ ὅσον θεῖον, καὶ ὅπη καὶ μεθ' ὧν καὶ δι' ἃ χωρὶς ᾠκίσθη, τὸ μὲν ἀληθὲς (ὡς εἴρηται) Θεοῦ ξυμφήσαντος, τότε ἂν οὕτω μόνως διισχυριζοίμεθα. τό γε μὴν εἰκὸς ἡμῖν εἰρῆσθαι, καὶ νῦν, καὶ ἔτι μᾶλλον ἀνασκοποῦσι, διακινδυνευτέον φάναι, καὶ πεφάσθω.

Iam verò cùm ex huiusmodi periculis atque laboribus ea tandem mens, idq; iudicium optimis quibusque hominum constiterit, humanæ naturæ doctorem & vitæ præceptorem Deum potissimũ quocunq; pacto petendum & conciliandum esse; quemadmodũ id præ-
34 stari obtineriq; posset, dispicere & intelligere, hoc opus hic labor fuit. Siquidẽ non secus in hac parte quàm in aliis, quas iam indicauimus, aliorum hominum vel insania, vel ambitione, vel audacia, vel calli-
35 ditate ac solertia mortales decipi potuerunt, in fraudemq; impelli, si ea velut ex Dei mente & monitu profecta crederent ac reciperent, quæ per malitiam aut etiam per studium & consilium ab iis, quorum opera edebantur, conficta comparataque fuerant. Atque adeò huius-
36 modi præstigiis ab illis quę ad veri Dei cognitionem ex rerum natura clara & vera erant, totum terrarũ orbem depulsum fuisse, & illa pro Diis admisisse & coluisse, quibus nulla diuinitatis ratio aut virtus inerat, antiquorum temporũ frequentissima consuetudo, & quasi per-
37 petui mores arguerunt: dum alius leges à se conditas Diui vel Diuæ vel Nymphæ cuiuspiam authoritate laudare & tradere studet, idque demum apud suos perorat: Alius nouorũ quotidie Diuorum numina

&

& nomina reperit, imperitorum hominum credulitate abusus animos religionis imitatrice superstitione imbuit: quæ res genuit falsas de Deo opiniones, & vitæ errores turbulentos, atque demum ad impietatem vsq; induxit, cuius præcipui duces poëtę fuisse memorátur.

ἦ θαύματα πολλὰ
καί πουτι καὶ βροτῶν φρένα
ὕπερ τὸν ἀληθῆ λόγον
δεδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις
ἐξαπατῶντι μῦθοι,
χάρις δ' ἅπερ ἅπαντα τεύ-
χει τὰ μειλίχα θνατοῖς
ἐπιφέροισα τιμὰν,
καὶ ἄπιςον ἐμήσατα πιςὸν
ἔμμεναι τὸ πολλάκις
ἁμέραι δ' ἐπίλοιποι
μάρτυρες σοφώτατοι.
ἔςι δ' ἀνδρὶ φάμεν
ἐικὸς ἀμφὶ δαιμόνων καλα μείω γὰρ αἰτία.

*Miranda Vates multa ferunt, tamen* Pind. Olym. Od. 1.
*Mortalium mens credula fabulis*
*Mendaciorum flore comptis*
*Gaudet auens magis atque vero.*
*Sic blanda Vatum gratia, quæ videt*
*Mortalibus prædulcia, conficit*
*Cultuq; concinnans decoro*
*Adstruit insinuatq; fidem.*
*Quamuis & olim postera tempora*
*Verum repertum iam sapientius*
*Tradant, minor sed culpa pulchris*
*Nempe Deos memorare dictis.*

Quis verò primus hanc ignotorum Deorum turbam congregandi, atque confusionem rebus ac religionibus afferendi, author impulsorque fuerit, qua solertia & calliditate istud effecerit, in ipso, quod aggredimur, opere opportunè prodetur. Nunc enim res ipsas præfati attingimus, non rerum causas, initia, & momenta persequimur, contenti modò illud indicasse, homines in vero ac recto perquirendo & inuestigando incertis hominum sententiis & opinionibus atque anilibus Deorum superstitionibus delusos, & multis ac variis partibus pallantes à proposito aberrasse, atque se de certa, lata, ac perpetua via, hoc est, notitia Dei (quę vel naturæ consideratione & contemplatione haberi potuerat) diductos, crassis demũ tenebris circumfusos, in summa rerum & causarum ignoratione fuisse versatos; donec veri & misericordis Dei benignitas ad veritatis lucem certis admirandisque modis ac rationibus reuocauit. Namque idem ipse qui solus terrarum gentiumque omnium orbem sapientissimè tuetur & gubernat, immenso profundoq; errorum & opinionum mari periculosissimè laborantium hominũ genus miseratus, delectæ ad eam rem Israelitarum genti sese vltro sui cognoscendi doctoré, ac totius humanæ vitæ magistrum præbuit, huiusque gentis operâ cęteris nationibus & gentibus, quamuis exteris, quamuis immanibus & barbaris, veritatis consiliique sui lumen porrigi atque tendi voluit. S.S.E. Parum est, vt sis Isaie 49.
mihi seruus ad suscitandas tribus Iaacob, & feces Israel conuertẽdas.

Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum
terræ. Quo verò tanto, tam graui, tam firmo, tamq; certo argumento
effectum fuerit, vt doctrinam hanc, quam primam, præstantissimam,
ac verissimam dicimus, à Deo profectam esse, dubitare non possent
39 homines, docere nunc & confirmare operæpretium fuerit. Namque
tantam de diuis, ac diuorum, qui cælestes habebantur, cultu opinionem sapientum cum primis illorum orationibus & carminibus assertam, publicis atque priuatis religionibus receptam, ac legibus & institutis ciuilibus munitam, maiorũ authoritate, quæ sancta esse debuit, traditam; vsu & consuetudine stabilitam, more & exemplo cõfirmatam, atque vnà cum seculis inueteratam, nisi magnũ pondus ac momẽtum, nisi præstantissima aliqua compertæ veritatis vis mortalium
40 animis excutere euellereq́ue non potuit. Quippe cùm sine religione
prorsus publicas ac priuatas res stare ac durare, nationes cunctæ vel ab ipsa vtilitate conuictæ negant, religionem verò publicè consecratam pro cuiusquam vel sapientissimi arbitrio corrigi, mutari, vel in-
41 terturbari nephas habent, ac decretis edictísque vetant, atque vt ma-
ximarum turbarum causam horrent & execrantur.

Euripid. Bacchis sub Cadmi. persona.

Οὐ καταφρονῶ ̓γὼ τῶν θεῶν θνητὸς γεγώς.
Οὐδὲν σοφιζώμεθα τοῖσι δαίμοσιν.
Πατρὸς παραδοχὰς, ἅς θ᾽ ὁμήλικας χρόνῳ
Κεκτήμεθα, οὐδεὶς αὐτὰ καταβάλλει λόγος,
Οὐδ᾽ εἰ δι᾽ ἄκρων τὸ σοφὸν εὕρηται φρενῶν.

Ex quibus omnibus cùm sententiis, tum rationibus manifestum fit, acceptam à parentibus & magistris de pietate diuiníque numinis metu & cultu, atque adeò de eiusdẽ consilio & voluntate doctrinam & fidem sine maxima ac præstantissima rationis vi atque singulari, vt ita dixerim, perspicuitate, nec phas esse tentari, nec abrogari aut labefactari posse. Quamobrem nobis vt humano sensu modò agentibus ac disputantibus reposcenda ratio fuerit, qua Israelitarum populus sibi probata, illam, quam sacram sanctamq; habuit & coluit, doctri-
42 nam, initio ipso diuinã esse sine dubitatione cognouerit. Atqui gen-
tem illam non adeò facilem, non rudem, non adeò barbaram, non denique impensè credulam, sed magnis & præstantibus argumentis ad credendum indigentem fuisse, quæ de illis exstant historię omnes apertè produnt. Cum primis enim maioribus pietate ac sapientia magna præditis eandem propagatam accepimus, Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, quorũ laudes vel apud exteros etiam Scriptores celebrantur: Deinde quo tempore ad huius scholæ studium aptari & vocari

conti-

contigit, viris instructam non imperitis, nempe Aharone, & cæteris 43
qui tribuum capita & proceres habebantur. Præterea religione non 44
caruisse,(saltem quam familiaris disciplina ex progenitoribus accepta docuerat, permixtam nimirum parti eius,quæ ex Ægyptiorum consuetudine quasi contagione quadam contracta fuerat. Atque omnia hæc vel deseruisse vel mutasse,vel expurgasse & correxisse,nisi maximo atque efficacissimo impulsu,non est consentaneum existimare. Demum vulgum ipsum cum frequenti nobiliorum turba insolentiorem,superbum, ambitiosum, à contentionibus & factionibus minimè alienum,in superiores contumacem,in æquos & pares fastidiosum notare est: quem nec præceptoris grauitas,eloquentia, & probitas,nec signorum & miraculorum assidua,singularis, ac rarissima vis, nec doctrinæ ipsius æquitas & probabilitas, atque etiam suauitas vel ad fidem habendam perducerent, vel ad retinendam & conseruandam firmarent.

Cùm hæc ita habeant,antiquos illos Israelitas ex ipsorum met monumentis testes excitatos producere & rogare libet, quænam tanta vis,quæve egregia præter cæteros authoritas & dignitas ad suũ illum primum legislatorem, primumque apud eosdem diuinæ & humanæ historiæ scriptorem, vt vatem & consiliorum ac sermonum Dei interpretem recipiendum, vt vitæ præceptorem & magistrum audiendum & colendum impulerit. An ne illa ornauerint & amplificaue- 45
rint,quæ crebrò ipsis ab eodem edita prodigia, portenta, & miracula commemorantur; an verò signum aliquod homini vel à natura, vel à numine singulariter expressum, quod & gratiam apud populum, & authoritatẽ conciliaret? an demum eximia eloquentia innata longeq; antiquorum sapientum exemplis maior vis,quæ præter humani ingenij aleam, præter studij, disciplinæ atque culturæ facultatẽ omnem, singularem prouidentiam,efficientiam,voluntatemq; Dei probaret? Quæ tamen omnia rerum genera hominum arte atque industria(hoc est, magorum incantationibus & præstigiis exhiberi posse, scribentum pars affirmat, & ipsa de rebus à Moyse suo gestis narratio commemorat,atque ad eam tantùm solertiam Mosaicæ præstantiæ rationem Gentium historici referunt. Nam Trogus Pompeius Iustinus.
Ægyptios de magia cum Moyse contendentes superatos,atque in rubro mari demersos memoriæ prodidit. Iam verò,si vel nunc vacaret, vel res istud vt necessarium postularet, & miracula apud varios scriptores sparsa, ex variis terrarum locis atque hominũ diuorumq; nominibus peteremus, quæ tamen nonnulli homines ridere & inficiari

 omnino

omnino vel naturæ viribus, ac singulari efficientię adscribere non verentur.

*Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,*
*Nocturnos lemures, portentaq; Thessala rides?*

Horat. lib. 1. Satyr. 5.

*Namq; Deos didici securum agere æuum:*
*Nec si quid miri faciat natura, Deos id*
*Tristes ex alto cæli demittere tecto.*

Iam verò similibus artibus & ingeniorum machinatione ac solertia popularem gratiam à principibus viris aucupatam, quæsitam, collectamq; fuisse, qui antiquas euoluerit chartas, inficiabitur nemo. Itaque ab his ipsis quos primos communicandæ cæteris gentibus disciplinæ ministros accepimus, certum ac definitum spectatum authoritatis diuinæ Vati suo factæ præstolamur signum. Nam quæ de prophetico spiritu & impulsu, de Prophetarum periculo & munere officioq; dici possunt, proprio ac idoneo differemus loco. Nunc autem consiliorum oraculorúmque diuinorum à Moyse petitorum & editorum authoramento contenti erimus.

## Summa ac breuis de veteris Testamenti authoritate responsio.

1 SACRORVM scriptorum folia omnia in duas diducta partes accepimus: Alterá vetus Testamentum siue pactum, siue fœdus; Alteram verò nouum dictitari & celebrari audiuimus. Prioris initium Legem esse populo per Moysen à Deo latam atque traditam, Posterioris verò Euangelium à Iesu Nazareno promulgatum, & testium quatuor grauissimorum literis exaratum. Huius authoritate ad suum reseruata tempus, illius nobis ratio ex suis ipsorum foliorum responsis quærenda ac repetenda est altiùs. Meminerit porrò Lector, nos hoc loco Academico more ac modo agentes, verum vestigare & inquirere, quod repertum, ac, vti par est, exploratum, omnem humano sensu præditum, & suæ felicitatis cupientem animum afficere, ad seséque pellicere possit.

2 Principiò autem illud statuendum est, Vatis ac Prophetæ diuinorumq; responsorum interpretis publicam & amplissimam dignitatem non ex miraculorum prodigiorúmque frequente spectaculo
3 Moysi vt legum latori & scriptori fuisse quondam tributam. Quippe non omnium miraculorum exempla diuiná efficientiam ita probant, vt contemplantis hominis animo fidem faciant certissimam, timorémque incutiant præsentis numinis, cùm vel eadem, vel simi-

lia,

lia aut paria, vel minora aut maiora, vel etiam his pugnantia ac præstantia incantantium hominum artibus, & magicis herbis atque versibus edi posse existimentur. Tibul. lib. 1. Eleg. 2.

*Hanc ego de cælo ducentem sidera vidi,*
*Fluminis hæc rapidi carmine sistit iter.*
*Hæc cantu finditq; solum, manesq; sepulchris*
*Elicit, & tepido deuocat ossa rogo.*
*Cùm libet, obscuro depellit nubila cælo:*
*Cùm libet, æstiuo conuocat orbe niues.*
*Iam ciet infernas magico stridore cateruas,*
*Iam iubet aspersas lacte referre pedem.*
*Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas,*
*Sola feros Hecates perdomuisse canes.*

Præterea quæ per Moysen edita fuere miracula, quamuis maxima, quamuis rarissima, ac præter omne antea spectatum exemplum stupenda, quamuis denique Dei virtutem, digitũ, & spiritum contemplatione sui, cæterorumque comparatione probantia, tamen illa magis beneficium magnum, atque adeò pro loci ac temporum vsu maximè necessarium populo ipsi attulisse, quam authoritatem legis ac doctrinæ confirmandæ causa Prophetæ conciliasse censentur. Nam impositam genti suæ ab insectante ac premente hoste vel dimicandi vel pereundi in aquis necessitatem disrupto atque exsiccato mari & peruio superandam tradidit. Famem quoque ex viatici & victus egestate iam periculosè instantem, nouo alimenti & epularum genere cælitus deportato, depellendam curauit: Sitim etiam in arido ac prælongo itinere vrgentem, aperto ex silice fonte ac riuo perpetuo expleuit: Laborantem iam ac periclitantem seditionibus populum, Chorachi factione repentino terræ hiatu absorpta sedauit. Atq; eandem causam rationemque similem in cæteris siue prodigiis siue portentis, ostentis ac signis dispicere, examinare, atque obseruare perfacile fuerit: quæ tametsi virum illum mirãdum reddere amplificareq; potuisse viderentur, doctorem tamen populo, atque religionis, pietatis, & vitæ totius magistrum, denique Prophetam persuadere & confirmare non vsque adeò valerent. 4

Verùm enimuero attributæ & concessæ viro illi dignitatis & æstimationis pondus, decus, & ius in vna præcipuè atque certissima causa constitutum est, in præsenti videlicet numinis adlocutione, quæ coram populo atque gente tota semel facta, postea deinde assiduo & familiari sermone repetita & confirmata fuit, hominem quotidie ferè 5

nominatim compellando, ac de tradendis præceptis & institutis, de
componenda, concinnanda, & exercenda cùm ciuilium tum sacra-
rum rerum doctrina, de historia demum omni describenda admo-
nendo, quod & ipsemet aliquando in publicis comitiis genti suæ
toti non probauit modò, sed nemine obstrepente confirmauit.
Deut 5. Audi Israel ceremonias atque iudicia, quæ ego loquor in auribus ve-
» stris hodie: discite ea, & opere complete. Dominus Deus noster pe-
» pigit nobiscum fœdus in Horeb. Non cum patribus nostris iniit pa-
» ctum, sed nobiscum qui in præsentiarum sumus & viuimus. Facie ad
» faciem locutus est nobis in monte de medio ignis. Ego sequester &
» medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, vt annunciarem
» vobis verba eius: Timuistis enim ignem, & non ascendistis ad mon-
» tem, & ait: Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti,
» de domo seruitutis, &c. Hac itaque vnica ad collocutionem fami-
liaritatemq; compellatione admissioneque tuta ac libera suæ de or-
nando amplificandoq; Moyse voluntatis indubitabilem prærogati-
» uam datam esse Deus ipse declarauit. S.S.E. Iam nunc veniam ad te
» in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat
» tibi in perpetuum. Ex qua Dei prędictione intelligimus, fidem Moy-
sis legationi antea à populo habitam non adeò constantẽ ac firmam
fuisse, vt nulla in posterum vel tergiuersatio, vel sinistra interpretatio
tentare ac minuere posset; quam verò illa præsens allocutio factura
erat, nulla omnino non solùm animorum alienatio, nec annorum ac
temporũ longinquitas (quæ diruere & consumere vel maxima mor-
» talium facta solet) tamen labefactare valeret. Vt credat tibi, inquit,
in perpetuum. Ita adeò administrationis & legationis Moysi datæ
populum illum cunctum non modò iudicem, sed arbitrum, sed cer-
tissimum & conscium testem esse Deus voluit. Cui genti non secus
atque Prophetæ ipsi comperta, nota, manifestaque illa tria exstitere,
& Deum esse, & cum mortalibus illum agere & loqui posse, & suæ
voluntatis ministros constituere, ornare, & confirmare idoneos; atq;
6 hunc ad muneris præsentis expeditionem delectum confirmasse. Su-
peruacanea enim miracula testimoniaque cætera existimari debent,
vbi res ipsa iis, quibus examinanda iudicandaq; demandatur, cognita
7 penitusque perspecta fuerit. Hactenus enim tot antea ostentis noua-
rumque rerum spectaculis Moysis vel vis, vel facultas, vel peritia ac
dexteritas videri potuit mirabilis, qui in omni Ægyptiorum doctrina
apprimè eruditus & exercitatus à puero fuerat; atque illius nationis
disciplinarum non exigua pars in mathematicis diuinationibus & in-
canta-

cantationibus ac prestigiis censebatur. Verùm idem Vates diuinæque mentis interpres & internuncius omnino apud cunctos, vt haberetur & susciperetur, non prorsus efficiebatur huiusmodi signis, quæ in aliá accipi partem nō nemini audienti in promptu esset. Atque hanc eandem rem rationemque omnem ipse, cùm primùm à numine cōuentus fuit, edoctus monebatur: quippe post acceptam potestatem & copiam ad miracula & signa apud Aegyptum danda, illud præterea audiuit (quod ad libertatis annunciandum tempus attinebat) Et audient vocem tuam. Verùm idem cùm intelligeret, non adeò firmam esse eam, quæ miraculis tantùm ac prodigiis niteretur, fidem; Non credent mihi, inquit, neque audient vocem meam, sed dicent, Non apparuit tibi Dominus. Id verò prudēter obiectum hoc pacto declarauit Deus, vt quæ in Aegypto agerentur & præstarentur omnia, adusque populi eductionem, & hostium internecionē valerent, satisq; essent idonea: verùm quod ad perpetuam Prophetæ authoritatē declarandam spectaret, alia ratione magis perspicua, dubitationisq; experte constituendum esset, hoc est, præsenti alloquio, manifestisque responsis cælitus redditis. Ego, inquit, ero tecum; & hoc habebis signum, quòd miserim te. Cùm reduxeris populum de Ægypto, immolabitis Deo super montem istum. Coletis, inquit, Deum eo pacto & modo, quo Deus sese vobis cognoscendum præbebit, & colēdum commendabit. Atque hanc de miraculis & signis, deque prophetiarum cæterarum vsu, tractationem in suum locum, si Deus deduxerit nos, integram reseruamus; hoc vnum modò nouisse contenti, Deum publicè ac palàm præsenti ac frequenti populo & veritatem sui probasse, & sermonem humanarum rerum prouidentiam sibi tribuētem edidisse, & sui consilij internuncios & interpretes constituisse pro arbitrio delectos alios aliis & authoramento & muneris modo illustriores, dictorum tamen fide & pondere non dispares (namq; omnium vna causa diuinæ de hominum salute voluntatis explicatio est:) primas autem inter antiquos docendi partes Moysi esse concessas. S.S.E. Audite sermones meos. si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somniū loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est; ore enim ad os loquar ei. palàm, & non per ænigmata & figuras, Dominum videt. Atque ita illum, vti primum & clarissimi sermonis ministrum, antiquitatis etiam nomine & loco anteponendum cæteris omnibus accepimus, veruntamen Iesu Nazareno longè minorē, qui fuit vir Propheta potēs in opere & sermone coram Deo & omni po-

Exodi 3. Ibid. Num. 12. Lucæ 24.

pulo. Atque ab eodem ipso Moyse sibi, vt suo loco indicabimus, prædictus, promissus, & antepositus. Atqui ea quæ hactenus nobis acta disputataque sunt, eò tendunt omnia, vt feliciorem nostrorum seculorum sortem nobis gratulemur: quandoquidem veri cognoscendi auidis, vnde peti copia abundeque suppeditari possit, exstant sacri libri partim à priscis quondam vatibus Spiritu sancto dictante, partim etiam à Iesu Christi Apostolis & Euangelistis eiusdem diuini Spiritus
7 monitu & virtute conscripti. Et quidem librorum horum sincera & germana doctrina talibus, tam alteque ab initio iactis fundamentis nititur, quorum spectatores ac testes primi illi Israelitæ ex Ægypto migrantes fuerũt (quod antiquius fœdus spectat) Namque illis Deus ipse, vel potiùs Angelus quispiam ex Dei ministris spiritibus, eo modo eaque specie visus est, qua tunc videri illum fas fuerat, ita tamen vt negari aut ambigi posset nemini. auditus verò fuit apertis & patentibus auribus, aperto etiam illisque notissimo ac vulgari sermone allocutus. Illorum porrò sancta, vt par fuit, authoritate persuasi nepotes, fidem etiam secundùm aliquod tempus imitati, integram seruarunt. S. S. E. Seruiuitque Israel Domino cunctis diebus Iosue, & seniorum qui longo vixerant tempore post Iosue, & qui nouerant omnia opera Domini quæ fecerat in Israel. (Iosue 24.)
8 Verùm enimuero iisdé iam vita defunctis secuta proximè posteritas cùm degenerasset, manifestis in vtramque partem euentis doctrinæ illius veritatem prouidentiæ coniunctam Dei, non intellexit modò, sed planè sensit, tum beneficiorum, iis qui obedirent & parerent, promissorum cõstantia perpetua, tum eorum qui disciplinam negligerent & contemnerent, subeundis pœnis tristi & ærũnoso exitu. S. S. E. Qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia iustam accepit mercedis retributionem Atque ita quod semel Deo per nuncios locuto fundatum fuerat, perpetuis vel beneficiis vel supplicij exemplis firmari & stabiliri postera omnia secula cognouerunt. (Hebr. 2.)

9 Atque recentioris pacti à Deo cum hominibus per Iesum Christum initi veritatem & constantiam illa primùm docuit perspicuitas, allocutiones miraculorum ostentis notabilissimæ confirmarunt, tanto illustriores & præsentiores, tanto dignitate præstantiores, quanto seruo, quamuis fideli, Filius ipse Dei in terras vltro missus, atque doctrinæ declaratus magister maior censendus fuit. S. S. E. Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula. Qui cùm sit splendor (Hebr. 1.)

Patris,

Patris,& figura ſubſtantiæ eius, portanſq; omnia verbo virtutis ſuæ, “
purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in “
excelſis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis “
nomen hæreditauit. Atqui hunc Filium palàm mundo locutum gra- “
uiſſimi & ſanctiſſimi teſtes memoriæ ac literis prodidere. Qui ab Lucæ 1.
initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis. Horum enim hu- “
iuſmodi teſtimonia exſtant. Quod fuit ab initio, quod audiuimus,& 1 Ioan. 1.
vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contre- “
ctauerunt de Verbo vitæ (& vita manifeſtata eſt, & vidimus,& teſta- “
mur,& annunciamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, “
& apparuit nobis) quod vidimus & audiuimus, annunciamus vobis, “
vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum,& ſocietas noſtra ſit cum Pa- “
tre,& cum Filio eius Ieſu Chriſto. Certæ præſentiæ ſuę ſermoniſque “
cum mortalibus à ſe initi profeſſionem ab ipſo Dei Filio factam, &
litterarum monumentis per teſtes mandatam exſtare videmus, ho-
diéque legimus. Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, & ſigna Iohan 15.
non feciſſem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc “
autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Porrò huius noui 10
fœderis ſuſceptores diuinis beneficiis auctos, contrà verò deſertores
dignis animaduerſionibus fuiſſe caſtigatos, iidem ipſi miniſtri teſti-
ficantur. Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto 2 Cor. 2.
Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia “
Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis qui ſalui fiunt, & in iis qui per- “
eunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in “
vitam. Quibus ex rebus omnibus, veteris inſtrumenti librorum am-
pliſſima dignitas & authoritas declaratur, & longè etiam illuſtrior
ſanctorum Euangeliorum, cæterorumque noui fœderis voluminum
ſplendor perſpicitur. In quo non modò miraculorum ac diuinæ al-
locutionis veritas ſpectata, ſed maximorum Dei beneficiorum cre-
dentibus & obedientibus piis hominibus collatorum, rurſuſque gra-
uiſſimorum ſuppliciorum contemptoribus atque impiis allatorum
ſtatuuntur exempla. S. S. E. Quomodo nos effugiemus, ſi tantam Hebr. 2.
neglexerimus ſalutem? quæ cùm initium accepiſſet enarrari per Do- “
minum, ab iis qui audierunt in nos confirmata eſt; conteſtante Deo “
ſignis & portentis, & variis virtutibus,& Spiritus ſancti diſtributioni- “
bus ſecundùm ſuam voluntatem. Quam demum voluntatem idem “
ipſe teſtis aliàs aſſerens ita declarabat: Non erubeſco Euangelium; Rom. 1.
virtus enim Dei eſt in ſaluté omni credenti, Iudæo primùm & Græ-
co: Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum

eſt, Iuſtus autem ex fide viuit. Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent. Cùm verò nobis ab vſque pueritia ipſa ſingularis quædam cupiditas innata fuerit cognoſcendi quænam hominis natura ſit, vnde profecta, quorſum demum tendat, quémve totius vitæ actionum exitum habeat, haberéque poſſit: neque tamen in quamplurimis multorum ſcriptorum libris & voluminibus certam & exploratam huius tanti momenti rei cognitionem capere facile fuerit, donec in ſanctuarium Dei, hoc eſt, in ſacrorum foliorum arcanam admirabilemq; doctrinam diuino beneficio admiſſis lumen prælatum fuit (quãtum ſenſus noſtri imbecillitas capere ac ferre poſſet) cuius ductu in his humanæ ignorationis tenebris ambulare & progredi, ac veri ſpeciem dignoſcere ſit conceſſum: communis ac publicæ vtilitatis ſtudium perſuaſit, vt qua parte ſimplicium hominum mentibus, qui eadem nobiſcum tenerentur cura, prodeſſe daretur, ea quæ nobis longa aſſiduaque lectione collecta obſeruataque eſſent, ſine vlla vel honoris, vel gratiæ, vel terreni commodi cogitatione & ſpe communicare placeret: vt ſi quid opera induſtriaque nobis poſita laudis mereri cenſeretur, id omne ad vnius Dei (cuius toti ſumus) ſempiternam referretur gloriam: Si quid rurſus vel elegantibus exquiſitæ contemplationis virorum, vel acutis naſutorum hominum auribus ineptum inconcinnumque putetur, id nobis nihil magnificum pollicitis vitio non ſit vertendum, qui primi apud Latinos atque Græcos, quorum apud nos memoria exſtat, huiuſmodi telam exorſi ſumus, non ſubtiliſſimis omnino filis, ſed iis quæ ſuppetebant liciis texendam, quam aliis idem ſimiléve argumentum poſthac ſuſcepturis vel retexendam, vel melioribus omnino arte & modo antiquandam permittimus, id quod ipſi magis optamus. namque illud præcipuum in votis eſt, vt quod ad hominum generis cognoſcendam & petendam felicitatem conducit, quàm appoſitiſſimè ac facillimè tractetur & agitetur. Erit autem in hoc contexendo opere illa perpetuò fixa lex, vt quæ probare velimus, non populari trutina, ſed aurificis ſtatera examinentur, in qua tria tantùm ſtatuentur pondera, eaque Authoritatis, Rationis, ac Sententiæ notis inſcripta. Atque Authoritatem appellamus, diuinorum eloquiorum, ſacrorumque librorum teſtimonia, ad eum quem intendum ſenſum inducta: cui primam ac præcipuam atque adeò ſummam non ſolùm fidem, ſed reuerentiam & religionem haberi oportet. Rationem verò dicimus, animi mentiſque cogitationem, quæ res, rerumque

Authoritas.

13 Ratio.

caulas,

causas, momenta, & fines ex naturæ recta contemplatione, vel ex æquitate ac decoro petita, ad verum vel falsum, honestum ac turpe diiudicandum confert: cuius rectè institutæ maximam secundùm sacra eloquia vim in docendo esse manifestum est. Quidquid verò 14
præter hæc cuiuis hominum generi & ordini vel probabile, vel improbabile videatur, id Sententiam dicimus, quæ pro personæ cùm grauitate, tum rerum, de quibus agitur, peritia & vsu, plus aut minus momenti habeat: atque huius rectè initis disputationibus, sapientes viri, artiumque humanarum præceptores postremum locum censent. Itaque tribus hisce ponderibus quidquid inter agendum produxerimus, (quod ad fidem faciendam attinet) examinatum, nec aliter nobis creditum, nec opinioni existimationique de nobis quicquam tributum volumus.

Sententia.



## DEO AVTHORI EFFICACISSIMO VOTVM.



GNOTIS *audax nauem qui credidit undis,*
*Constituitque nouas primus inire vias,*
*Dum seiuncta locis atque intentata remotis*
*Terrarum cupidus visere regna parat:*
*Is, nisi stellarum numeros & commoda doctus*
*Intentis teneat munera luminibus,*
*Incertus dubiusque poli pelagique pererrat,*
*Et breuia & scopulos & mala damna pauet:*
*Sæpius insanis agitatur fluctibus ille,*
*Pellitur aduersis sæpius ille Nothis,*
*Ac trepidans & multa timens sola nota relicta*
*Suspirat patriæ, ac deseruisse dolet:*
*Iam remos aptasse vllos, complendaque ventis*
*Vela dedisse piget, consilij atque pudet:*
*Nec sibi promittit portus, nec curat ut altè*
*Hæreat in tutis anchora fixa vadis.*
*Sic mihi multiplicis metuenda est cura pericli,*
*Ore alio indictum dum paro texere opus.*
*Sed tua suppliciter poscenti si Deus antè*
*Prætendes felix lumina, nil metuo.*
*Namque tuos populos lucenti lampade tutum*
*Præuius ipse doces carpere noctis iter.*
*Tendere & ipse soles nubem, mediumque per æstum*
*Efficis innocuos pergere posse dies.*
*Sis bonus, atque isto fidentis numine cœptis*
*Aspira, in laudes annue & alme tuas.*

LIBER

# AD
# SANCTISSIMAM
## ECCLESIAM ROMANAM
### EIVSDEMQVE PONTIFICEM MAX. ET LEGITIMOS PRÆSVLES AC MINISTROS OMNES

*Bened. Arias Montanus.*

PROMISSI à me ſæpius magni operis animam, id eſt meorum ſummũ argumentum ſcriptorum, tibi mater ſanctiſſima inſcribo, cui conſilia, otia, & negotia mea omnia, atque adeò me etiam ipſum à primo ſtudiorum meorum initio dicaui, & quantum præterea per id quod ſupereſt viuendi tempus in hoc genere agere contigerit, conſecratum iri profiteor, eo vnico tantum animo ac voto, vt quidquid per omnem vitę rationem, & partem ſeriò egerim, id omne ad Ieſu Chriſti ſponſi tui laudes, ad tuam gratiam, & ad filiorum tuorum referatur vtilitatem.

HISPALI, XVIII. Kal. Iul. cIↄ. Iↄ. XCIII.

*

# BENED.
# ARIAE MONTANI
## DE SCRIPTIS SVIS,
### SVMMA ET PERPETVA PROFESSIO.

*Membra hominis diuersa vides, quæ corpore in vno*
*Juncta, tibi ad proprium sunt referenda caput.*
*Omnia sunt vnum, quæ scripsimus: hoc tibi dictum*
*Tolle memor, quisquis nostra tenere cupis.*
*Seu laudes, siue hæc culpes, torquebere frustra,*
*Vnicus haud notus si tibi* CHRISTVS *erit.*

# BENED. ARIÆ MONTANI GENERATIONIS ET REGENERATIONIS ADAM, LIBER PRIMVS.

## De Veritate Dei.

### CAPVT PRIMVM.



APIENTIÆ *omnis, quæ hominibus contingere poßit, fundamentum primum veritate nititur Dei. Quod si quis neglexerit, quidquid discere cognoscereque quamuis magno ingenio plurimóque studio tentauerit, oleum tamen & operam perdat necesse est.* Sapientiæ fundamentum.
*S.S.E. Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.* Psal.126. "
*Accedentem igitur ad Deum, primùm oportet credere, quod est.* Hebr.11.
*Quidquid enim non est, notitiam veram sui præbere non potest. Deum autem esse & antiqui illi apertè cognouerunt: & qui credebant, beneficiorum certo vsu intellexerunt; rursus verò qui non credebant, senserunt. S.S.E. Deo autem gratiæ qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos.* 2 Cor.2. "
*Dei autem cognitio duabus potißimùm initur viis, altera vestigationis, altera verò responsi, siue ostensionis.* Vestigatio Dei. Ostensio Dei.
*Vestigationem autem dicimus agitationem mentis, ex iis quæ in cælo ac mundo conspiciuntur obseruatis & examinatis, ad certam aliam supremam naturam reperiendam intentæ. Et hanc quidem sui cognoscendi scholam, intellectione atq; animo non abutentibus hominibus omnibus apertam explicatamq; semper esse Deus ipse voluit. S. S. E. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem. Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti.* Psal.8. " " "
*& rursus alio in loco: Viri quid hæc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt; qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas, & quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias & tẽpora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra.* Actor.14. " " " " " " "
*Hoc verò exercitationis genus ad veritatem Dei indagandam verè studiosorum virorũ animis adhiberi, ille amici sui laudator docebat:*

 Mira-

Horat. 1. Epist. 12.

Miramur, si Democriti pecus edit agellos,
Cultaque, dum peregre est animus sine corpore velox:
Cùm tu inter scabiem tantam, & contagia lucri
Nil paruum sapias, & adhuc sublimia cures:
Quæ mare compescant causæ, quid temperet annum,
Stellæ sponte sua, iussæ ne vagentur & errent:
Quid premat obscurum lunæ, quid proferat orbem,
Quid velit, & possit rerum concordia discors.

*Quidnam discors hæc & concinna semper sui similis rerum ac temporum concordia siue concors discordia probare hominibus velit, ac possit: nempe naturam aliquam & vim cuius nutu constent & gubernentur omnia, cuiusq́ stellæ imperium secutæ vagentur. Verùm enimuero cùm ex humani ingenij ambitiosa contentione variæ ad inueniendum in rerum natura Verum institutæ fuerint disciplinæ; vt ab ipso primo ac principe Veri cognoscendi proposito longißimè aberraretur, euenit; quod & idem ille scriptor subiuncto superioribus versu significabat:*

Empedocles an Stertinij deliret acumen?

Rom. 1. *S. S. E. Reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam*
» *hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Quia quod no-*
» *tum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit. Inuisibi-*
» *lia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspi-*
» *ciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas; ita vt sint inexcusa-*
» *biles: quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut*
» *gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est*
» *insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, &*
» *mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corru-*
» *ptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Atque altera illa via, quam contemplationis siue vestigationis dicimus, ita habet. Altera verò, cui ostensionis nomen indidimus, ex ipsius Dei oraculo instruenda est. Nam si quis ex impreßis in puluere hominis vel leonis vel animalis cuiuspiam vestigiis, animal ipsum consequi & inuenire intentus, manifestam ac sonantem vocem percipiat, & animal huiusmodi verè esse, & non longè à se abesse, meliùs profectò, certiùs & pleniùs, multoq́ citiùs cognoscit. Quippe illud suspicione & coniectura quærebat, hoc manifestè ac re ipsa proximè nato signo tenet. Ita enim ad dilectam sibi sponsam reperiendam huiusmodi facultatem diuinus amator sibi dari poscebat: Ostende*

Cant. 2. » *mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, &*
» *facies tua decora. Eodem etiam signo sponsum sibi proximum aduentare; iam*
» *iamq́ adesse gaudebat sponsa. Ego dormio, & cor meum vigilat, vox dilecti*
» *mei pulsantis. Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea. Vocem autem Dei & vni tantùm singulari viro, & numerosæ etiam genti in frequenti theatro auditam fuisse, ex pluribus sacrorum foliorum locis ostendere in promptu nobis esset. Attamen fontem ipsum quasi digito monstrare satis*

super-

*ſuperq́ fuerit. Iamq́ aduenerat tertius dies, & mane inclaruerat, & ecce* Exod. 19.
*cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes denſiſſima operire* «
*montem, clangorq́ buccinæ vehementiùs perſtrepebat, & timuit populus* «
*qui erat in caſtris: cumq́ eduxiſſet eos Moyſes in occurſum Dei de loco* «
*caſtrorum, ſteterunt ad radices montis. Totus autem mons Sinai fumabat,* «
*eo quòd deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne, & adſcenderet fu-* «
*mus ex eo quaſi de fornace: eratq́ omnis mons terribilis, & ſonitus buccinæ* «
*paulatim creſcebat in maius, & prolixiùs tendebatur. Moyſes loquebatur,* «
*& Deus reſpondebat ei. Deſcenditq́ Deus ſuper montem Sinai in ipſo mon-* «
*tis vertice, & vocauit Moyſen in cacumen eius: quo cùm adſcēdiſſet, dixit ad* «
*eum: Deſcende, & conteſtare populum, ne forte velit tranſſcendere termi-* «
*nos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. Sacer-* «
*cerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos.* «
*Dixitq́ Moyſes ad Dominum: Non poterit vulgus adſcendere in montem* «
*Sinai: tu enim teſtificatus es & iuſſiſti, dicens: Pone terminos circa mon-* «
*tem, & ſanctifica illum. cui ait Dominus, Vade, deſcende, adſcendesq́ tu, &* «
*Aaron tecum, Sacerdotes autem & populus ne tranſeant terminos, nec* «
*adſcendant ad Dominum, ne fortè interficiat illos. Deſcenditq́ Moyſes ad* «
*populum, & omnia narrauit eis. Locutusq́ eſt Dominus cunctos ſermones* «
*hos: Ego ſum Dominus Deus tuus, &c. Et paulo inferiùs: Cunctus autem* Exodi 20.
*populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, montemq́ fuman-* «
*tem, & perterriti ac pauore concuſſi ſteterunt procul, dicentes Moyſi: Lo-* «
*quere tu nobis, & audiemus: ne loquatur nobis Dominus, ne fortè moria-* «
*mur. Et ait Moyſes ad populum: Nolite timere, vt enim probaret vos, venit* «
*Deus, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis. Stetitq́ populus* «
*de longè, Moyſes autem acceſſit ad caliginem, in qua erat Deus. Dixitque* «
*præterea Dominus ad Moyſen: Hæc dices filiis Iſrael: Vos vidiſtis, quòd de* «
*cælo locutus ſim vobis.* Qua allocutione tum plura alia, tum ſui veritatem «
*cum primis oſtendit.* EGO, *inquit,* SVM. *vtramque verò veritatis diuinæ indagandæ viam ſapienter vno hymno indicabat Pſaltes, poſteriorem tamen commodiorem & breuiorem prædicans. Qui emittit eloquium ſuum terræ,* Pſal. 147.
*velociter currit ſermo eius: qui dat niuem ſicut lanam, nebulam ſicut cine-* «
*rem ſpargit: mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas, ante faciem frigoris eius* «
*quis ſuſtinebit? Emittet eloquium ſuum, & liquefaciet ea; flabit ſpiritus eius,* «
*& fluent aquæ. Qui annunciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia* «
*ſua Iſrael. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit* «
*eis. At verò cùm Latini ſermonis antiquus vſus nullum nobis certum verbum præſtiterit, quo indefinita Natura Dei dici appellariq́ poſſit (namque* ENS *Romanis auribus inauditum quondam ad Græci ὢν imitationem effictum eſt vocabulum) nullum nobis ad illam maieſtatem ſignificandam aptiùs vſurpabitur, quàm* VERVM, *aut* VERITAS. *Quippe & hoc antiqui Philoſophi omne cùm naturæ, tum natura vlterioris contemplationis*

Verum, Veritas. *propositum (quod obiectum siue subiectum Dialectici vocant) vno Veri, Veritatisq́ verbo significare voluerunt. Ita poëta Pythagoram, sese antea Euphorbium fuisse dictitantem, Naturæ Veriq́ non sordidum authorem, id est, doctorem, laudat. Idemq́ sese naturalis ac supremæ nec non moralis philosophiæ studiis deditum duobus illis profitebatur verbis* : Quid verum atque decens curo, & rogo, & omnis in hoc sum. *Cùm verò quidquid vel intra vel extra mundum est, Verum dici poßit; primum ac præstantißimum omnium Verum esse oportet, quod sua sponte ac propriè verum sit, veritatisq́ suæ nullum agnoscat, nullumq́ habeat authorem: id autem quidquid fuerit, siue naturam, siue causam primam, primúmque efficiens humanus appellet sermo. Verum ac Veritatem responso per Vates edito dici se voluit. Dominus Deus verus est. germana Prophetæ illius lingua* EMETH *dicitur, quod Latinis Verum siue Veritas est. Solus autem dictus est Veritas, cui nullum aliud verum in veritatis ratione, virtute, & constantia componi compararíq́ poßit. S. S. E. Vt scires quòd Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum. Sacræ autem linguæ schemate,* AIM GHOD MILEBADO, *non vlteriùs à seipso solo, illud indicatur, nempe Deum hũc, siue hoc Verum à se ipso Veritatem vnicè ac singulariter habere, nihilq́ ab eo vlteriùs inueniri, quod à seipso singulariter fuerit, vel esse poßit; ita vt vnicum singulare ac præstantißimum Verum sit is, cui Latinum Dei nomen significationis causa tribuitur. Eodem etiam tropo siue schemate docemur, nihil omnino præter Deum vel esse, vel excogitari posse; nam si Latinis vocibus vtcumque oratio illa exprimatur, ita sonabit: Nihil à singularitate illius; vel, Nihil absque illo; siue, Præter illum nihil. Atque ita intelligimus hunc esse præter cætera, cætera verò omnia præter hunc, vel hoc etiam per cogitationem semoto nihil omnino esse: ita vt si quis primum illud ac supremum Verum mente & cogitatione de rebus tollat; quòd verum in rebus cæteris esse poßit, supererit nihil. Sin verò cæterarum omnium rerum veritatem naturamq́ non esse sibi fingat, tamen Verum hoc esse pleneq́ in se ipso constare relinquetur.*

Hor. lib. 1. Od. 38. — Id. ep. 1. — Ierem. 10. — Deut. 4. — Singulare.

Singularitas Dei. *Cùm verißimum responsum illud statuat,* NIHIL A SINGVLARITATE ILLIVS. *Hæc enim mutuò sese consequuntur dicta. Id quod nihil dici potest, ab illius singularitate abest. Singularitas illius à nihilo alienißima remotißimaq́ est. Quamobrem quod est, vel esse potest, quodq́ nihil non dicitur, à singularitate illius habet vt sit quidquid est, cùm solum nihil ab illo seponatur, ille verò, à nulla re vt sit, accipit; qui suam singularitatem nulli aliæ naturæ communem habet, ac tuetur. Mira profectò lingua illius & significatio & breuitas, quæ duabus tantùm vocibus Deum esse, & rerum omnium authorem, gubernatorem, ac tutorem aßerit; & quidquid ab illo, illiusq́ singulari voluntate alienum fuerit, nihil esse pronunciat.*

De

# De Natura Dei,

## CAPVT II.



ERITATEM Dei tenenti animo naturam etiam inquirere *Natura Dei.*
proximum fuerit, si tamen naturam dici fas est id, cui nec ortus
nec initium adscribi, nec finis aut exitus vllus tribui potest, deniq; 2.
quod singulare est, suamq; singularitatem à se ipso habet. Verùm
cùm exigua admodũ mortalibus diuinarum rerũ cognitio contingat, eodem *Verborum inopia.*
quoque pacto euenit, vt verborum, quibus hæ dici pronunciariq; possint, mira
sit paucitas, ac persæpe vel translatorũ, vel ex communi vsu mutuatorũ egea- 3.
mus: atq; ita quæ vtcumque cognouimus, vtcũque etiam exponamus, magisq;
explicemus. non tamen Deo ipso abnuente aut prohibẽte: qui de se, suaq; vir-
tute & actione cũ hominibus acturus, eiusmodi vsurpat voces, quas illis com- 4.
munes & de medio sermone productas nouit. Itaq; Naturæ vocabulo non so- *Natura.*
lùm ad ea quæ in mundo reperiuntur, sed etiam ad ea quæ mundo vlteriora
præstantioraq; sunt, significanda, non adeò inconcinnè vtemur. Igitur quid- 5.
nam Deus, quæq; Dei natura sit, humanæ indagationis & contemplationis *Deus quid.*
diligentia & opera cognoscere mortalibus omnino negatũ est: quibus ad na-
turam rerũ cognoscendam nulla certior atq; expeditior docendi via vel me-
thodus constat, quàm definitio: hanc verò diuina illa natura immẽso atq; in- *Definitio.*
finito superat interuallo. Nec enim intra terminos aut extremos aliquos fi- 6.
nes illud sisti potest, quod veritatẽ & singularitatem suam à se nulli alij rei 7.
obnoxiam, nulli arti comprehensibilem tenet. quamobrem S. E. Sicut exal- *Singularitas.*
tantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes *Esaiæ 55.*
meæ à cogitationibus vestris. Nec verò vlla vel apta vel concinna esse defini-
tio potest eius, cuius nullũ superius aut amplius genus, nullæ, quæ genus diui-
dant, & formas constituant, differentiæ exstent; hæc verò exstare omnino
prohibet illa societatis & comparationis impatiens diuina singularitas: nec *Descriptio.*
descriptio etiam effingi, cuius ratio ex genere & accidentibus constat, cùm
singularitas æterna nec generi subsit nec accidentibus vllis, nec propriè sub- *Substantia.*
stantia dicatur, quatenus hæc accidentibus substernitur: nisi fortè hoc ver- 8.
bum ea adnotatione admittamus, qua aliquid propria natura esse, stare, nul- *Substantia diuina.*
loq; alio vt exsistat indigere dicitur. Namque hoc pacto substantiæ nomen ita
ad singularitatis diuinæ significationem vsurpabimus, vt nulli præterea aliæ
comparemus substantiæ. Atque hanc naturam vnicam esse, ipsa singulari- 9.
tatis ratio apertè docet. Quippe singulare non dicitur id, cuius in eodem ge- *Natura vnica.*
nere par aut simile aut secundum inueniri potest, maximè cùm singularitas
singulari & nulli communicabili ratione sic appelletur. Vnicum autem hoc
loco id dicimus, quod ita vnum est, vt nec mente & cogitatione diuidi, nec ad 10.
numerum possit referri. Vnum enim genus dicitur vt animal, quod tamen

in plures formas partiri licet. sic rationale & ratione carens animal dicitur. vnum etiam illud à Mathematicis vocatur, vel quod numeri principium
11. est, quanquam idem numerus non sit, vel quod cum aliis eiusdem generis & nominis coagmentatum, numerum sua pro parte componit. Verùm natura hæc, quam diuinam dicimus, ita vna, ita vnica est, vt nec in plures diuidatur naturas, nec diuinarum naturarum inchoet numerum, nec secum quicquam
12. in numerum coniungi patiatur, nec vllis claudatur finibus vt vnum sit, ab aliisq; disiunctum, nec etiam mensuram admittat aliquam, nec partiri ipsa in plures portiones aliquo pacto vel cogitando, nedum fando possit: ita demum vnica est, vt quemadmodum singularitatem suam singulariter, ita
Deut. 4. vnius rationem & nomen sibi vnicè tribuat. S.S.E. Audi Israel Deus noster Deus vnus est. Sic vnus, vt idem Deus; sic Deus, vt idem vnicus, nulliq; alij vni extra se conferendus: cùm cætera, quibus nomen vnius datur, vel in plura, si diuidātur, abire, vel aliis adiuncta numerum possint conficere. Quamobrem quicquid Naturæ huic diuinæ quocumque modo tribuitur, vnicè ac singulariter ita tribuendum est, vt nec ab ipsa diuulsum, nec in partes deductum, nec aliud quàm ipsa eadem esse existimaríve queat. Quidquid enim id est, vnum singulare, simplex, ac diuinum est. Idem autem nec
Corporis expers. corpus, nec corporis vllius vis aut forma est: nec verò quicquam habet quod ad corporis rationem vel similitudinem referatur. Nam præterquam quòd
13. corpus nullum ita vnum est, vt materia & forma non constet (quo quid cum diuina singularitate magis pugnat?) quædam etiam alia à Mathematicis & Philosophis circumscripta annotamenta fert, quæ vnicæ illi singularitati cohæret minimè. Vt quòd dimensionibus obnoxium, quòd figuris figurarumq; terminis circūscriptum sit, quòd locum certum sibiq; æqualem occupet, quòd duobus nedum pluribus in locis eodem tempore esse non possit, quòd cum alio corpore saluis dimensionibus commisceri penetraríque sese neget. His enim & aliis accidentibus sublatis, nec esse, nec cognosci corpus potest. Diuina verò natura cùm omnino substantia, cùm vnica, cùm singularis prorsus, cùm sibi ipsi princeps atque sufficiens, denique cùm omnia alia præter se omnibus modis singularissimè atque absolutissimè antestet, corporis huiusmodi accidentibus nullis subiicitur. Præterea corpus, cùm continuum sit, diuisioni partitioniq; expositum est: diuiditur autem corpus in duas vel plures portiones, quæ corpora etiam dicuntur, & sunt. Quòd si corpus esset id quod appellamus Deum, in duo, & in plura etiam corpora diuidi posset, quæ seiunctà separatimq; præscripta dicerentur Dij: id verò incomparabili singularitate
14. prorsus pellitur, & vni illi vnicè singularissimo alienum est. Porrò cuius initium & finis est, corporis eiusdem certam terminatamq; vim constitui necesse fuerit: Deo autem finitam virtutem illa sibi vnicè omnino constans
Psal. 115. singularitas adscribi non permittit. S.S.E. Deus autem noster in cælis est, „ & omnia, quæcumque voluit, fecit. Omnia quæ voluit, facienti, nihil vel figura, vel terminus, vel aliis corporis excipitur modis: sed quæ rationibus argu-

*argumentationibúsque adstruuntur, ipsis eiusdem Dei responsis omni humana ratiocinatione longè præstantioribus declarata sunt. Scito ergo hodie,* Deut. 4.
*& cogitato in corde tuo, quòd Dominus ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum, & non sit alius. Manifestum autem est, eum qui in duobus pluribúsve locis, hoc est, in cælo sursum, in terraq; deorsum integer totus ac singularis constet, nec alium secum admittat, corpus non esse: & cuius natura cælos & terram impleat & occupet, penitusq; penetret; nec tamen vel augeat modum, vel minuat, vel corrumpat, eundem à corporis conditionibus & rationibus abesse prorsus. Scriptum etiam legimus: Non vidistis aliquam* Deut. 4.
*similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis. & apud Prophetam: Cui aßimilastis me, & adæquastis? dicit San-* Esaiæ 40.
*ctus. Quibus effatis figuræ omnis & quantitatis ac modi mensurarumq; immunitatem illa sibi sanctitas iure suo vendicat: quibus si obnoxia vllo pacto esset, & similitudinis & æqualitatis comparationisq; non esset expers; saltemq; si non immensitatem parem corporis, tamen accidentibus aliorum corporum generi similem habere diceretur. Quòd verò membra & anima-* Mēbra Deo adscripta.
*lis corporis partes diuina scripta Deo persæpe assingant, ad efficientiam diuinam hominibus significandam propriè referendum est, non autem ad figuram aut formam describendam. Namque animalis efficacitatis instrumenta membra sunt; quibus detractis, efficacitatem quidem intelligere possumus, efficientiam verò exspectare non possumus. Videndi enim, audiendi, incedendiq; vim animantibus inesse, ex eo cognouimus, quòd oculos, aures, ac pedes à natura concessos aptosq; conspiciamus: easq; partes iis exercitari vsibus comperimus, quibus orbato partibus & vsus etiam carentiam arguimus. Hanc verò similitudinem ab animalibus ad se diuina transferens natura, vsurpato ex hominum lingua sermone, efficacitatem efficientiamq; suam hominibus indicat, humanumq; sensum, sensu quoque sibi adscribendo mouet, & impellit, atque ita humanarum rerum curam sibi propriam esse probat, dum non segniùs & negligentiùs aut ignorantiùs à se videri, audiri, præsentirique cuncta ait; immo tanto efficaciùs, quanto animalem omnem vim diuina virtus antecellit. S. S. E. Vsquequo peccatores Domine, vsquequo pec-* Psal 93.
*catores gloriabuntur? Effabuntur & loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui operantur iustitiam. Populum tuum Domine humiliauerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt. Viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt, & dixerunt; Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem scientiam. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Itaq; virtutem efficientiamq; Deo assertura sacra responsa, caput, oculos, aures, nasum, os, pectus, brachia, manus, ac pedes dicendo adscribunt: eademq; iis etiam telis & instrumentis nonnunquam muniunt, quibus eiusmodi membra & artus munus officiumq; suum commo-*

*commodiùs & expeditiùs præstant. Atque hanc rationem illa omnia, & illis non dissimilia plurima spectant:* Exodi 24. *Et viderunt Deum Israel, & sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum cùm serenum est. Nec super reliquos, qui procul recesserant de filiis Israel, misit manum suam.* Exodi 9. *Virtutem etiam efficacitatemque illam supremam Dei digitum præsentem confessi Aegyptij incantatores appellarunt.* Exodi 31. *Duas tabulas testimonij lapideas Dei digito scriptas, Moysi datas legimus. Namque homines, quibus cognoscendarum rerum principia à sensu petuntur, membrorum actiones & munera ex nominibus ipsis velociùs ac citius quàm ex virtute membris insita percipiunt: quippe membra sensibus exposita sunt; virtus verò ex efficientiæ contemplatione intelligitur.* Deut 32. *Leuabo ad cælum manum meam, & dicam: viuo ego in æternum. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & iis qui oderunt me retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes. Nec verò huiusmodi tropis ac translationibus sese suamque vim significaturo in sermone tantùm Deum vsum audire est, sed similium rerum sub humanum sensum & captum cadentium spectris & imaginibus antiquis vatibus & patribus visendum ac referendum præbuisse constat. Atque ita* Isaiæ 63. *Isaiæ vestibus tinctis in visione conspectum legimus;* Exodi 15. *Moysi apud Erythræum mare propugnatoris viri partes agentem; eidem verò in Sina monte vt Israelitarum procuratorem auditum, & aliis alias gerentem personas visum. Quæ omnia apertè docent, nullam illum naturâ certam formam figuramque habere: sed pro rerum atque consiliorum ratione & vsu nunc hanc nunc illam Vatibus, aut iis, quos moneri oportuit, arcano spectro intra mentem, vel etiam corporeis oculis contemplandum præbere: verùm quid verè ipse sit, humanæ mentis acie vlteriùs infinito interuallo ad cognoscendum esse repositum. S.S.E.* Iob 11. *Forsitan vestigia Dei comprehendes? & vsque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? Longior terra mensura eius, & latior mari. Nam philosophantium omnium sapientissimus acutissimoque præditus ingenio Moyses, dum diuinæ naturæ apertam notitiam concedi sibi anxiè & studiosè posceret; id nulli ex Adami genere homini in terris viuenti contingere posse audiuit. Idem verò impensè orando illud singulari retulit dono, vt velut hominem quempiam non ex facie, sed ex posteriore habitu & veste ab aliis hominibus secernere est; ita Deum ab iis quæ à Dei natura distant, à tergo prætereuntem, hoc est, ab effectis & consequentibus omnium mortalium vnus maximè dignoscere posset.* Exodi 33. *Ecce, inquit, est locus apud me, & stabis supra petram: cumque transierit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea donec transeam: tollamque manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. Igitur cùm diuina illa singularisque natura sibi ipsa extra omne corporis genus constet, nihil prorsus quod ad corporum formam rationémve referatur, habet, nec coniun-*

*coniunctionem, nec disiunctionem, nec diuisionem, nec huic oppositam integritatem partium, nec locum, nec mensuram, nec pondus; non ascensum aut descensum, non motum vllum, non eam quæ motum claudit quietem, nec dexteram nec sinistram, nec summum aut imum, nec faciem facieiq́ auersum dorsum, nec habitus formam aliquam, nec vlla affectionum genera, qualia quæ in corporibus degunt, animarum esse solent, vt vita & mors, ignoratio & scientia, stultitia & sapientia, somnus & vigilia, fletus & risus, dolor & gaudium, mæstitia & lætitia, taciturnitas ac facundia: Omnia, inquam, hæc, & quæcunque in horum recensentur generibus, Deo, non vt corporibus vel animantibus quibus contingunt, natura & veritas tribuit. Sed sacra (vti diximus responsa ex hominum (quos hoc pacto instituendos curant) more, lingua, & sermone affingunt. Quamobrem eosdem non semper delapsa cælitus voce, sed aliorum hominum delegatione & operâ docere solent. S.S.E. Multifariam multisq́ modis olim Deus loquens Patribus in* Hebr.1.
*Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio. Nam quicumque* "
*ad sublimiorem diuinarum rerum rationem cognoscendam euecti fuerint, ij profectò nec eandem hominibus propalari fas esse aiunt, nec, si id liceat, verborum tamen orationisq́ suppetere copiam, quibus aperiri explicaríque arcana illa possint, nec in humani sensus aut intellectus vsum & facultatem ea venire asserunt. Scio huiusmodi hominem (siue in corpore, siue extra cor-* 2 Cor.12.
*pus nescio, Deus scit) quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana* "
*verba, quæ non licet homini loqui. & iterum: Quòd oculus non vidit, nec* 1. Cor.2.
*auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui dili-* "
*gunt illum. Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim* "
*omnia scrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt* "
*hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? ita & quæ sunt Dei, nemo cog-* "
*nouit nisi Spiritus Dei. & paulo inferiùs, Animalis, inquit, homo non per-* "
*cipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Idem etiam interpres ministerq́ Dei, omnia* "
*quæ hunc humanæ conditionis locum tenentibus conspiciuntur & cognoscuntur de Deo non clarè, apertè, & vt res habet; sed per speculum in æni-* 1 Cor.13.
*gmate contingere asseuerat. Ex quo consequitur, eadem non suis verbis, quibus apud eos qui Spiritu Dei aguntur, efferri possunt; sed à rerum imagine ac similitudine translatis velut per vmbrã significari: cuius formæ illa sunt: Qui habitat in cælis, irridebit eos; & Dominus subsannabit eos. Tunc lo-* Psal.2.
*quetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos, & ipsi me prouo-* Deut.32.
*cauerunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis. &,* "
*Sicut antè lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vósque mul-* Deut.28.
*tiplicans; sic lætabitur disperdens vos, atque subuertens. Quæ omnia ex ani-* "
*mantis hominis desumpta sermone, si, vt audiuntur, excipienda statuendáque essent, in singularissima illa quietissimáque Dei constantia, ex iracundia sedationem, ex sedatione lætitiam, atque diuersam his multiplicem mutationémque arguerent: à qua se prorsus immunem ipsa vendicat veritas.*

Malach.3. *Ego Dominus, & non mutor. Nam quæcumque mutationi peruia esse possunt, eadem mutationis aut internam aut externam causam habent. Diuina autem singularitas nullam agnoscit causam, sed sibi ipsa integra, absoluta, perfecta, simplex, ac princeps, nulliusq; egens constat.*

# Deum natura vnicum, personis esse trinum.

## CAPVT III.

ATQVE *in illa sanctissima prorsus ac perfectissima naturæ singularitate, personarum trium numerum credere diuinis effatis iubemur: quem vbi crediderimus, non longè petitis argumentis & exemplis, quoad humanum ingenium excipere possit, declarare operæpretium fuerit. Diuinæ Naturæ immensam incomparabilemq; sapientiam non modò sacra scripta & responsa tribuunt; sed ipsa humanæ mentis cogitatio & contemplatio concedit. Nihil enim boni ac perfecti excogitari in rebus potest, quod illa sanctissima singularitas non sibi proprium constansq; vendicet. Interea verò*

Sapientia. *quæ optima atque summa habentur, Sapientia est: quam qui possidet, & sa-*

Prou.8. *piens & beatus dicitur. S. S. E. Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad*

" *fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, in-*

" *ueniet vitam. Neminem verò mentis compotem hominem fore, qui, quæ in hominum animis bona probandáque sint, confessus, eadem suprema atque infinita in natura Dei non agnoscat, nisi quippiam in infimis rebus esse singulare velit, quo immensa illa careat singularitas. Quamobrem necesse est, Deum & sapere, & intelligere ea omnia quæ intelligi, intellectuq; cognosci digna sunt, quo in genere diuina ipsa Natura præstantissimam nulli aliæ vel naturæ vel rei comparabilem occupat laudem. Quidquid verò Natura illa diuina est, quidquid sibi vendicat, infinitum omnino atque singularissimè absolutum & perfectum infinitè est (nobis non ampliora ac sublimiora scientibus huiusmodi voces vsurpare sit fas) id, inquam, omne, vti est, ab ipsa*

1 Cor.12. *Natura perfectissimè cognoscitur. S. S. E. Quæ sunt Dei, nemo cognoscit,*

" *nisi Spiritus Dei. Cognitionem verò ab ipso cognoscente distinctam esse, & natura docet, & humana etiam declarat experientia. Quippe alia agentis, alia actionis ipsius consideratio est. Eam verò quam diuina illa mens notitiam sui ipsius habet, secundam personam in diuinis esse dicimus, cui sacra oracula & Verbi & Filij nomen indidere. Et Verbum quidem, vt ad hanc tractationem appellabitur, non tantùm oris pronunciatum dici volumus; sed rem etiam intelligentis animo & cogitationi obiectam, & rei ipsius cognitionem certam. Namq; hæc omnia & vocabulum Græcum λόγος, & maxi-*

דבר *mè primæua ac sacræ linguæ vox* DABAR *significat. Tum cognitio illa, quòd cognoscentem ipsum eundémque cognitum exactissimè refert & exprimit, nomi-*

*nominatur Filius, quem eiusdem cum Patre cognoscente naturæ, eiusdemq́ omnino substantiæ esse illa diuina singularitas demonstrat: quippe cùm nihil in Deo esse poßit, quin idem singularis atque vnicus Deus sit. Iam quòd Verbum hoc ex sapiente Deo profectum æternam ac perpetuam sapiendi & intelligendi actionem Patri tribuit, eandemq́ sibi etiam iure suo adscribit, Sapientia absolutè, siue Sapientia Dei dicitur: quæ cùm idem cum Patre sapiat, quippe quæ idem cum illo vnicusq́ sit Deus; eadem sapientia est, qua Pater se ipsum, & Filium, & qua Filius Patrem à quo gignitur, & se ipsum cognoscit genitum, & ex consequenti vtraque persona cætera cognoscit omnia, quæcumque esse, aut cognosci possunt. Si quidem quidquid cætera sunt, quidquidve esse possunt, singularitati illi ac virtuti efficientiæq́ diuinæ, vt suo loco declarabitur, acceptum referunt. Atque idem ex illo iam citato menteq́ sæpius repetendo oraculo firmatur: Non est præter eum. Ex* Deut. 4.
*quo etiam vnicum Verbum, siue Filium vnicum, statui necesse est. Quem splendorem Patris, & figuram substantiæ eius, sacra scripta nominant. Diuinæ autem substantiæ splendorem & figuram substantiam & esse & dici, illa eadem singularitas docet: non alteram, inquam, sed eandem vnicam & simplicißimam cum Patre substantiam. Cuius rei exemplũ opportunum & commodum Solis natura & virtus proprio loco demonstranda præbebit. Atque hoc idem Verbum ipsum Patris, cùm sese in carne mundo visibile exhibuit, de se Patreq́ suo profitebatur, Ego, inquiens, & Pater vnum sumus. quem sermonem modò tantùm citatum percurremus, illud interim adnotantes, Naturæ & Substantiæ singularitatem vocabulo, Vnum, significatam esse. Itaque Intellectum, Intellectionem, siue Sapientiam, siue Verbum Dei, & Filium Dei, & eundem cum Patre vnicum Deum confitemur. Vt plures verò Deos esse posse existimemus, nulla vel humana vel philosophica ratio ac disputatio efficere valet. Iam verò Pater Filium illum suum, vt à se genitum, vtq́ suæ omnino bonitatis & singularitatis plenum integrumq́ exemplar, semper præsens, idemq́ secum vt amet, consequitur: quandoquidem summè bonum summè etiam amabile esse constat. Rursus verò Filius Patrem summum bonum, à quo gigni atque genitum sese nouit, pari omnino æternaq́ beneuolentia & charitate amat. Ita fit vt mutuum* Amor.
*vterque, quo sese diligant, spirent amorem; quem amorem simplicem etiam, eundemq́ cum Patre & Filio Deum, eandem vnicam substantiam esse, singularitas diuina declarat: quamquam procedendi atque emanandi ratione distinguat, & tertiam personam appellandam concedat. Vt verò ad summam nobis redigatur sermo, Deus quin se ipsum intelligat, & cognoscat, esse non potest: Intellectio & cognitio à Deo genita Filius dicitur, idémque Dei Sapientia appellatur; quæ & se & Patrem cognoscit, agnoscitq́ suum: ex vtriusque verò mutua cognitione vtriusque procedit immensus, infinitus, æternusq́ Amor. Qui, vt ab vtroque spiratur, sanctus dicitur Spiritus, eiusdem omnino ac singularis cum Patre ac Filio sanctitatis, eiusdem virtutis,*

*tutis: eiusdem quippe substantiæ compos, nulla in se naturæ diuisione, sed personarum tantùm & nominum personis inditorum admissa distinctione; ita tamen, vt quidquid ab his tribus personis extra seipsas agatur efficiatúrque, ab vnico ac singularissimo Deo agi effici'q; intelligamus. Eiusdem namque substantiæ ac naturæ virtutem & efficientiam quoque esse oportet eandem. Etenim vt intelligentis ac liberæ naturæ actio tribus omnino è principiis proficiscitur, intellectione (quam eandem cognitionem siue sapientiam dicimus) efficacitate (quæ potestas etiam & facultas Latinè appellatur) & voluntate (cui etiam consilij nomen imponitur:) hæc omnia vni Deo ita propria, certa, pariterq; æterna sunt, vt & singulis personis conueniant, quarum vnica natura est; & singula etiam singulis singulari ac propria ratione tribuãtur: Patri potestas & efficacitas, Filio sapientia, Spiritui sancto consilium & voluntas, cùm tamen & Pater sapere, & posse, & velle; Filius item, & sanctus etiam Spiritus nihilominus sapere, & velle, & posse, verissimè dicantur. Vnde & Filius Patris dextera, & Spiritus sanctus Dei digitus, & alius tres ipsæ personæ tum verbis communicant, tum nominibus indigetantur; quod cæterarum extra se rerum efficientiam, rationem, & gubernationem spectat. Atque antiquioris doctrinæ temporibus, Dei diuinarumq; personarum notitia quamquam rerum & actionum commemorationibus sparsa fuerit, atque vatibus quidem communicata, certis tamen coniecturis magis quàm perspicuis sermonibus capienda tradebatur; apertis verò nominibus ad recentioris vsque Testamẽti ætatem non fuit publicata. Legimus enim in antiquis chartis, à Deo hominem fabricare parante illud pronunciatum: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinẽ nostram. Legimus, In principio creauit Deus cælum & terram. vbi verbum, Creauit, primæua in lingua singulariter, nomen verò* ELOHIM *plurali numero scriptũ exstat. Legimus, Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. &, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. &, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. &, Emitte Spiritum tuũ, & creabuntur: & renouabis faciem terræ. & canentes ac poscentes Vates ita audimus: Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. &, Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Legimus præterea, audimusq; innumera alia huius inuestigandi arcani argumenta: verùm nihil æquè clarum apertumq; accepimus, atque illa: Ite, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. &: Tres sunt qui testimonium » dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Quis est mendax, nisi is qui negat quòd Iesus est Christus? hic est Antichri» stus, qui negat Patrem & Filium. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet. &, In hoc scimus quoniam ma» net in nobis, de Spiritu quem dedit nobis. & sexcenta alia in recentioribus sparsa chartis.*

[Margin notes: Doctrina antiqua & recentior. — Genesis 1. — Ibidem. — Psal. 32. — Psal. 109. — Psal. 2. — Psal. 103. — Psal. 50. — Ibidem. — Matth. 28. — 1 Ioan. 5. — 1 Ioan. 2. — 1 Ioan. 3.]

De

# De Nominibus Dei.

## CAPVT IIII.

DIVINÆ *naturæ singularem maiestatem humani sermonis facultas nullo nomine dicere potuit, quo rei ipsius immensa tum veritas, tum virtus vel circumscriberetur, vel significaretur. Nam cuius nullus est finis & modus, eiusdem negatur esse definitio. Nominum autem sapienter impositorum eadem cum definitione significatio est. quamquam breuiori oratione, hoc est, vnius vocabuli compendio pronunciata. Atque antiquissima imponendorum nominum ratio ex certa virtutis efficientiaq́; rerum cognitione petebatur, qua sapientissimus initio hominum omnium secutus certis vnumquodque animatium genus appellasse nominibus dicitur. S.S.E. Omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. quo orationis tropo & illi cunctarum animantium naturam exactè notam, & certis nominibus descriptam intelligimus. Verumtamen nec primo illi, nec cuiquam præterea ex illius posteritate homini, singularem hanc, de qua nobis instituitur sermo, immensitatem fuisse exactè cognitam, atque ex consequenti, nec certo proprio ac prorsus digno vocabulo nominari potuisse, ipsa rei amplitudine confirmare possumus: & eorum etiam sapientum confessione, qui fortè, quidnam Deus esset, rogati, se potiùs quid non esset respondere ac declarare posse, affirmauere. Quin ex Angelis per homines quæsitum, tamen, vt admirabile, humanisq́; auribus maius, minimè relatū, auditumq́; fuit. S.S.E. Interrogauit eum Iacob, Dic mihi quo appellaris nomine? Respondit q́;, Cur quæris nomen meum? Verùm enimuero ipsa illa diuina singularitas, quamquam natura sua humanæ mentis aciem, nedum sermonis vim, infinito superet interuallo; tamen sese hominibus ipsis, quoad id fieri expediret, non modò cognoscendam, sed insinuandam; immo (quod amplissimum beneficium censetur) communicandam vltro præbere voluit, & sermoni accommodauit hominum, & certis nominibus significandam potiùs quàm definiendam permisit, id quod ad diuinæ beneficentiæ & misericordiæ laudem, inter alia plurima, commemorare solent Vates. S. S. E. Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra? Diuinorum autem nominum quædam ab ipso Numine, vel ab Angelo quopiam numinis partes agente, certa voce signata fuerunt; quædam verò à Vatibus, hoc est, ab hominibus Deo afflatis, ac dictante Numine edoctis, oportuno tempore pronunciata; nonnulla etiam ex communi sermone admissa & consecrata, dignitatem amplitudinemq́;, approbante cælo, meruerunt. Atq; ad hanc tractationem antiquissimæ ac primæuæ linguæ potissimùm habenda ratio est, qua primos hominum vsos, atq; adeò Numen ipsum homines allocutū, suo loco comprobabimus: cæteras verò omnes, quamuis cultissimas, ex hominum consensu & inuentione magis* quàm

Genesis 2.

Genesis 32.

Psal. 112.

Nomina sacra.

Lingua primæua.

In libro De communi omnium linguarū arte.

*quàm singulari aliqua Dei lege & institutione profectus in vsurpationem venisse. Illa igitur, quæ vt sacra præcipuè appellaretur lingua, iam pridem apud doctos ac pios obtinuit, triplicem hanc quam facimus diuinorum nominum rationem ita expedit, vt duo tantùm à Numine primùm pronũciata indicet consonantibus, elementis quaternis constantia,* IHVH, & EHIH; *quæ admotis ex artis ratione & lege vocalibus, ita pronuncianda censentur,* יהוה IEHVE, & EHIEH. *Atque hæc sacrosancta arcana ac reuelanda dicun-* אהיה *tur nomina, quibus Natura diuina, quamquam non comprehenditur, ad sapientiæ tamen, quæ contingere homini potest, oportunam rationem explicandam, commodissimè indicatur: his verò duæ Latinæ voces,* ERIT, *atque* ERO, *non pleno significato, sed significati vmbra & imagine quadam respondent. Nec verò hoc loco, vel quæ ab aliis de his nominibus dicta sint, referre; vel quæ à nobis obseruata, proferre est animus: cùm maioris negotij* Libro Ioseph. *id, nec huius instituti fuerit, sed ea tãtùm quæ in Apparatu sacro docebamus, commemorare sat fuerit; videlicet altero ex his nominibus audito, non diuinæ naturæ modò, sed æternitatis etiam illius nulla indigentis externa ope, & misericordiæ ac bonitatis in promittenda hominum salute & felicitate, nec non & constantiæ in apparanda & præstanda, in audientis mentem venire oportere, cuiusmodi rationum contemplatione, & nominum vsurpatione, complura à sacris Vatibus in hunc modum diuinæ beneficentiæ celebrantur* Psal. 6. *monumenta. Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est,* » *& tibi Domine misericordia; quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua. Mi-* Psal. 83. *sericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Domi-* Psal. 88. *nus. Misericordia & veritas præcedent faciem tuam. Fuit autem horum duorum nominum tanta apud veteres & priscos maiestas & authoritas, vt vulgaris etiam vsurpatio sancta, augusta, ac religiosissima, nec nisi Pontificibus inter sacra familiaris duceretur. Ex eoq; factum est, vt aliorum nominum pro his frequentissima appellatio in vsum concesserit, non illius tãtùm primæ linguæ compotibus, sed iis etiam quibus in alias linguas transferendi interpretibus cura suscepta est. Post hæc autem duo, quæ ad vnius verbi originem referuntur, secunda ratio eorum fuerit, quæ à sacris Vatibus nuncu-* צבאות *pata ac decantata exstãt, complura quidem, sed in his vnicum* TSEBAOTH, 1 Sam. 1. *quod in Hannæ, Samuelis matris, domo auditum primò, postea verò deinceps in sacros sermones receptum celebratumq; fuit, in his præcipuè argumentis, quæ diuinam potentiam, atque iniuriarum vltionem spectant.* Psal. 42. *S.S.E. Dominus Deus* TSEBAOTH, *ipse est Rex gloriæ. &, Principes tui* Isaiæ 1. » *socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non* » *iudicant, causa viduæ non descendit ad eos. Propter hoc ait Dominus Deus* » *exercituum, fortis Israel: Heu, consolabor super hostibus meis, & vindi-* » *dicabor de inimicis meis.*

*Quatuor præterea frequentissimè decantata nomina,* ELOHA, ELOHIM, ADONAI, SADAI, *cum duobus aliis ex horum partitione factis,* EL, *&*

*& IAH, ex communi sermone petita, atque diuinæ naturæ per excellentiam tributa sunt; quòd ea siue potestas, siue virtus & efficacitas, siue alia quauis ratione facultas, quæ nominibus significaretur huiusmodi, nulli æquè atque singularitati illi supremæ vendicari posset, vel potiùs nulli alij naturæ, præter illius efficientiam & voluntatem inesse. S. S. E. Et incuruabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus conterentur. & rursus, Tantùm in te recordemur nominis tui. Eandem verò præstantissimam diuinorum nominum singularitatem ita Psaltes celebrandam commendabat: Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini. Quia exaltatum est nomen eius solius. Confessio eius super cælum & terram. Nominum autem horum significationes quo pacto Latinis verbis explicare conati, ita reddemus, vt* ELOHA, *Principem, Prouidentem, Rectorem, & Gubernatorem, Iudicem, & Prospectorem, atque etiam consilij authorem interpretemur; idemq; nomen multitudinis numero* ELOHIM *pronunciatum, maximam & abundantissimam eorundem numerum, facultatem, & copiam indicet; ita vt vel plures intelligantur principes, vel, si vnus sit, is, cui nomen plurale tribuitur, plurimorum principum authoritatem amplitudinemq;, sibi vendicet. quamquam & hoc nomen, vbi de diuina dicitur natura, ad Trinitatis quoque mysterium pertinere à piis creditur. Cuius nominis pars prima* EL, *quæ propter significationis præstantiam longiori pronunciatur voce, fortitudinem & potentiam significat, atq; ita à Latinis interpretibus in vocem,* FORTIS, *conuertitur.* ADONAI *verò, quod in ordine tertium indicabamus, imperium dominationemq; illi, cui tribuitur, adscribit, siue ea ex ingenito legitimoq; iure possideatur, siue officio, atq; consensu, & concessione arrogentur. Cuius verbi singularis numerus* ADON, *pluralis verò* ADONIM *sonat; coniunctum porrò possessiuo singulari, in illam* ADONAI *formam transit: quam Latinus interpres interdum in Dominum meum, sæpissimè verò absolutè in* DOMINVM *conuertit. Atq; hoc ipsum nomen* ADONAI, *sacrosancto illi, rariusq; propter reuerentiam pronunciato,* IEHVEH, *vicarium plerumque, tum in lectione, tum in sermone succedit. neq; id apud sacræ linguæ peritos modò, sed apud Græcos etiam & Latinos obseruatur interpretes: namq; illi κύριος, hi Dñs propè semper pronunciant.*

Isa. 2. / " / Idem 26. / Psal. 148. / Psal. 13. / " / אלאה / אלהים / אל / אדני

*Illud porrò nomen* SADAI, *beatitatem, opulentiam, atque nullius externæ vel opis vel rei indigā copiam, &, vt iam Latinè dicere liceat, Omnipotentiam, augustissima voce significat, vt nihil omnino bonis omnibus affluentius excogitari possit: idem etiam beandis atq; efficiendis, beneficióque augendis rebus, aliis omnibus efficacitatem ac felicitatem asseuerat. S. S. E. Ego Dominus Sadai, ambula coram me, & esto perfectus, & multiplicabo te vehementer nimis. Vltimum denique ex iis quæ citauimus,* IAH, *prior illius arcanæ & sacrosanctæ vocis* IEHVEH, *mutata tantùm vocali, pars est, ad eandemq; significationis maiestatem refertur, atq; à Vatibus plerumq; in* שדי

*carmi-*

carminum structuram & modos vocatur, vt Halleluiah. Ex his autem quæ iam explicauimus, illud liquet, videlicet, præter tria illa ex eodem verbo deducta nomina, EHIEH, IEHVEH, & IAH, quibus diuinam maiestatem, & singularitatem illam naturæ singulari quodam modo significari docebamus, cætera omnia vim, efficientiam, authoritatemq; afferere. quamobrem à diligentibus verborum ac sermonum artis censoribus, pronomina ea potiùs quàm nomina dici debere iudicantur, siue appellatiua, & pluribus communia magis quàm propria: ita tamen vt diuinæ naturæ per præstantiam, excellentiam, sanctitatemq; deferantur, aliis verò omnibus, de quibus dici eadem sit fas, non nisi vel secundario ac deducto iure adscribantur, sicut nomina, Sapiens, & Psaltes, quorum alterum Salomoni, alterum verò Dauidi simpliciter pronunciata, inter antiquos viros conceduntur. Atque ita quod ad ELOHAH & ELOHIM spectat, cuius significationem ex prouidentiæ ratione, atq; mundi & humanarum rerum cura explicuimus, ita sibi præcipuè atq; vnicè diuina illa asserit natura, vt nulli alij vel secundas, vel tertias deferat, sed tantum Angelis atq; hominibus ex ea potestate impertiatur, quantum pro cuiusque ingenio, proq; commissi muneris vsu &
Psal. 46. ratione communicãdo, ipsa vltro definiat. S.S.E. Vacate, & videte quoniam » ego sum ELOHIM, & quoniam Rex omnis terræ ELOHIM, Psallite sa-
Ibidem. pienter. Regnabit ELOHIM super gentes: ELOHIM sedet super sedem
Deut. 32. sanctam suam. Videte, inquit ipse, quòd ego sum solus, & non est alius » ELOHIM præter me. Ego occidam, ego viuere faciam; percutiam, & ego » sanabo: & non est qui de manu mea possit eruere. Et apud Isaiam Ezechias
Isaiæ 37. Rex in hunc modum professus orabat: Domine exercituum Deus Israel, qui » sedes super Cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terræ; tu fecisti » cælum & terram. Inclina Domine aurem tuam, & audi: aperi Domine » oculos tuos, & vide, & audi verba Sennacherib, qui misit ad blasphemandum » Deum viuentem. Verè enim, Domine, desertas fecerunt Reges Assyriorum » terras & regiones earum, & dederunt deos earum igni; non enim » erant ELOHIM, sed opera manuum hominum, lignum & lapis: & comminuerunt » eos. & nunc Domine Deus noster, salua nos de manu eius; & » cognoscant omnia regna terræ, quia tu ipse es ELOHIM solus (LEBADE-
Isaiæ 40. CHA ad singularitatem tuam.) & apud eundem, Numquid nescis, aut non » audisti? ELOHIM, sempiternus mundi Dominus, qui creauit terminos » terræ: non deficiet, nec laborabit, nec est inuestigatio sapientiæ eius. Et Iere-
Ierem. 10. mias etiam Vates ita canit: Dominus ELOHIM, viuens, & Rex sempi- » ternus: ab indignatione eius commouebitur terra, & non sustinebunt gentes » comminationem eius. Sic ergo dicetis eis: Dij qui cælum & terram non fecerunt, » pereant de terra, & de iis quæ sub cælo sunt. Qui facit terram in » fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit » cælos. Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cælo, eleuat nebulas ab » extremitatibus terræ: fulgura in pluuiam facit, & educit ventum de thesauris

*ſauris ſuis. Atque huius, cuius numine mundum factum regi etiam & gubernari Prophetæ omnes docent, nomen* ELOHIM, *interdum cæleſtibus animis, interdum etiam hominum ordinibus quibuſdam, non ex ingenito & natiuo iure, ſed ex munerum partitione conceſſum adſcribi, teſtimonium illud planè declarat: Ego dixi,* ELOHIM *eſtis, & filij excelſi omnes, vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de principibus cadetis.* ELEI ELOHIM, *id eſt, fortiſsimus Deorum Dominus locutus eſt, & vocauit terram. Et Aaron frater tuus Leuites ſcio quòd eloquens ſcit, ecce ipſe egredietur in occurſum tuum, vidénſque te, lætabitur corde. Loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & oſtendam vobis quid agere debeatis; & ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris ei* LE ELOHIM, *in iis quæ ad Deum pertinent. Fungeris, inquit, munere & authoritate* ELOHIM *apud illum. Rurſus etiam dixit Dominus ad Moyſem: Ecce conſtitui te* ELOHIM *Pharaonis. Quibus omnibus, compluribúſque aliis ſacrorum librorum locis,* ELOHIM *nomen Latini interpretes aliquando in Deum, vel Deos; aliquando in Iudicem, vel Iudices. pro ſententiæ ratione ac perſpicuitate vertunt. Atque hoc nomen* ELOHA, *ſiue* ELOHIM, *ante Moyſem Prophetam, primúmque ſacrorum foliorum ſcriptorem, gentibus notum, celebre, & cultum fuiſſe, multa teſtimonia declarant. Et dixit Noah: Benedictus Dominus* ELOHIM *Sem, dilatet* ELOHIM *Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem. Abrahamum quoque ſæpius ab* ELOHIM *vocatum, conuentúmque & Abimelechum etiam regem admonitum legimus, & aliquanto pòſt tempore dixit Abimelech, & Phicol princeps exercitus eius, ad Abraham.* ELOHIM *tecum eſt in vniuerſis quæ agis; iura ergo per* ELOHIM, *ne noceas mihi, & poſteris meis, ſtirpiq; meæ. & Hethæi ciues Abrahamum principem* ELOHIM *apud ſe haberi pronunciarunt. Quin & primis illius linguæ initiis eum qui orbem creaſſet, ac regeret, hoc nomine appellatum conſtat. Cur, inquit coluber, præcepit vobis* ELOHIM *vt non comederetis ex omni ligno paradiſi? Quam etiam vocem in colloquio eodem, feminam vſurpaſſe legimus: De fructu ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis* ELOHIM *ne comederemus, & ne tangeremus illud. Atque horum rationes nominum plenè quidem aliàs per opportunitatem, ſed in ſacro Apparatu pleniùs tractare ſolemus.*

Pſal. 81. Pſal. 50. Exodi 4. Exod. 7. Gen. 9. Gen. 16, 17, 18. Gen. 20, 21. Geneſis 23. Geneſis 3. Lib. Ioſeph.

# De Prophetis.

## Capvt V.



*Evm hunc, cuius quæ frequentiora reperiuntur nomina indicauimus, hominum generi sese, consiliúmque suum insinuare, & quatenus fas esset, declarare vltro voluisse, ex sacra lectione cognouimus: id quod quondam Angelorum ministerio, per certos quosdam ad eam rem dilectos homines, expeditum fuit. Namq; hoc sapientiæ diuinæ rationi concinnum consonumq; erat, vt hominum, qui sensuum vsu, ad ea quæ sensibus ignota remotaq; habentur, intelligenda indigent, magistri ac monitores ab ipso maximo doctore excitati & positi exstarent, quos Græcus sermo μαντεῖς, siue προφήτας; Latinus verò, Vates, appellat. Satis autem fuit antiquis quondam temporibus Deum ipsum & alloqui posse, & collocutum fuisse, publicéque auditum constare, vti antea differebamus; idq; per cælestes Spiritus, quos Angelos nominamus, factitatum. Satius quoque antiquioribus iam peractis seculis, eundem per proprium Filium populo verba fecisse, vt & colloqui posse, & velle planè crederemus Deum. Cæteras verò diuinarum atq; humanarum rationes rerum, fidelibus à se institutis & instructis nuncius, ex hominum genere commissas accepimus; quibus ea habenda esset fides, quæ certo authoramento instructis ministris & interpretibus haberi debuit. Horum verò Vatum non vna atq; eadem vel creandi forma, vel agendi norma & ratio fuit; nec idem excipiendi modus auditura genti præscriptus: quamquam omnibus, ne de rebus iisdem pugnantia dissentaneáve dicerentur, fuerit cautum. Quippe vni Moysi, cui conciliandæ gentis, atq; instruendæ Reipub., describendarumq; legum publica cura atque authoritas committebatur, sciscitationis & colloquij simplex quædam ac familiaris facultas concessa quondam fuit; cæteris verò, ad Ioannem vsque, Zachariæ filium (de quo suo dicetur loco) longè alij, minusq; ad aurium sensum apti modi, ad diuini consilij percipiendam sententiam, sunt*

Num. 12. *adhibiti. S. S. E. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: at non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelißimus est. Ore enim ad os loquar ei. palàm, & non per enigmata & figuras, Dominum videt. Quemadmodum verò ij vel animo, vel corpore affecti, diuini consilij compotes consciique reddantur, in operis huius corpore significabitur. Neque verò vaticinandi munus & officium, quamlibet Vatibus adscribatur, pro hominis ipsius arbitrio aut libidine suppeditatur, ita vt cùm ille velit, oracula repentè fundat; sicut cantor aut artifex aliquis, qui percepta semel arte pro animi sententia vti potest: sed eo tantùm tempore, ac tam diu id agere visus est, dum vt fiat diuino consilio commodum opportunumq; iudicetur. Ita alij pluribus, alij paucioribus*

argu-

*argumentis; breuiori alij, quidam longiori temporis vaticinantur spatio. S. S. E. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia; sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Quos quia sanctos appellari audimus, pro seculorum ratione & vsu integræ probatæque Deo vitæ agnitos atque delectos, & eodem etiam nomine iis, ad quos mittebantur, cognitos & exploratos fuisse, intelligi oportuerit. Huiusmodi autem ministros à se primùm cum mandatis destinatos, præter vitæ opinionem & iudicium, certa signorum authoritate instructos & confirmatos legimus. Consentaneum namque rationi atque rerum cùm priuatarum, tum publicarum vsibus & commodis fuerit, vt, qui de magnis causis à maximo principe legati fuerint, nec sine opportunis atque expressis legationum testimoniis & ornamentis mittantur, nec iis, quibus cum acturi fuerint, alio excipiantur pacto, præsertim vbi noui, ac præter mores aut receptam iam viuendi & agendi consuetudinem, argumenti expositores accedunt. Quamobrem Moyses, cùm huiusmodi ad gentem suam, atque Aegyptiam aulam suscipere iussus partes, ex innata viro prudentia & modestia detrectare niteretur, obiciebat: Non credent mihi, nec audient vocem meam, sed dicent, Non apparuit tibi Dominus. Dixit ergo ad eum: Quid est quod tenes in manu tua? Respondit: Virga. Dixitque Dominus: Proijce eam in terram. Proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses. Dixitque Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, versaque est in virgam. Vt credant, inquit, quòd apparuerit tibi Dominus Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Dixitque Dominus rursum, Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ. Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. Quòd si nec duobus quidem his signis crediderint, nec audierint vocẽ tuam: sume aquam fluminis, & effunde eam super aridam; & quicquid hauseris de fluuio, vertetur in sanguinem. Hac ratione, atque lege hac, Vatum omnium, quicumque à Deo missi fuere, primam authoritatem apud eos, quibus mittebantur, constabilitam intelleximus, à Moyse ad Iesum vsque Nazarenum, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone coram Deo, & omni populo. Verùm enimuero authoritatis atque fidei Vatibus conciliandæ & adstruendæ nec simplex modus, nec ratio vna fuit; sed certis vel miraculorum, vel prædictionum, atque euentuum declaratis tamen atque exceptis tum lege, tum vsu generibus assignata. Quibus tamen omnibus humana maiorem efficientiam adscribi necesse fuerat. S. S. E. Contestante Deo signis & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus, secundùm suam voluntatem. Atque huiusmodi certum iam & exploratum voluntatis, consilij, ac mandati sui nuncium simplice constanteque fide, & pio officio, opportunóque obsequio iis, ad quos delegaret, exceptum Deus voluit, ac lata*

[Marginal notes: 2 Petri 1. (at "Non enim voluntate humana"); Exodi 4. (at "Non credent mihi"); Lucæ 24. (at "qui fuit vir Propheta"); Hebr. 2. (at "Contestante Deo")]

Deut. 18. *explicataq; sanxit lege: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum,*
» *similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loquetúrque ad eos omnia quæ*
» *præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire*
» *noluerit, ego vltor exsistam. Sed vt vero consiliorum sermonúmque diuinorum Vati ac nuncio certam, constantem, & obsequio probandam fidem ac religionem præstari oportuit; ita rursus quemcumque arroganti, audaci, vel temerario ausu legationis diuinæ quamlibet honestam speciem prætendere atq; ementiri accideret; non tantùm turpi repulsa explodendum, sed graui supplicio damnandum ac vindicandum Deus idem censuit: qui non modò hoc lege cauit; sed, quemadmodum verax à mendace Vate dignosci posset,*
Ibidem. *periculi faciendi duplex præscripsit examen. Propheta autem qui arrogantia*
» *deprauatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi vt dice-*
» *ret, aut ex nomine aliorum deorum, interficiatur. Quòd si tacita cogitatione*
» *responderis, Quomodo possum intelligere verbum, quòd os Domini non est*
» *locutum? hoc habebis signum. Quod in nomine Domini Propheta ille præ-*
» *dixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est locutus; sed per tumorem*
» *animi sui Propheta confixit; iccirco non timebis eum. Atque ita huiusmodi Vatum veritatem & authoritatem duplici trutina expendendam, & comprobandam, legis author significauit, nempe prædictionum vel signorum veritate, atque constante sequaceq; euentu, & mandatorum argumento & exemplo. Neque enim signorum prænunciatorum euentus quemquam probari persuasit, nisi eundem doctrinæ professio integra & sana, ac nihil cum latæ iam & confirmatæ legis germana sententia pugnans, comprobaret, audiendumq; commendaret. Quamobrem duo exceptionis membra præscripta accepimus, alterum fuit, Quæ ego non præcepi illi, vt diceret; alterum verò, Aut ex nomine aliorum deorum. Quidquid enim à constitutæ iam legis norma, ac sensu, vel minima ex parte discreparet, id ad aliorum potiùs deorum cultum, atque ad superstitionis insaniam, quàm ad veræ pieq; vitæ artem &*
Deut. 13. *disciplinam referendum fuit. S. S. E. Si surrexerit in medio tui Prophetes,*
» *aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atq; portentum, &*
» *euenerit quod locutus est, & dixerit tibi, Eamus, & sequamur deos alienos,*
» *quos ignoras, & seruiamus eis; non audias verba Prophetæ illius, aut som-*
» *niatoris; quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat vtrùm dili-*
» *gatis eum, an non, in toto corde vestro, & in tota anima vestra. Dominum*
» *Deum vestrum sequimini, ipsum timete, & mandata illius custodite, & au-*
» *dite vocem eius: ipsi seruietis, & ipsi adhærebitis. Propheta autem ille, aut fi-*
» *ctor somniorum, interficietur: quia locutus est vt vos auerteret à Domino*
» *Deo vestro. Veracem itaq; Vatem attentè ac piè excipiendum, & pro legationis ratione, religiosè obsequente officio, obseruandum, sacra præcepit Vox,*
Adnotatio pro tépore. IPSVM AVDITE. *Exsistunt autem aliquando tempora, in quibus vir quispiam grauis aliàs & vaticinandi testimonio, hoc est, signo quopiam ornatus, nec hactenus mendacij exceptione vlla redargutus, nonnihil vel suadeat,*

*deat, vel præcipiat quod à præscriptæ & vsu receptæ doctrinæ aut norma, aut formula aliqua, dissentaneum videatur, cætera tamen integer atq; sibi constans probetur. Quo quidem in loco, illius, ad quem missus dicetur, vel hominis, vel populi partes fuerint; examinata priùs professionis oratione, & signi veritate, fidem & obsequium in ea re præstare, quæ pro temporis & negotij vsu imperetur, quamlibet ea noua fuerit. Quippe duorum legitimè productorum, atque fide aliàs commendatorum testium, quamquam singulare aliquod testimonium, vt verum non sit, accidere possit; tamen in iudicio admittendum præcepit Lex. In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.* Deut. 19. *Atqui vaticinij siue prophetiæ authoritatem duobus tantùm testibus expendere docuit Deus; id est, Diui nominis nunciatione & professione, atq; manifesti signi exemplo & spectaculo. Qui verba eius quæ loquetur in nomine meo: &, Quod in nomine meo Propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est locutus. Sic enim Eliam præter præscriptam sacrorum formam, aras alieno loco exstrui, & hostiis nouo modo ponendis imbui iubentem, non impunè modò, sed cum laude atq; vtilitate Israelitarum gens audiuit, id quod euentus ipse Deo Vatis voci, precibus, atque studiis adnuente, comprobauit: cùm tamen aliàs aut aram poni, aut sacra fieri extra singularem templi atq; vnicum locum, nefas censeretur. Verùm Vati grauissimo, ac sanctissimo viro, & signorũ veritate antea exornato, ac Dei partes in illa re, quæ agebatur, prædicanti, credendum & parendum fuit: cùm hæc, quæ populi examen exspectarent, publica essent, & manifesta; quæ verò intra viri mentem animúmque versarentur, veráne an conficta fuissent, vnius Dei omnia pernoscentis iudicio committenda relinquendáque censerentur. S. S. E. Abscondita Domino Deo nostro quæ manifesta sunt nobis & filiis nostris. & alio in loco, Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Deut. 29. 1 Sam. 16. *Verùm enimuero huiusmodi rerum genera, quæ hominum iudicio occulta videbuntur; an Deo probata & rata fuerint, exspectatum porrò, & non multo pòst, vel vnum, & nullum, vel certo exemplo consecutum euentum manifestè declaraturum intelleximus. Ita enim Eliæ iussa, ex Dei mente consilioq; profecta, manifestus mox euentus plaudenti & acclamanti populo, confirmauit. S. S. E. Cumq; iam tempus esset vt offerretur holocaustum, accedens Elias Propheta (Prophetæ nomen & officium professus) ait, Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel, ostende hodie quia tu es Deus Israel, & ego seruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me Domine, exaudi me: vt discat populus tuus iste, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertisti corda eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam quæ erat in aquæductu, lambens. Quod cùm vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait, Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* 3 Reg. 18. *Quamobrem legationis ac vaticinij sui authoritatem primam, certissimis professionis atq; signorum testimoniis confirmatam, inuidiosè*

 *tamen*

*tamen repudiatā, iis, ad quos boni nuncij sui legatus destinabatur, obijciens,*
Ioan. 15. *& culpæ adscribens, Iesus Nazarenus aiebat: Si non venissem, & locutus*
„ *eis non fuissem (Dei nomine) peccatum non haberent, nunc autem excusa-*
„ *tionem non habent de peccato suo. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius*
„ *fecit, peccatum non haberent. Atque hanc examinandæ Vatum atque Legatorum*
*veritatis & fidei rationem vt certam constantemque, ita demum hominibus*
Ierem. 28. *obseruandam Ieremias ex Dei mandato indicauit, sic inquiens: Dixit ad me*
„ *Hananias filius Azur Propheta de Gabaon, in domo Domini, coram sacer-*
„ *dotibus & omni populo, dicens: Hæc dicit Dominus Deus exercituū, Deus*
„ *Israel, Contriui iugum Regis Babylonis. Adhuc duo anni dierum, & ego*
„ *referri faciam ad locum istum omnia vasa domus Domini, quæ tulit Nabu-*
„ *chodonosor Rex Babylonis de loco isto, & transtulit ea in Babylonem. Et Ie-*
„ *choniam filium Ioachim Regem Iuda, & omnem transmigrationem Iuda,*
„ *qui ingressi sunt in Babylonem, ego conuertam ad locum istum, ait Domi-*
„ *nus: conteram enim iugum Regis Babylonis. Et dixit Ieremias Propheta ad*
„ *Hananiam Prophetam in oculis sacerdotum, & in oculis omnis populi qui*
„ *stabat in domo Domini, & ait Ieremias Propheta, Amen, sic faciat Domi-*
„ *nus: suscitet Dominus verba tua quæ prophetasti: vt referantur vasa in do-*
„ *mum Domini, & omnis transmigratio de Babylone ad locum istum. Verum-*
„ *tamen audi verbum hoc quod ego loquor in auribus tuis, & in auribus vni-*
„ *uersi populi. Prophetæ qui fuerunt ante me & te ab initio, & prophetaue-*
„ *runt super terras multas, & super regna magna, de prælio & de afflictio-*
„ *ne, & de fame. Propheta qui vaticinatus est pacem: cùm venerit verbum*
„ *eius, tunc scietur Propheta quem miserit Dominus in veritate. Quam*
„ *agendi & pernoscendi rationem in Christianæ doctrinæ examine obseruan-*
Actor. 5. *dam, vtpote legitimam, Gamaliel collegis persuadebat suis. Viri Israel, in-*
„ *quit, attendite vobis super hominibus istis quid acturi estis. Ante hos enim*
„ *dies exstitit Theudas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus viro-*
„ *rum circiter quadringentorum, qui occisus est: & omnes quicumque cre-*
„ *debant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum. Post hunc exstitit Iudas*
„ *Galilæus in diebus professionis, & auertit populum post se, & ipse periit:*
„ *& omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. Et nunc itaque dico vo-*
„ *bis, discedite ab hominibus istis, & sinite illos. Quoniam si ex hominibus*
„ *consilium hoc, aut opus, dissoluetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissol-*
„ *uere illud, ne fortè & Deo repugnare videamini.*

De

# De Angelis.

## Capvt VI.


ETERNVM, *simplicem, immotum, omnísque mutationis expertem, diuitiis propriis, id est, se ipso, naturaq́ sua opulentissimum, prorsusq́ beatissimum Deum, quamquam sui ipsius conditione atq́ amore, vitaq́ ipsa æterna semper maximum, semper integrum, semper vnum, semper sui compotem, pulcherrimum, & nullius rei nec externæ gloriæ aut laudis indigentem; tamen virtutis, sapientiæ, & charitatis suæ notitiam, & cum magno vsu fructum edere voluisse accepimus: noua creanda, formandaq́ natura, quæ magnitudinis atq́ pulchritudinis, vtilitatisq́ suæ veritate exemplaris opificisq́ sui, quatenus rei ratio ferre posset, imitaretur atque explicaret exemplum; & sese diuinæ præstantiæ admiratricem, & quasi comitem assec lamq́ præberet, eoq́ nomine & authorem agnosceret, suum; & agnitum, purè coleret; cultúmque, felicitatis patrem suum, & fautorem atq́ conseruatorem, amplificatoremq́ perpetuum retineret. Huic verò naturæ à se creandæ, fouendæ, & beandæ ministros* 1.
*primùm efficere, effectos instruere, ac demum destinare constituit. Atque* 2.
*ita rem concinnatam voluit, vt qui ministraturi essent, iis, quorum commodo destinabantur, ordine atque serie antecederent, prioré sque exstarent; nec priores tantùm ordine, sed naturæ etiam simplicitate ac dignitate eminerẽt. Igitur cùm ex iis quæ non fuerant, ea quæ & essent, & naturam nomenq́ sortirentur, in lucem euocare decreuisset, Spiritum primùm non sibi parem,* Spiritus.
*aut comparandum, verùm naturæ simplicitate, cognitione, & efficacitate,* 3.
*ingenij dexteritate, agendiq́ velocitate, quantum id perfici poterat, constantem, quem, ob eas quas commemorauimus partes, Spiritum plerumque, interdum Ignem, atq́ ob munus & officium sæpissime Angelum nominari voluit. Non quòd natura illa vel corpus aliquod sit, vel corpori insit cuipiam; sed quòd nullis earum quæ hominum in sermonem vsumq́ cadunt rerum nominibus generis huius cùm efficacitas, tum velocitas significari commodiùs visa fuerit. S. S. E. Qui facis Angelos tuos Spiritus, & ministros* Psal. 109.
*tuos ignem vrentem. Horum autem quamquam exacta naturæ præstantia* "
*fuerit, non idem tamen ac simplex, sed varius ac multiplex ordo constitutus est, variisq́ titulis ac nominibus, pro muneris & officij præscripti iure, distinctus. Quippe aliis Archangeli, aliis Cherubim, Seraphim aliis vocabula tribuuntur, aliis verò Principatuum & Potestatum adscribuntur tituli, omnibus tamen communis appellatio Angeli est. Horum verò omnium* Angelus.
*creandi causa fuerat, inter authorem ipsum naturæ omnis, atq́ dignissimam* 5.
*corporis non expertium omnium naturam, hoc est, inter Deum & hominem exercendum & frequentandum ministerium, à quo nullum ex Spirituum genere, quamquam ingenij ope præstantissimum, &, adiunctis dotibus, am-* 6.
*plissi-*

Hebr. 1. *plissimum, tamen exceptum fore conditor voluerat. S. S. E. Nónne omnes*
" *sunt administratorij Spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæredi-*
7. *tatem capiunt salutis? Atque hoc quidem ministerium siue munus, cùm pri-*
*mùm editi sunt Angeli, omnes cognouere sibi iniunctum ac demandatum; consiliíque de ea re diuini rationem edocti, sese eorum, quæ in hominum genere ponenda essent, beneficiorum interpretes, nuncios, & ministros intellexerunt, quod vt commodiùs atq; certiùs deliberarent & agerent homines,*
8. *qui postremus rerum omnium fingendus erat, ingenium naturamq; omnem & causas ex communicante & aperiente Deo perceperunt. Namq; sapientiæ ac prouidentiæ conditoris consentaneum fuerat, vt quæ in ministerium creabatur natura, intellectionisq; præstantis compos erat, eadem, quibus & quatenus ministratura esset, edoceretur; & suam ipsius vim atq; facultatem ad ea, quibus exercenda erat, munera, ingenium, consilium, & obsequium suum compararet. Id quod facilè argumentando deducere possumus ex illo*
Psal. 103. *sacri Vatis carmine: Benedicite omnes Angeli eius, potentes virtute: qui fa-*
" *citis voluntatem eius, ad audiendam vocem verbi eius. Atque rationē hanc, & creandorum Angelorum causam, quidam ex sacri consilij atq; sermonis interpretibus, diuino Spiritu afflatis, electionem, alij principium, siue principatum, siue domicilium, alij ortum, alij aliter nominant: omnes autem eandem rem, quamquam variis vocibus indicatam, volunt. De vario verò Angelorum atque multiplici munere & officio nos aliàs in sacro Apparatu disseremus, & in huius historiæ contextu, atq; ipso magni operis corpore, quæ opportuna censebimus, adscribemus.*

# De Proposito Dei.

## CAPVT VII.



VERAM, *constantem, & certam de hominis natura & ingenio, deq; eiusdem integritate aut vitio doctrinam, nisi magistro Numine humanis animis non posse percipi, in huius, quam teximus, enarrationis initio & proœmio dicebamus. Eam autem ita rectè institutum iri existimare licet, si à prima eiusdem naturæ origine disputatio repetatur: namq; principiis primùm, causisq; cognitis, cætera omnia, quemadmodū deducenda compingendaq; fuerint, facilè dignoscentur. Atq; hoc ipsum est, quòd prudens ille author principio vestigandum cōmendabat:*

Persius Sat. Discitéque ô miseri, & causas cognoscite rerum:
Quid sumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus.

*Quamobrem primum illum historiæ sacræ authorem non modò ab hominis istius, sed à mundi omnis, qui hominis causa conditus fuerat, primordiis scribendi ac docendi initium ducere, diuinus Spiritus per Angelos ministros,*

*nistros voluit. Namque Angeli ministerio antiquam illam & rem, & doctrinam omnem fuisse expeditam, duo cum primis grauißimi testes, Stephanus ac Paulus, confirmant. Prioris testimonium illud est: Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel, Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris tamquam me, ipsum audietis. Hic est qui fuit in Ecclesia, in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina cum patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis. Alterius verò illud: Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus. Atque idem hic Moyses, qui mundi vel nullum, vel valde antiquum ortum in illa, qua imbutus fuerat Aegyptiorum disciplina, didicerat, Naturæ Veriq; non tantùm doctus esse, sed doctor euadere à Deo iussus, totius opificij, quo mundus constat, principia, seriem atq; tempora, & certa atq; stabilita iura, ante omnem de hominis natura sermonem, disertè descripsit: omniaq;, præter Deum, quæcumque sunt, ac videri humano sensu possunt, quæq; non possunt etiam, sunt tamen, & ratione atque intelligentia comprehenduntur; vnius Dei voluntate & iussu semel edita, exstitisse prædicat, ídque in hunc modum tradit ac persequitur:* IN PRINCIPIO CREAVIT ELOHIM CÆLVM ET TERRAM. *Cæli ac terræ, hoc est, mundi totius, & omnium qui intra cælum, vel in cælo ipso degunt, aut sunt, & principium, & authorem fuisse ait. Principium verò non temporis tantùm, sed naturæ originem, & velut seminarium vniuersi, à quo omnia, & per quem omnia, & in quo omnia. Atq; hoc principium Verbum illud intelligimus Dei, quem Filium antea nominabamus. Qui, cùm sit splendor Patris, omnia virtutis suæ verbo portare declaratus est. In principio namq; erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbũ. Hoc erat in principio apud Deũ: & omnia per ipsum facta sunt.*

Hebr. 2. " " " " " Genesis 1. Hebr. 1. Ioan. 1. "

*Ex sacrorum itaq; scriptorum fide intelligimus, aptata esse secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent. Omnis autem de mundi fabricatione veri summam illo vnico versu complexus Moyses,* IN PRINCIPIO CREAVIT DEVS CÆLVM ET TERRAM; *distinctis deinde temporum atq; rerum partibus explicuit: initiò enim ita productam cæli ac terræ molem exstitisse, vt nihil omnino eorum, quæ nunc in terra vel apparent, vel continentur, certum sui præberet specimen, nec ab ipsa quicquam sponte prodire producíve posset, quoad Verbi voluntate ac iussu & ab aquis quibus permixta erat, & à cælo aëreq; seiuncta, suum occuparet locũ, quem perpetuò esset obtentura, ac demum gignendi & alendi atq; conseruandi ea quæ aleret, virtutem & facultatem acciperet. Primam verò illius permixtionis atq; cæcæ illius molis explicationem, primamq; temporis quo cuncta, vnico Deo excepto, produci, exstare, & effici, conficiq; possent, aut durare, constitutionem, lucis atq; tenebrarum diuisionem certo apertoq; modo appellat Vates ille, qui pro seculorum illorum ratione, cùm de iis ageret, quæ sensu atq; intellectu percipiuntur, aliud interim intra dictorum orationisq; corticem latere subindicat, quod non à se, verùm à Propheta illo altero longè*

Hebr. 11. "

*pòst adfuturo, cuius ipse ministrum sese præbebat, demum explicaretur: vt suo etiam loco, nos eodem Verbo deducente, indicaturos speramus. Lucem verò primam sese conspiciendam, Deoq; probandam, Verbo iubente exhibuisse, hoc elogio Vates declarauit:* Et vidit Deus lucem, quòd esset bona. Et appellauit lucem diem, & tenebras appellauit noctem. Factumque est vespere & mane dies vnus.

Lux. *Itaque primum opus Dei Verbo ac iussu exstare obseruatum, lux fuit, illius diuinæ atq; æternæ lucis imago quædam, eademq; bona, quæ diem efficeret, qualem mundo exornando, fouendo, atq; cognoscendo opportunum constituerat Deus, qualemq; rerum distinguenda ac diiudicanda postulabat ratio.* Corporum distinctio. *Secundum verò opus diuino Verbo concinnatum, corporum distinctio disiunctioq; fuit: hoc est, aquarum, quæ crassiorem ab iis quæ tenuiorem sortitæ fuerant naturam, separatio: alteris superiora loca petere atq; occupare, alteris inferiora, atque adeò ipsum medium totius fabricæ spacium tenere iussis, medioq; interuallo protenso, locoq; tenui, & ad extensionem contractionemq; præcipuè apto, cui proprium vocabulum* RAKIAGH *fuit: & constituta mox atq; certa loci atque facultatis ratio,* SAMMAIM *nomen ab authore impositum adiunxit; quorū alterum Expansionem, siue Firmamentum; alterum verò Cælum Romanus vocat sermo.* Vocauitq; Deus firmamentum cælum. Et factum est vespere & mane dies secundus. *Quo toto die naturæ illæ constituram postea perpetuoq; obtinendam muneris ac partium suarum rationem & normam perdidicerunt. Corporibus ita disiunctis, hoc est, leuioribus & rarioribus à crassiorum natura & confusione secretis, crassiorum semotio atq; constitutio, eorundemq; vtilitas atq; fœcunditas accessit; suis quoque horis atq; temporibus expedita. Nam in crassiorum corporum genere duæ partes fuere primùm conditæ: altera densior ac durior, quæ suo pondere infimum, hoc est, totius spacij medium locum tenere cœperat: altera verò liquida & mollior, quæ findi, diuidi, atque cedere, iterumq; coire & integrari facilè poterat, & crassiorem densioremq; illam initio rerum velabat & occulebat prorsus. Hæ verò authoris Dei iussu ita diremptæ, aptatæ, atque locatæ fuerunt, vt ex vtraque vnum efficeretur corpus, quod globi similitudinem referens, partim solidum, partim liquidum maneret; liquidum verò, cuiuscumque receptaculi formam subiens imitaretur: atque solido corpori ad multas proferendas, edendas, & alendas res, inclyta virtute, & variis permixtis ad eam facultatem succus variorum locorum speciminibus ex* IABASSA, *quod arens ac salsum significat, nomen in* ARETS, *mutauit, quod masculinam vim obtinens, efficacitatem ac virtutem, tolerantiam & immobilitatem atq; firmitudinem sibi adscribi postulat; fœcunditatemq; cum primis arrogat. Hoc nomen, mutatis nonnihil positu atq; pronunciatione elemētis,* TERRA, *Latini non vertisse modò, sed imitari studuisse videntur. De hoc verò opere omni ita Moyses scripsit:* Dixit verò Deus, Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt, in locum vnum: & appa-

Marginal notes: RAKIAGH. — SAMMAIM. — Firmamentum. — Cælum. — Arida. — ARETS. — TERRA.

appareat arida. Et factum eſt ita. Et vocauit Deus aridam, terram: & congregationes aquarum appellauit maria. Et vidit Deus quòd eſſet bonum: & ait, Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Et factum eſt veſpere & mane dies tertius. *Ita tertio die terram ab aquis ſecretam, ac fœcunditate donatam, & vario multiplicíq; plantarum, ac ſeminum, fructuumq; genere adornatam legimus: quo theatro nihil ſub cælo pulchrius viſi, nihil iucundius ſuauiusq; ſentiri poteſt. S.S.E. Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Atq;* Geneſis 47. *ita vna die aquis in certa loca nimirum quamquã variè ſinuata, continuata tamen, reductis, & carcere quodam concluſis, terra & locum ſuum firmiſſimum ac perpetuum obtinuit, & variarum rerum gignendi facultatem ex Verbi diuini virtute & efficientia adepta eſt: quam rationem omnem complexus Pſaltes, atque admiratus, paucis decantauit verſibus: Qui fundaſti* Pſal 93. *terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius. Super montes ſtabunt aquæ, ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt. Adſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum quẽ fundaſti eis. Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur; neq; conuertentur operire terram. Nec verò vlli alij vel naturæ, vel induſtriæ, tantarum quas procreat, & procreare conſeruaréque poteſt, rerum copiam, vim, ac facultatem terra acceptam vel minima ex parte refert, quàm vni Verbi eius virtuti & efficacitati; quod dixit, & facta ſunt; mandauit, & creata ſunt. Statuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi; præceptum poſuit, & non præteribit. Hæc namque omnium quæ ſub cælo, quæq; in cælo ſunt, gignuntur, & fiunt, rerum natura vera atq; vnica eſt: Vis, inquam, Spiritus, & efficacitas illius numquam irriti Verbi Dei, cuius cognoſcendi & pronunciandi quæ nobis credita eſt vox,* IEHI, *ſonat; &* יהי *futuri exprimens figuram, perpetuitatem & conſtantiam ſibi arrogat, atque virtutis propriæ amplitudine omnia continet, omnia profert, in lucemq; deducit, omnia fouet ac tuetur. Ita herbarum atq; plantarum omnium varietas & copia illa admirabilis vt exſiſteret atq; conſtaret, nihil prorſus aſtrorum, quæ nulla adhuc erant, ignibus & lucibus, atq; in fluxũ vſibus debent.*

*Quarti autem diei opus hæc ipſa, quæ modò commemorata ſunt, aſtra & ſidera non ſponte quidem, ſed eiuſdem communis omnium naturæ communicatione, hoc eſt, iuſſu Verbi illius* IEHI, *exſtitere, officiáq; & partes ſortita ſuas paruere: iuſſa nempe mundum hæc noctu, illa interdiu decorare, luminibúſque illuſtrare & afficere ſuis, certos vnumquodque tenere curſus, tempora diuidere & variare, atque tempeſtatum ſignificare mutationes: Sol ſingulari munere diem illuminare ac regere, Luna verò noctibus & lumen præbere, & humores adſpirationéſque ſuppeditare varias. Hæc tum maiorum, tum minorum, pro ſua cuiuſque portione, aſtrorum,*

 *ſiderum,*

*siderum, atque stellarum officia fuere, quibus, vltra hæc, in mundi rebus concessum aut iniunctum legimus nihil.*

Genesis 1. Dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem: & sint in signa & tempora, & dies & annos: vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti: & stellas. Et posuit eas in firmamento cæli, vt lucerent super terram: & præessent diei ac nocti, & diuiderent lucem & tenebras. Et vidit Deus quòd esset bonum. Et factum est vespere & mane dies quartus.

*Quinta autem die duorum liquidorum corporum, hoc est, Aëris, & Aquæ, regiones varijs viuentium ac sentientium generibus, multiplicibusq. formis ornatas & frequentes esse Deus voluit: quorum pars moueri posset, atque locorum mutare stationes; pars verò suis ferè, quibus produceretur, hæreret sedibus, aut minimis saltem commigraret spacijs. hisq. motus facultatem sortitæ sunt, aut membra & partes ad aëra vel aquam secandum idoneas adiunxit, aut agilia & lubrica, natationiq. apta corpora formauit. Horum omnium prima origo ex aquis fuit, coactis crassioribus, ac terræ congeneribus, pinguibus, atq. lacteis elementis, & in ossa, carnem, plumas, vel in squamas, & pinnas efformatis. Regio deinde singulis assignata, ad frequentiam propria, vt quædam terris degerent, & spiritus, auramq. haurirent, aërémque volatu discurrere, altiúsque petere valerent: quædam verò in aquis perpetuò degerent, quas tranando permearent: nonnulla autem media vtriusq. regionis obtinendæ ac pererrandæ facultate augerentur. Verùm duobus præcipuè appellarentur adiunctis, volatile videlicet, & reptile; aut altero tantùm. Nam quod pedibus præditæ aues terra quoque incedere possint, id ad propagationis, & vitæ commoditatem, propriamq. quietem obtinuisse feruntur.* Iob 5. *Auis ad volatum, ait Iob. Itaque quinto die aquæ & cognato aëri, & sibi frequentes & varias incolarum & animantium, Dei verbo præstante, suffecere, & exhibuere copias.*

Genesis 1. Dixit autem, Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile volans super terram sub firmamento cæli. Creauitque Deus cœte grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundùm genus suũ. Et vidit Deus quòd esset bonum. Benedixitque eis. (*hoc est, procreationis ac propagationis facultatem ac felicitatem verbi virtute tribuit*) dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris: Auesque multiplicentur super terrã. Et factũ est vespere & mane dies quintus.

*Solidioris autem sedis atque loci vsum, hoc est, terræ habitationem commodam suis quoque incolis tributam sapientissimus Opifex voluit, quorum corpora ex ipsa præcipuè terra constare iussit: hoc est, ex illa crassissima natura, cui varijs, vti dicebamus, præditæ succis & humoribus* ARETS,

*nomen*

*nomen fuerat factum. Ita adeò animalia omnia, siue quadrupeda ea sint, siue pluribus quàm quatuor pedibus nitantur & incedant; siue paucioribus reptent, siue pedibus carentia serpant; vnico Dei volentis ac iubentis verbo, terra materiam suppeditante, repentè, hoc est, breuiore quàm lucis mediæ spatio exstare iussa, exstiterunt; atq; communem genitricem agnoscentia exhilarantiaq; ornarunt. De quo vario ac multiplice animantium genere, ad vnicum iubentis Dei iussum è terris ebulliente, ita legimus:*

Dixit quoque Deus, Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundùm species suas. Et factum est ita. Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas. Iumenta, & omne reptile terrę in genere suo. Et vidit Deus quòd esset bonū. Genesis 1.

*Nullum enim in omnibus viuentium huiusmodi generibus singularem, Deoq; probatam, ac certo vsui destinatam naturam non est sortitum: nullumq; hanc inferioris loci frequentiam suo proprio nomine non exornauit, atq; variorum ministeriorum, operumq; vsum præbuit: ita adeò reptantium cateruæ regni atq; Reip. imaginem quandam apprimè concinnā, exhibebant. At verò:*

Sanctius his animal mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset; Ouid Meta. lib. 1.

*cuiusq; precipuè causa mundum atque mundi ornatum hunc omnem Deus è tenebris in lucem eduxerat. Hunc ideo eadem luce, hoc est, eodem quo animantes cæteræ editæ fuerant die, singulari consilio atq; opere effectum voluit, vt & cætera principem, seq; ipsis longè præstantiorem agnoscerent, atq; acciperent, & ipse supremum omnium atq; cæterorum Dominum sese gereret, cæteraq; pro suo consilio agens moderaretur, & exerceret.*

Faciamus (inquit) hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis vniuersæ terræ, omnique reptili quod mouetur in terra. Ibidem.

# De hominis natura.

## CAPVT VIII.

DVABVS *primùm partibus hominem effectum voluerat Deus: grauiore atq; crassiore mole constante altera; altera verò agili, omninoq; crassitudinis & molis experte, atq; planè ex eo rerum genere, cui propter naturæ præstantiam Spiritus nomen inditum est. Ita à Deo efficiendum erat; vt quemadmodum mundus ipse ex inferiorum atq; superiorum generum naturis, hoc est, cælo terraq; componitur; homo etiam ex diuiniore quadam, & quæ visu ac sensu comprehendi non posset, parte altera, quæq; cælum tamen ipsum dignitate superaret; & ex altera, quæ videri quidem tangiq; posset, hoc est, terra (quam etiam dignitate vinceret) compositus euaderet. Illam animum siue spiritum; hanc verò corpus* Hominis partes. Corpus. Spiritus. Cælum. Terra. Animus.

 com-

*communi ac familiari sermone appellamus. Quidquid enim in cæteris animantibus quocunque modo fuerat, id omne ex terra productum effectumq́ constiterat: siue densius id in illis esset, vt corpus; siue rarius tenuiusq́, vt anima. Quamobrem nihil in cæteris vel sensus vel cognitionis esse potuit, quod vltra ea, quæ sensibus percipiuntur, protenderetur; in homine verò non solùm sensus, velut in aliis animæ compotibus, sed quæ longè excelleret intelligendi ac sapiendi vis præcipuè adesset, eaq́ non tantùm naturæ genere ac definitione, vt cælum terræ, sed imperio, virtute, & actione, vt diuina & spiritualia mundanis, & corporibus, atq́ terrestribus præsideret, cunctaq́ sibi subiecta temperaret, tandémque eam sortem vsurparet, vt, quamquam terrenus animalisq́ homo dici posset, à parte quam ex terra obtinuerat; altera tamen, quam ex peculiari Dei dono atq́ communicatione & efficientia sortitus fuerat, diuinus haberetur, contineretq́ vnus cùm terræ, tum cæli dignitatem & nomen, essetq́ demum totius magni mundi exemplum & instar; breue quidem illud magnitudine ac mole, virtute verò, honestate, ac pulchritudine magnum & amplum; propter superiorem naturam Deo simile, propter inferiorem verò Angelis nonnihil minus, attamen gloria & honore à Deo coronatus, vt non tantùm cæteris, quæ sub cælo continentur, præesset, verùm Dei authoris imaginem ac similitudinē præferret, & Angelis etiam ipsis, nedum naturis aliis ipso minoribus, probaret. Equidem nihil eorū omnium quæ creata, facta, conditaq́ sunt, diuinæ virtutis atque lucis expers fuerit; cùm omnia verbo Dei constiterint atq́ exstiterint, diuinitatisq́ opus tam ad vitam quàm ad mortem in se ipsis singula manifestent; ex his verò quædam æterna, perpetua, & immortalia sint, vt Angeli, & Spiritus cælestes omnes; quædam mortalia, vt quæcunque ex terra prodiere animantes, nonnulla partim deficere nequeant, partim sua natura æterna non sint, vt homo; hic tamen vnus diuinæ imaginis atq́ similitudinis prærogatiua ornatus est. Neque enim vt hominem ita quempiam ex Angelis ad imaginem Dei propositum, concinnatum, ac tandem factum legimus.*

Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: ad imaginem Dei creauit illum.

*Natura omnis, & quæ in se suaq́ sponte constat, æternitatemq́ sibi arrogat, hoc est, diuina, Deusq́ ipse; & quæ Dei conditoris voluntate ac Verbo effecta fuit; vel lux ipsa est, vel lucis communionem ac partem sortitur. Lucem verò à tenebris seiunctām excipi & cognosci, cognitamq́ laudari Deus voluit. S.S.E. Et vidit Deus lucem quòd esset bona. Diuini autem consilij ac beneficij fuit, opus conficere, quod vtriusque lucis cognitione vti fruiq́ posset: id verò quo commodiùs ac veriùs exerceret obtineretq́, vtriusque lucis munere præditam esse oportuit. Diuinæ quidem ex concessione ac societatē quadam benignè donata, naturalis verò ex propriæ sortis concinnitate atque munere. Propriam homo sortem, qua ex terra conditus fuit, animalē dictam, obtinuit: illam alteram, quam diuinæ lucis appellare societatem licet, non ex*

terra,

*terra, sed ex admiranda singulariq; Dei inspiratione, & ,vt sic loqui sit fas, fructificatione accepit. Ita adeo talis exstitit, vt cognitionis tum diuinarum, tum naturalium rerum facultatem in se ipso haberet, non sibi arrogandam, sed suis vtramque modis Deo acceptam referendam. S. S. E. Quid habes, quod non accepisti? quòd si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Namque Angeli, quamquam & ipsi luce communicent perpetua & spirituali, atq; ideo cognoscere Deum & spiritualia possint, eodémque nomine suum lucisq; suæ authorem Deum agnoscant, fateantur, & prædicent; corporeæ tamen, quam naturalem hoc loco appellamus, lucis communionem cùm non habeant, tametsi cognoscere vt extra se constitutam dicantur, tamen vt sui ipsorum vel partem, vel portionem, vel possessionem, vel sortem, non agnoscunt. S. S. E. Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Quod verò quis non habet, id agnoscere potest minimè. Deum igitur ex singulari multiplicis terræ particula, cui ex calore atq; viuida pinguedine* GHAPHAR *nomen adhæret, animæ excipiendæ, atq; vitæ obtinendæ aptum corpus finxit, admiranda membrorum ac partiũ structura & vtilitate concinnatum, cruribus atque brachiis, pedibus ac manibus ad vsum geminis, eodemq; modo oculis, auribus, ac naribus in vnico locatis capite, dextrisq; atq; sinistris, firmioribus his, agilioribus & promptioribus illis; vnico tantùm ore, vnicaq; lingua, verbis ac sermonibus efformandis ac distinguendis idonea; cæteris verò interioribus partibus non multo ab aliarum animantium præcipuè quadrupedum genere ac situ dissimilibus, præter cor; vt, quorum crescendi, seseq; alendi non dissimilis ratio formaq; futura erat, non dispar etiam locorum, & officinarũ, atque partium, actionumq; esset commoditas. Huic verò figmento à se compacto, spiritum animumq; Opifex ipse indidit: non ex terra, terrenorúmve corporum elementis vllis, non ex aqua, aut aëre, neq; ex ignea natura productum, sed noua singulariq; efficientia inspiratum ad imaginem & similitudinem Artificis ipsius, hoc est, Dei, cuius quædam velut diuini Spiritus aura, quidamq; diuinæ vitæ esset ac diceretur halitus. Qui simul atq; effecto iam corpori immissus est, & viuendi, ac sentiendi, & mouendi se, atque adeò sese, ac cætera, Deumq; ipsum cognoscendi vim facultatemq; agnouit. Facultatem, inquam, duplicem: alteram quidem quæ corpori, corporeisq; vsibus inseruire; alteram verò, quæ spiritui ipsi, atq; Deo, diuinisq; rebus cognoscendis, agendis, obeundis, ac obtinendis vacare, operamq; dare posset. Vtramq; verò idem spiritus, idem animus ex Deo, vti cætera omnia, accepit; & acceptam, eodem iure rectè exercere debuit, & potuit. Hanc autem duplicem animi portionem, distinctionis atq; definitionis causa duplici nomine vocatã oportuit; quod variè à variis tum linguarum, tum rerum peritis viris actum ac traditum nouimus; nonnullis appetitionem & rationem, nonnullis verò animam & animum, aliis autem aliter appellantibus. Primæ verò linguæ consuetudine priorem & potiorem,* RVAHH, *hoc est, Spiritum; inferiorem verò,* NEPHES,

*id*

[Margin: 1 Cor. 4. — Lucæ 24. — GHAPHAR. Limus. Corpus. — Spiritus.]

*id est, animam dictitatam: certè vtramque eidem homini esse simul portionem, diuersa tamen & impari vi ac dignitate, quòd alteram Masculum, alteram Feminam esse ac dici constet.*

Genesis 2. Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.

*Priorem siue inferiorem partem Animam, posteriorem verò viuentem siue vitam, vocabulorum* NEPHES HHAIAH *coniunctione edocti appellamus.* Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & feminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram.

Genesis 1.

*Eodem modo, pacto, ac more, quo primus ille homo conditus fuerat, exteros omnes homines crescere ac multiplicari Deus iussit, hoc est, masculum & feminam singulos esse: singulos terram replere, ac subÿcere, atque adeò piscibus, volatilibus, & animantibus vniuersis dominari. Hanc ita anima corporeq; constantem naturam, quod ex fertili atq; succosa, vtiliq; terra, quæ sacro sermone* ADAMA *dicitur, effinxisset, effecissetq; Deus* ADAM, *nomine idem ipse indigetauit: nomine, inquam, ex feminino in masculinum reformato, quod, quamquam congenerem naturam significat, præstantiorem tamen terra & vim, & vsum indicat; quemadmodum id quod masculinum in rebus est, feminino excellit, & præstat. Namque hanc masculi vim & rationem esse, & cognosci, sapientia postulat: ex quo vel vnico nomine qualis quantusq; homo diuino opere effectus exstiterit, apertè intelligitur, nempe terrenus, verùm masculus & femina idem, idem præstans sibi, idem sibiipsi præstanti concedens & addictus; idem vtraque ex parte neq; inutilis, neque otiosus, verùm qua masculus esset, præcipuè efficax, & imperans, potiore sui portione Deo adsimilis, & cum diuina luce societatem sortitus; inferiori verò parte vim naturamq; obtinens terræ, quæ tantæ imagini ac similitudini continendæ idonea esset. Atque opus totum diuina sapientia confectum & perfectum ita erat, ita quoque cæteris omnibus rebus atque animantibus comparatum decenter concinneq; præstabat, vt boni atq; exacti iudicium conficeret, mundiq; ornatum & vsum, authorisq; omnium probationem laudemq; postularet, atque omne præterea creandi exemplar compleret, omniumq; edendarum rerum tempus absolueret. S.S.E.* Viditq; Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. *Cætera omnia singula suis generibus boni: post hominem verò conditum, ad quem omnia alia referebantur, Deus, ad quem homo cum cæteris postremò referendus erat, valde boni iudicio elogioq; probauit:* Et erant valde bona. Et factum est vespere & mane dies sextus. *Atque vltimum in creando, adornando, absoluendoq; mundo hoc visibili opus homo fuit, cuius causa cætera omnia, quæ videri sentiriq; possunt, creata & effecta dicuntur. Namque animantum omnium natura, gene-*

Adam. Petra. Petrus. Genesis 1. Ibidem.

*generaq; singula in obsequium homini creata ac tradita constat: plantarum verò cunctarum fructus & facultas cùm alijs animalibus pro ratione & commodo singulorum, tum præcipuè huic animantium præfecto homini in vsum concessit.*

Dixitque Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuersis quæ mouentur in terra, in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum. Genesis 1.

*Quantus, quamq; præ cæteris animantibus amplificatis, hic, quem hominem vocamus, natura exstiterit, facilè cuiuis animum aduertenti perspicitur; quippe cuius corpus singulari consilio atq; opera ex terra selecto aptóque puluere, animus verò præstantis ad conditoris & gubernatoris imaginem ac similitudinem effectus fuerit: quanta rursus rerum omniū, quæ sub cælo sunt, notitia & cognitione præditus euaserit, ipso dominio, principatu, & vsu declaratur. Nullum enim animalium genus illius obedientia exceptum voluit Deus: quare etiam nullum prorsus illi imperaturo cognoscere negatum. Præterea herbarum, arborū, plantarumq; naturas formasq; omnes, & in suas, & in animantium cæterarum escas & alimentorum copias, quî suppeditare voluit, idem quoque vim & efficacitatem, & succorum rationem, opportunitates, maturitates, historiamq; omnem, sponte sua pernoscenda præbuit: vt quemadmodum animantibus cæteris suus cuique cibus ac pastus, nullo præter Verbum Dei docente, notus constat; sic etiam, atque adeò longè meliùs homini, quidquid terra, & sibi, & alijs in esum profert, & parat in proprios & aliorum vsus & esus, Verbo, quod obiecerat, cumulatè præbente & suggerente cognosceretur. Namque hoc ad valde boni nomen & exemplum pertinet.* Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.

## De viri ac mulieris communione & societate.

### CAPVT VIII.

CONCESSAM *homini generis, atq; muneris, & facultatis propagationem fouere ac promouere parans Deus, eadem, qua conditus ille fuit, luce deligendæ consortis optionem dedit, cunctis, quæ sub cælo terras frequentare possunt, animantium formis ante oculos adductis, quæ sigillatim cognoscenti & nominarentur, &, cuius in vita vsus essent, declararentur. Namque vt homini ipsi, quà homo erat, non vna constabat naturæ pars, sed duplex erat portio, diuinæ similitudinis imago, videlicet mascula; et terrenæ naturæ inferior altera, ac feminea substructio,*

*quam prior illa, tanquam princeps, tenebat & gubernabat; ita toti ipsi homini integro quemadmodũ propaganda soboles esset, & cognosceretur & iniretur opportuna ratio. Nulla verò ex omnibus quæ terra produxerat animantium formis homini ad propriÿ generis procreationẽ apta idoneaq; reperiri potuit: quippe singulorũ, etiã præstantißimi cuiusq; natura omnis terrena prorsus erat, nihilq; cum cælestibus spiritibus, nihil cum imagine similitudineq; Dei, quæ prior ac dignior in homine portio laudabatur, commune habebat; nec duplici nomine atq; re, masculi ac feminæ, constabat. Omnibus enim feminea solùm vis & veritas inerat, hoc est, terrena, atque sensibus tantùm obnoxia natura; variis quidem singula viuendi, & vsus sui præbendi rationibus, distincta, nullo tamen pacto, nullo munere, nulla facultate ac virtute homini ad societatis communionem, atq; ad similem progeniem edendam & proferendam idonea. id quod homo ipse sui cum cæteris comparatione apertè professus, quid, quantumq; authori acceptũ ferret suo, agnouit planè, qualemq; sese tueri conseruareq; deberet, certißimo est assecutus iudicio.* Dixit quoque Dominus Deus, Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi. Formatis igitur Dominus Deus de limo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ: Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius. *Quippe alia omnia, quamquam in terra degerent, partimq; terris subliuiorem frequentarent regionem, tamen à Dei imagine & similitudine, quam homo vnus præcipuam gerebat, prorsus aberant; vt quæ vel ex aquis, vel ex terra tantùm ortum genusq; deducerent. Omnino autem Adæ simile adiutoriũ esse oportuit, cuius ope similis etiam procrearetur soboles: neque verò id hominis ipsius, qui iam effectus fuerat, consilio, inuento, aut operâ præstari potuit, sed authorem Deum quoque expectabat, cuius imaginem, adiutorium quoque ipsum referret. Igitur ex Adami iam à se effecti carne & oßibus sociam, & vitæ generisq; consortem adformauit Deus, molliorem ac teneriorem naturæ; vtpote non ex terra illa rudiore, ex qua vir fictus fuerat; sed ex eodem quidem puluere, verùm iam in carnem & ossa concreto & concocto, effectam. Namque & qui insitione in alio trunco succrescunt rami, melioris ac tenerioris ligni sortiuntur corpus. Quamobrem sociam illam, quæ ex viri carne & oßibus deducta effectaq; esset corpore, leuiorẽ viribus, teneriorem sensu, ac mente leniorem ac faciliorem esse oportuit, quæq; viro suo, quamquam natura persimilis esset, tamen vt origini, atque capiti, naturæq; suæ principio concederet, obsequeretur, posterioremq; se præberet.* Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem: & adduxit eam ad Adam.

Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.

*Primæuæ linguæ vocibus*, IS, *dicitur, quem virum Romanus vocat sermo: vnde Vir idem adiutorium illud sibi simillimum*, ISSAH, *dicendum statuit. Iamq́ adeò propagandæ soboli huic Adami naturæ copia, commoditas, & facultas concessa ac præstita erat, adiutorio ad hoc dato, præter sexus varietatem cætera simillimo, hoc est, corporis membris, atque animi duplici portione, mare ac femina constante; animo, quo Deum authorem agnosceret, ac referret; corpore ac sensu, quo Adamicam, hoc est, terrenam, animalemq́ tueretur naturam. Vtrumque enim maris ac feminæ vim & veritatem ab Opifice accepisse, diuina declarat lectio.* Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum: masculum & feminam creauit eos. *Id quod ante mulierem factam legimus, ad prius illud opus quod ex puluere creatum fuit, referendum quoque est; quamquam & ad effectam postmodum sociam demum transferatur, in cuius conditione non fingere, siue formare; sed facere, & ædificare, verba vsurpantur. Alteri namque ex socijs, qui primus ac solus creatus fuerat*, IATSAR; *alteri verò, quæ ex hoc posterior sumpta fuit*, BANAH, *verbum tribuitur, quod ædificare ac procreare Latinè vertimus. Atq́ ita opus omne hoc, cui Adam, siue hominis nomen inditum est, duplici sexu*, IS, & ISAH, *siue viri ac mulieris, distinctum maris atq́ feminæ vi ac natura, hoc est, animo atq́ anima constans, prima Verbi Dei imago in terra constituta: quæ, vt Deus cælo, cæliq́ Spiritibus, atque homini ipsi, cui cælestis quoque origo erat, imperat atq́ præest; ita terræ, terrenisq́ animantibus omnibus, quæq́ in aqua versantur, quæq́ super terram volitant, imperaret. S.S.E. Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuũ in vniuersa terra! Quid est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minùs ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi: volucres cæli, ac pisces maris, qui perambulant semitas maris. Ita non solùm mente & animo, sed imperij etiam facultate ac munere similitudinem Dei homo in terris, ex diuina benignitate, fuerat sortitus. Vt autem in cæteris animantibus, atq́ etiam in homine ipso, maris ac feminæ coniunctio fructum propagationemq́ spectabat naturæ singulorum dignam: ita in homine ipso illa maris ac feminæ interior arcanaq́ societas, hoc est, animi atq́ animæ copulatio, ad fructum vitæ diuinæ idoneum producendum comparabatur: atq́ huc arcana illa benedictio & fæcunditas concessa, huc illa declarata facultas & monitio spectat:* Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini, &c.

[Margin: איש; Facere.; יצר; בנה; Psal. 113.; Psal. 8.]

# De Lege naturæ.

## CAPVT IX.



INGVLIS *generibus à se creatis & perfectis, certas naturæ & efficacitatis leges Verbi virtus & efficientia dedit: nihil enim vel in cælo, vel sub cælo actionis, aut lationis expers, nihil otiosum esse voluit, nihil quod pro ratione ac modo virtutis atque sortis suæ, authoris ipsius semper viuentis, semperq́ agentis, non imitaretur exemplum; atque ita cuncta mundi ornatum, & vsum, atque decus pariter instruerent. Hoc verò ipsum vt institueretur, iustitiæ acceptum referendum: sicut bonitati, atq; virtuti, efficaciæq́ infinitæ tributum fuit, vt omnia crearentur & exstarent. Hoc itaque pacto cælo, cæliq́ luminibus & sideribus sua munera iniuncta, ex consilio iussuq́ Dei obita & obseruata sunt, vt diuidant diem ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos, vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Terræ verò opacitatis, & perpetua ferendarum, distinguendarum, & alendarum omnis generis plantarum lex posita est: idq́ cùm libera ac sui iuris manet, nec externa impeditur vi, assiduis præstat spectaculis. At verò plantæ ipsæ suam perpetuò* Gen. 1. *seruantes concessi fructus aut seminis copiam sufficiunt.* Germinet terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumq́ue faciens fructum, & habens vnumquodque sementem secundùm speciem suam. *Animantium formæ omnes, quæ vel in aquis degunt, vel terras frequentant & perambulant, suis generibus diuersæ, suis etiā exercitationibus idoneæ visuntur, siue illæ sponte suis partibus præstandis vacent, siue arte atque industria hominum informentur ac doceantur. Namq; nomina à primo homine singulis generibus ex vsu ipso, atque naturæ singularis efficientia, imposita intelligimus; qui dum adiutorium proprium dispiceret, quid, quodq;, quáque in re sibi inseruire & obsequi posset, planè cognoscens, tamen illud, quo præcipuè egebat, sui simile requisiuit. Et omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius, ex proprij muneris conditione inditum, eodem pacto quo mulieri nomen* ISSAH *demum est impositum. Quod verò in singulis rerum generibus è tenebris ad lucem vo-* Factum est ita. *candis, hoc est, in mundi partem constituendis, adiunctum legimus,* Et factum est ita; *in sacræ linguæ ratione & vsu perpetuam, & constantem, atque immutabilem siue veritatem, siue legem appellare licet, idemq; ex eius linguæ, in qua ratio & historia omnis hæc primùm edita fuit, sermone & obseruatione scientibus planum fit: ex quo genere documenta illa, atq; exem-* Iob 5. & 39. *pla sunt; Auis nata est ad volatum. Numquid præbebis equo fortitudinem,* " *aut circumdabis collo eius hinnitum? Numquid ad præceptum tuum eleua-* " *bitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? Penna struthionis similis est*

*est penna herodij & accipitris. Quando dereliquit oua sua in terra, tu forsitan in puluere calefacies ea? Obliuiscitur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Duratur ad filios suos, quasi non sint sui: frustra laborauit, nullo timore cogente. Priuauit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam. Miluus in cælo cognouit tempus suum; turtur, & hirundo, & ciconia cognouerunt tempus aduentus sui. &, Formicæ populus infirmus, qui præparauit in messe cibum sibi. Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.* Ierem. 8. Prou. 30.

*Denique nec corpora ipsa, vel quæ motu ac sono exercentur, vt aër, venti & aqua, atque ignis; vel quæ muta, fixa, atque solidiora sunt; segnes otiosásve in mundi integritate partes obtinent; imò singula non specie modò atque forma orbis ornatum adiuuant, sed vel afficiendi, vel aliorum effecta referendi ac sustinendi facultate prædita sunt. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarũ, quæ faciunt verbum eius. &, Qui emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ. Potabunt omnes bestiæ agri, exspectabunt onagri in siti sua. Super ea volucres cæli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces. Omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua. Quamobrem quæcunque cælo terraq́ visuntur & continentur, variarum rerum naturæ ac formæ authoris sui sapientiam non tantum voce ac sono, quantum efficientia & suarum partium exercitatione prædicare à Vate monentur: Montes, & omnes colles; ligna fructifera, & omnes cedri; bestiæ, & vniuersa pecora; serpentes, & volucres pennatæ. Quidquid verò cuique rerum generi vel agendi, vel ferendi conditione ab Opifice summo iniunctum fuit, id fœdere perpetuo constans, vel ius, vel munus, vel officium, vel iussum atq; electionem vocamus, vel principium & statutum, atque etiam præceptum. Sicut de aquis scriptum est, Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram. &, Statuit ea in æternum, & in seculum seculi; præceptum posuit, & non præteribit. His etenim verbis, lex, præceptum, statutum, electio, & mandatum, statio, ac domicilium, & similibus, etiam in earum rerum, quæ intellectione ac sensu carere existimantur, tractatione, ad sacri sermonis imitationem vti nobis fas esse existimandum est.* Psal. 148. Psal. 103. Psal. 148. Psal. 103. Psal. 148.

# De Angelorum electione, ac Lege.

## CAPVT X.

PRÆSTANTEM *illam Spirituum multitudinem à Deo creatam, intelligentiæ, cognitionisq́ magnæ, ac sapientiæ compotem extitisse accepimus, atque retulimus; variis tamen tum intelligendi ac sapiendi, tum etiam agendi ac ministrandi ordinibus distinctam. Quam quidem omnem aliis, aliisq́ muneribus atq; officiis addictam, suæ erga hominum genus voluntatis atq; beneficentiæ celerrimam*

*& promptissimam ministram esse voluerat author: qui sapientissimo atque benignissimo consilio, quid cuique rei pro naturæ suæ ratione conueniret, præscripserat, diuidundisque muniis edixerat. Atque hanc singularum rerum pro cuiusque partibus, atq; exercitatione & vsu, iustitiam vocamus;*

Psal. 10. *de qua S. E. Iustus Dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Qui cùm omnia in numero, pondere, ac mensura fecerit, omnibus proprias, vti commemorauimus; assignauit partes; quibus exercendis superiorum atque inferiorum natura omnis vacans, authoris voluntati atque consilio obsequeretur. Cùm verò cognoscendi facultate, Spirituum supernorum natura prædicta esset; quid sibi agendum, quid obtinendum; qua parte, quo munere diuinum propositum obseruandum foret, authore ipso suggerente, docente, & instruente, intellexit. Fuit autem Spirituum omnium in cognoscenda ac facessenda Dei voluntate celeritas & efficacitas promptissima: quæ vt meliùs expressa nobis cognoscatur, Spiritus & efficacissimi ignis similitudine & appellatione describitur.*

Psal. 103. *Qui facis Angelos tuos Spiritus,*
» *& ministros tuos ignem vrentem. At verò ministerij omnium summa, ad*

Hebr. 1. *hominum commoditatem & vsum relata fuisse declaratur. Nónne omnes*
» *sunt administratorij Spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæredi-*
» *tatem capiunt salutis? Atque huic ministerio addictis, felicitate sua, hoc est, Dei perpetua visione, & gratia inenarrabili, gaudiorumq; absoluta & immensa magnitudine, regno denique locupletissimo & iucundissimo frui concessum fuerat.*

Matth. 18. *Videte, inquit magister, ne contemnatis vnũ ex pusillis istis;*
» *dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris*
» *mei, qui in cælis est. Et vnus ex illorum collegio Zachariæ verba faciens, ait:*

Lucæ 1. *Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc*
» *tibi euangelizare. Atque hanc ministrationis dignitatẽ & amplitudinem, adiuncta frequentissimi nominis Dei vel Domini authoritas apertè declarat. Namque legatorum ius, ac dignitas eius à quo delegantur, amplitudinem, personamq; refert. Atqui seruire Deo, regnandi laudem felicitatemq; æquat.*

Eccli. 4. *Qui seruiunt ei, obsequentes erunt sancto; & eos qui diligunt illam,*
» *diligit Deus: qui audit illam, iudicabit gentes; & qui tuetur illam (sapien-*
» *tiam Dei) permanebit confidens. Oportet autem Angelorum collegiis omnibus hominis, cuius causa Deo seruiendum erat, non naturam solùm perspectam, sed dignitatem, amplitudinem, & facultatem, cæteraq;, Deo donante & authore, ornamenta fuisse explorata; atque ita & cui, & quamobrem, quibusq; in exemplis ministrandum à se esset, minimè ignotum latuisse. Hoc enim ad delegationis veritatem & expeditionem præcipuè pertinet. Fuerat verò Dei ministris his communicatum apertumq; consilium creandi hominis, cuius causæ & vsibus, non modò mundi huius pulchritudo, ornatus, & exercitus omnis pareret, sed singulari etiam prouidentia & gratia hortus admiranda plantarum iucunditate & vtilitate, excellenti vbertate instructus; & immarcessibili perpetuaq; amœnitate decorus, consereretur; in quo*

agenti

*agenti homini, allocutionis diuinæ gratia & copia suppeteret: adeò vt planè Deus quidam huic mundo, à Deo authore, cælorumq́ possessore, constitutus, homo videri diciq́ posset. S. S. E. Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Hanc itaque de ornando amplificandóque homine diuinam voluntatem Spiritibus omnibus à Deo mittendis ac legandis, hoc est, Angelorum ordinibus cunctis, vsque ab ipso illorum initio declaratam fuisse intelligimus.* Psal. 113.

## De Angelorum quorundam improbitate, defectione, & abdicatione.

### CAPVT XI.

VNVM *verò in Angelorum ordinibus fuisse accepimus,* HILEL *nomine, principem spiritum, egregiis, præter multos alios, dotibus à Conditore donatum, quem propter donorum atque facultatum præstantiam ac prærogatiuam, arcani sermonis imagine, mane ortum fuisse diuini Vates prædicant. Hic autem & virtutis amplitudinisq́ suæ non ignarus, atque pulchritudine, quæ sibi authoris munere contigerat, plus nimio delectatus, diuini de homine adornando consilij, cuius rationem ac veritatem fuerat edoctus, benignitati insidias fraudemq́ moliri apud se cogitauit, inuidens scilicet maximam illi hominum generi in terris dignitatem amplitudinemq́ paratam; atque ægrè ferens sese minori naturæ in ministerium esse destinatum, cùm potiùs terrarum hominumq́ imperio gerendo parem idoneumq́ existimaret, vtpote ad capienda, instituenda, & exercenda consilia, pro rerum ratione, suo ipsius iudicio, sapientißimum; & non solùm hominis ingenio, sed multis etiam ex sublimium Spirituum collegiis sapientia, prudentia, & arte superiorem, nempe mane ortum, atque lucis & pulchritudinis excellentia admirandum.*

*Hic verò, vbi hominis naturam duplici portione constituram, cùm ex indita sibi sapientia, tum verò ex diuinæ legis sibi cæterisq́ declaratæ expositione intellexit; qua parte Dei propositum inuertere, aut saltem impedire posset, callidè apud se primùm commentus, cæteris etiam Spiritibus communicauit. Atque ita non modò hominis mundíque tyrannidem affectare, sed æqualem ipsi Deo laudem & gloriam sibi comparare est aggressus.*

*Hanc verò calliditatis fraudem posteaquam narrando contexerimus, explicando vaticinio atque oraculo Dei adstruemus. Quærere verò, & inuestigare, atque admirari hoc loco licebit, quonam pacto, quo rerum ac virtutum genere Hilel hic, cuius historiam nunc scribimus, Deo sese opponere, æqualemq́ vel similem fore existimare potuerit? cùm nec naturæ, nec personæ consentaneum sit, vt quod originem, terminum, ac modum habet, cum infinito, æterno, atque immenso contentionem comparationemq́ habeat. Namq́*

omnia

*omnia quæ de Deo in hominum cogitationem considerationemq́ veniunt, ad tria præcipuè capita, veluti genera, in summā reuocari solent: quæ tametsi inter se æqualia sint (si modo immenso æqualis vel inæqualis notiones & voces admittūtur) tamen eloquendi serie ita pronunciantur, Potestas, siue virtus & efficacitas, Sapientia atq; Bonitas; vti in primis libri huius capitibus indicabamus. Manifestum autem ac planum etiam indocto ac rudi cuique arbitro fuerit, Hilelum illum spiritum cum Deo, id est, cum authore suo, de virtute & efficacitate siue potentia nunquam quiuisse contendere: neque enim hoc vllo pacto aut modo cum Creatoris, atque eius qui ex nihilo creatus fuerit, ratione stare potest; quare nec in mentem vnquam huic simile quicquam venire Angelo illi potuit. Sed nec de bonitate tum naturæ, tum verò mentis atque consilij æmulatio vlla incidere potuit spiritui, qui vel eo ipso, quòd authoris sui laudum æmulū sese præberet, bonitatis ius, decus, nomenq́ omne ab se abdicare alienareq́ censendus esset; præterquam quòd ingrati ac perfidi notam sibi ad ignominiam sempiternam inurebat, qui ordine munereq́ suis, iisdemq́ amplißimis, non contentus, ad Principis proprij, atque in se tantus nominibus magnifici & benefici, partes obtinendas adspiraret.* Attributa Deo.

*Reliquum igitur est, Hilelum illum, mundi huius dominatum & principatum appetentem, Sapientiæ diuinæ æmulum sese præbere ac sistere voluisse, euentumq́ sibi callido ac fraudulento promisisse consilio. Nam si ipse eam rationem & formam, quam Deus de homine amplificando statuerat, labefactare & inuertere calleret, non sibi solùm, verùm aliis etiam permultis, Deo sapientior, saltem æquè sapiens videretur, & iure suo, vt postea indicabimus, hominis imperio obtento, mundi etiam, qui hominis causa editus fuerat, potestatem ac ditionem vsurparet. Quamobrem consilium, inuentumq́ suum, cum aliis spiritibus, eo modo quo ipsi inter se agunt, cōmunicauit; quibus defectionem persuadere parans, quemadmodum ipse sese, atque eos qui sibi adhærerent spiritus omnes, hominis dominum redditurus esset, exposuit: neque enim Deum mutaturum ea quæ de hominis natura, vi, & facultate, iuxta genus suum instituisset; nec ea, quæ de eiusdem ornamento amplificationeq́ decreuisset, variaturum. Quòd si ipse suo ingenio, excogitatoq́ commento, hominem in fraudem pellectum à Deo abalienaret, vt abalienandum sperabat; totius mundi imperio exspoliatum, in tyrannidem suam redactum iri, consequens erat. Ex Angelorum autem numero atque collegiis non exigua pars distinctas duplicis sapientiæ imagines, easq́ admirandas, contemplati, alteram quidem Dei, hominem tantis partibus præstantem conditurï; alteram verò Luciferi, siue Hilel, hominem à Dei fide & obsequio depulsuri, atque adeò subducturi; posteriori isti, quasi maiori visæ, primas deferentes concessere, & sese imperare homini, quàm ministrare mallē, professi sunt: atque ita à Deo desciscentes, æternæ iræ iudicium, sponte subitum, commeruerunt, vtpote quos sui ipsorum officij munerisq́ pœnituerit, affectatáque maioris dignitatis ambitio & cupiditas transuersos egerit. id quod diuini* Contentio de sapientia.

*Spiritus*

*Spiritus edicto, per Apostolum pronunciato, declaratum est. Angelos verò qui non seruauerunt suum principatum, sed reliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Iudæ " "

*Atqui consilium ipsum inceptum primùm à Lucifero, ambitiosè initum, & parem ac similem sapientiæ laudem quæsitã, mandato sibi, atque in exemplũ aduersus Babylonis Regem vsurpato eiusdem Hilelis dicto, Isaias vates expreßit: Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terrã, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo, In cælũ conscendam, super astra exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: adscendam super altitudinem nubium, similis ero Altißimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci. Atque hoc quidem exemplum, quamquam in Babylonis tyrannum à Vate pronunciatum fuerit, tamen ex Hileli (cuius ambitiosam superbiam Rex ille imitabatur) vera & antiqua historia alludendo productum fuit, idq́; apertè ipso Dei mandantis iussu declaratur: Sumes parabolam istam contra Regem Babylonis, & dices: Quomodo cessauit exactor, &c. Id, inquit, quod verè olim Lucifero illi primo accidit, à te exempli parabolæq́; nomine aduersus Babylonis Regem assumptum & iactatum volo: qui eodem, quo Lucifer ille, consilio, totius orbis terræ tyrannidem, ac diuinis laudibus persimilem honorem superbè & insolenter affectare est ausus. Hoc itaque affectati diuini honoris proposito iam certus, atque maximè suæ sapiẽtiæ opinione, spirituum parti non exiguæ persuaso, iustitiæ diuinæ veritas & constantia ducem ipsum, ducisq́; gregem, è cælo extorres atque exules in carcerem atque vincula coniiciendos, & æterni ignis pœnis cruciandos censuit, atque ad exsilij expediendam mulctationem, ex spirituũ ordinibus principem quendam, adiunctis cæteris qui in propria statione permanere voluerant, cælestibus animis præfecit. Hic verò indignè ferens quemquam diuinæ laudis æmulam cogitationem subire, ratione, intellectione, atque sermone, qualia spirituum arma sunt, rem ipsam dextrè & celeriter confecit. Namque vt perfidus ille ac perduellis Lucifer Altißimo sese similem statuendum iactauerat: ita rursus contrà fidus hic atque fortis minister neminem cum Deo vllo pacto conferri posse asseuerabat; sibiq́; cum socius suis incomparabilem virtutis Dei maiestatem authoritatemq́; asserendam esse affirmabat: huiusmodi elogio atque præconio,* MICHAEL, *quod Latinis verbis expressum,* QVIS VT FORTIS DEVS, *consonat. Cuius elogij æterno monumento dux ille spiritus nomen sibi à Deo concessum duxit: atque eo nomine perpetuas cum Lucifero illo hoste inimicitias contentionesq́; geßit. S. S. E. Et factum est prælium magnum in cælo, Michael & Angeli eius pugnabant cum Dracone: & Draco pugnabat, & angeli eius, & non valuerunt; neque locus inuentus est eorum ampliùs in cælo. Et proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit vniuersum orbẽ, & proiectus est in terram, & angeli eius cum eo missi sunt. Videbam Satanam sicut ful-*

Margin notes: Isaiæ 14. " " " " — Parabola. — Apoc. 12. " " " " "

Lucæ 10. *gur de cælo cadentem, ait* IESVS. *Atque de corpore Moysis disputantem cum*
Iudæ. *Diabolo Michaelem Archangelum altercatum fuisse, Iudas Apostolus refert. Angelum verò illo ab officio principióque suo degenerantem, variis & infaustis probrosisq́; nominibus fuisse pro malæ mentis noxiarúmque artium exemplis dictitatum, & Ioannes in Mysteriis, & frequentissima lectio docet. Eundem verò in diem iudicij vinculis æternis sub caligine seruatum, atque igni destinatum perpetuo cælestis Magister confirmat. Tunc dicet & iis qui à sinistris erunt, Discedite à me maledicti in ignem*
Matth 25. *æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Atque hæc nunc de Luciferi peruerso & infido consilio, deq́; eorum spirituum, qui Luciferi tenuere partes, consensu, damnatione, atque casu indicasse fuerit satis; quæ diuina scripta attentiùs legentibus magnam ad veræ scientiæ studium afferent lucem: iam verò deinceps, quemadmodum id quod proditor ille spiritus decreuerat, exsecutus demum fuerit, porrò explicabimus.*

# De hominis electione, ac Lege.

## CAPVT XII.

INTEREA *quæ Deo tribuuntur virtutis amplitudinisq́; infinitæ monumenta, iustitiæ laus & authoritas eandem cum cæteris admirationem ac prædicationem sibi arrogat. Iustus es Domine,*
Psal. 118. *& rectum iudicium tuum, mandasti iustitiam testimonia tua, & veritatem tuam nimis. Huius autem diuinæ æternæq́; virtutis opus fuit, leges, vti dicebamus, vnicuique rerum editarum generi præscriptas edicere, obseruandasq́; mandare, & hoc pacto dignitatis atque sortis vnicuique concessæ tutricem assertricemq́; se præstare; contrà verò, violati diuini iuris vltricem sese præbere, cùm iustissimum fuerit vnumquemque ea dignitatis, muneris, atq; commoditatis statione pelli, quam propriis & præscriptis idoneisq́; artibus tueri piguerit vel pænituerit. Atqui singularum quæ in toto hoc mundo intra extraq́; sunt rerum naturæ atque formæ propriarum artium & efficientiarum numquam oblitæ, temporibus, modulis, muneribúsque suis commissa munera obeuntes, conseruarunt. S.S.E. Statuit ea in æter-*
Psal. 148. *num, & in seculum seculi: præceptum posuit, & non præteribit. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, qui faciunt verbum eius. Montes, & omnes colles; ligna fructifera, & omnes cedri. Bestiæ, & vniuersa pecora, serpentes, & volucres pennatæ. &, Ordinatione tua perseuerat dies; quo-*
Psal. 118. *niam omnia seruiunt tibi. Eorum autem quorum propter præstantiorem naturæ dignitatem iniunctas sibi partes diligenter ac fideliter suscipere & obire præcipuè retulerat, hoc est, Angelorum & hominum; illorum frequentem numerum, horum verò vniuersum genus in duobus primis personis*

*atque totius naturæ ſeminariis, officium & fidem deſeruiſſe ac prodidiſſe legimus. Namque de Angelorum quorundam factione, ac ſubita defectione, quæ pro tempore diſſerenda videbantur, paulo antè indicauimus. Humani verò generis qualis quantaq; fuerit peruerſitas, atque ingrati animi temeritas & audacia, deinceps exponemus: idq; vt commodiùs fiat, hominis naturæ rationem, repetito priùs principio, aliquanto ſubtiliùs examinabimus.*

*Duplicem humanæ naturæ partem diuino opere conſtitiſſe dicebamus: cæleſtem alteram, ad imaginem & ſimilitudinē Dei; terreſtrem verò alteram, qua homo terrenus,* ADAMQVE *dictus eſt: Vtrique autē parti ſuam appetitionem adiunctam, diuerſam quidem alteram ab altera, atq; vtrique naturæ propriam; ſuperiorem vnam, inferiorem verò alteram: illam qua homo ea appeteret ac vellet, quæ ſuperiori parti, hoc eſt, cæleſti commoda decoraq; eſſent: hanc verò alteram appetitus nomine apud Latinos dictam, qua ea ſibi homo quæreret atque aſſumeret, quæ animali vitæ honeſtè tuendæ ac iuuandæ opportuna viderentur. priorem marem, poſteriorem verò feminam appellatam indicabamus; illam ductricem, & viæ atque vitæ principem ac reginam, hanc verò comitem & adminiſtram; adminiſtram, inquam: namque neutram abſolutè ſui dominam & exlegem, ſed ſupremæ Conditoris legi addictam & obſequentem eſſe, diuina decreuerat iuſtitia. Vtrique autē parti propriam & aptam cognoſcendi facultatem Author adiunxerat, qua videlicet id vtrique cognoſceretur, quod ſibi vſui atque commodo foret. Verùm huius geminæ cognitionis vſum non ex ſua vtriuſque regula atque norma, ſeu, vt ita dicamus, opinione ac libidine optandum, ſed ex iuſtitiæ Dei præſcripto temperandum ac definiendum, eo tamen ordine, vt inferior cognitio nihil ſibi citra ſuperioris conſilium ac nutum aſſumeret & vſurparet; ſuperior verò nec ſibi quicquam vellet, nec inferiori permitteret, præter Conditoris atque Principis ſupremi præſcriptum ac legem. Gemina autem hæc cognitio geminis oculorum luminibus ex imagine ac ſimilitudine quadam conferri poterit: quorum alterum dextrum, alterum verò ſiniſtrum eſſe conuenit; vtrumque autem nihil poſſe ac debere contueri ſine ſolis ac diei luce, cuius præſidio quid pulchrum decorúmque, quid contrà turpe atque indecorum ſit, clarè perſpiciatur. Nam quæ alio lumine quàm diurno videntur, coloris proprij veritate tenebris turbata, ſpectantium ſenſum perſæpe fallunt; in tenebris verò, atque ſemota omnino luce, videri & conſpici poteſt nihil. Atq; huc illud pertinet quod Præceptor monendo dicebat: Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit; ſi* Lucæ 11.
*« autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit. Vide ergo ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint. Si ergo totum corpus tuum lucidum fuerit, « non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te. Hoc itaque in primis diſputationis operiſq; huius « fundamentum iacimus: nempe, Hominem ita porrò naturæ ſuæ rationem ac veritatē tueri & conſeruare debuiſſe ac potuiſſe, videlicet ſeſe agnoſcentem,*

*tem, authoremq́ sui suspicientem, ea secundùm inferiorem partem appetere, quæ superior consulta moneret; superiorem verò ex decreto præscriptoq́ Dei sibi atque inferiori portioni prospicere & consulere oportuisse. Consentaneum namque erat sinistrum dextro, feminam mari obtemperare, vtrumq́ verò capiti suo parere & obsequi, nec vlli vel proprio, vel alieno consilio aut monito sese vllo pacto addicere. Id si, vti constitutum fuerat, obtineretur, felicissimam profectò atque beatissimam vitæ formã, maximeq́ sibi ipsi aptam & consonam, humanũ duceret genus, cui præter suæ ipsius naturæ præstantiam & amplitudinem, totius orbis terrarum imperium, & assiduum opportunumq́ semper authoris ac principis supremi Dei colloquium, atque Angelorum supernorumq́ spirituum contigerat ministerium. Nouimus enim singularem admirandamq́ curam illo primo rerũ orbis initio ab authore in homine non fingendo efficiendoq́ tantùm, sed in ornando, fouendo, atque propriis præsentibusq́ sermonibus compellando, monendo, & instruendo adhibitam: quam nisi humana peruersitas abalienaret, perpetuam immutabi-*
Malach. 3. *lemq́ perseueraturam compertum est. Ego Dominus, & non mutor, & vos*
» *filij Iacob non estis consumpti. A diebus enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis, & non custodistis. Igitur hominis naturæ facultatisq́ fuit, quæ dextro, & quæ sinistro oculo videnda; quæ superiore, quæq́ inferiore portione cognoscenda essent, videre & cognoscere. Tertium autem illius agere non retulerat, hoc est, vtrarumq́ rerum, quæ animo, quæq́ sensu cognosci possunt, vsum sibi ex suo ipsius iudicio statuere, sed ex Dei monito ac præcepto capessere. Siquidem non tantùm ipse sibi quid vtile, quid inutile foret, quantum Deus perspicere, & indicare, atque tradere poterat; nec tam sibi carus esse, quàm sapientissimo optimoq́ Deo, qui imaginem suam à se perfectam & amare, & fouere instituerat: id quod Sapientia ipsa apertè professa prædicabat:*
Prou. 8. *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, lu-*
» *dens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum; & deliciæ meæ, esse*
» *cum filiis hominũ. Nunc ergo filij audite me. Beati qui custodiunt vias meas.*
» *Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abiicere eam. Beatus homo*
» *qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad fores*
» *ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.*
» *Qui autem in me peccauerit, lædet animam suam. Omnes qui me oderunt,*
» *diligunt mortem.*

*Itaque hominem, duplici portione constantem, in orbe terrarum à Deo constitutum principem accepimus, masculum & feminam eundem; animo quidem masculum, anima verò, id est, ea parte in qua sensuum & appetitionis fons est, feminam; aliisq́ nominibus interiorem exterioremq́ hominem dictum: interiorem ad imaginem Dei factum, exteriorem in animã viuentem, ad exterioris naturæ, siue naturalis formæ rationem opportunis partibus compactum & concinnatum, atque hoc pacto propagandum ex duobus eiusdem naturæ sociis, primis omnium parentibus, quibus, præter exteriorem*

*vim*

*viri ac mulieris distinctionem, nihil præterea discriminis erat.S.S.E.* Hoc nunc os ex ossibus meis,& caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est. *Hunc quàm diu in sua vocatione atque electione manere iuuaret, omnibus suis partibus perfectum & integrum, nullius in se rei ad bene agendum, suauiterq́ viuendum indigentem, & authoris sapientia conseruandum, & benignitas prouidentiaq́ fouendum susceperat, & ipsa vita experientia declarabat. qua de re ita legimus:* Erat autem vterque nudus, Adam scilicet & Eua,& non erubescebant. *Cuiusmodi orationis tropo defectus vitiiq́ omnis excluditur exceptio. Eo modo & habitu, quo vterque à Conditore factus & constitutus erat, simplices ac recti, nullius vitij sibi conscij agebant, nihilq́ in se, quod ad naturæ à Deo conditæ bonitatem facere posset, requirebant. Namque altero illo oculo cælesti diuina, sublimia, cælestia contemplari, altero verò naturali ac terrestri terrena & inferiora cognoscere cùm possent; tantæ felicitatis & virtutis authori Deo gratulari, atque, quod ad vsum delectumq́ faceret, obsequi ac parere debuerunt, vt cætera omnia suis quæq; ordinibus parent, & pro conditionis propriæ facultate & copia gratulantur: cùm nihil itaque mali, aut defectus, aut vitij in se cognoscerent, nihil horrerent aut metuerent, nihil, quam ob rem erubescerent, habebant. Atqui nec Deum diuinaq́ cognoscendi; nec terrena etiam perspiciendi rationem & modum ipse sibi homo ex proprij consilij deliberatione statuere debuit, sed Deo ipso conditore præscriptum tenere ac seruare, eiusdemq́ leges & edicta sancta sacraq́ ducere, & vt ab infinitæ Sapientiæ consilio deducta colere, nihilque vlteriùs aut sibi appetere, aut alij vlli diuersa monenti credere ac fidere.*

# De præceptis homini in principio datis.

## CAPVT XIII.

NON *tantùm terræ ac maris principatu & imperio illustrem præstantemq́ hominem constituere Deus voluerat, sed variis etiam delicis, iisdemq́ suauißimis & honestißimis, fouendum susceperat, consito ad eam rem horto, omnium, qui describi atque excogitari possunt, amœnißimo ac fertilißimo.* Plantauerat autem Deus paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominem quem formauerat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu,& ad vescendum suaue: lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen vni Phison: ipse est qui diuidit omnem terram Hauila, vbi nascitur aurum,& aurum terræ illius optimum est; ibique inuenitur bdellium, & lapis onychinus. Et nomen fluuij secundi Genesis 2.

Gihon: ipse est qui circuit omnem terram Æthiopiæ. Nomen verò fluminis tertij, Tigris: ipse vadit contra Assyrios. Fluuius autem quartus, ipse est Euphrates. Tulit ergo Dominus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.

*Atque huiusmodi cùm naturæ suæ dignitatem integram incolumemq́ tueri, tum verò diuinam in se liberalitatem omnibus illis, quas commemorauimus, partibus, ac pluribus etiam cumulatam, conseruare primus homo debuit, debendoq́ potuit, idemq́ sibi, sobolique suæ omni retinere ac propagare: siquidem dona hæc ea causa sortitus obtinuerat, non vt amitteret, vel perderet, sed vt tueretur, & ad vtilitatem suam, donantisq́ gloriam & laudem perpetuam, conseruaret.* Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris. *Iisdem quibus crescendi atque sese propagandi virtutem concesserat, dominationis atque imperij in cætera omnia copiam benignè fuerat largitus: quamobrem secundo alloquio non vni primo homini, sed omnibus fructuum terræ vsum impertiit est.* Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem fructum iuxta genus suum. *Vobis, inquit, non tibi:* & cunctis animantibus; *vt cunctis animantibus, ita etiam vobis cunctis.*

*Huius autem tantæ felicitatis constantia & stabilitas, certa & ab ipso lata Conditore lege nitebatur; cuius quoad integra conseruaretur sanctitas, diuinæ in obseruatores prouidentiæ singularem tutelam & curam, atque etiam diuinæ familiaritatis prærogatiuam frequentibus alloquiis, &, vt sic dicere fas fuerit, cælestibus consuetudinibus iucundissimam experiretur homo. Et deliciæ meæ, esse cum filiis hominum, ait Sapientia. &, Quid* Prou. 8.
*est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Psal. 8.
*Namque id quod actum voluit æternus immutabilisq́ Deus, perpetuò constans ageret, modò is, qui beneficium acceperat, officio faciendo, conseruaret; vt cætera omnia, quibus mundus constat, suas quæque partes tutantia, Verbi etiam diuini virtutem, hoc est, naturam propriam efficientiamq́ retinent. Omnis verò illa, quæ hominum generi data est lex, æqua, iusta, decensq́ fuit, nullaq́ sui parte difficilis, præsertim natura hominis liberæ atque rectæ, & virtutibus prædita iis, quæ ad legis obseruantiam opportuna erant: præterea etiam gratia beneuolentiaq́ Conditoris perpetuò iuuandæ & fouendæ. Hæc*
Sap. 10. *[Sapientia] illum qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit. Et eduxit illum de limo terræ, & dedit*
Eccles. 7. *illi virtutem continendi omnia. Solummodo hoc inueni (ait Ecclesiastes)*
» *quòd fecit Deus hominem rectum.*

*Omnis autem hæc, quam indicare paramus, lex ad vsum exercitationemq́ duarum animi virtutum referebatur, hoc est, ad superioris portionis, siue interioris hominis intelligendi vim (quam intellectum vocant) & ad diligendi, amandi, curandiq́ facultatem (quæ voluntas dicitur) exercendam, in officioq́ continendam: neque enim ea, quæ in hominum conditione præcipuam*

*præstan-*

*præstantemq́ laudem obtinebant, virtutes & facultates frustra exstiterant, neque ratione atque pulchritudine orbis incolumi otiosæ esse poterant: siquidem vnicuique viuentium generi vita veritas actione & exercitatione comprobatur. Duo igitur agendi, seseq́ exercendi argumenta proposita, duplexq́ quasi materia data est. Alterum diuinum promissum siue dictum, alterum verò præceptum dicitur. Illud, vt intellectum exercendo in veri cognitione firmaret; hoc, vt voluntatem certis limitibus coerceret atque retineret. Alterius partis actionibus atque exactionibus constans habitus* Fides; *alterius verò seruitus propriè, siue obedientia, vel obseruantia appellatur. Quidquid enim Deus vel pollicitus vel comminatus fuerit, id sua sponte firmum, ratum, constansq́ futurū, & diuinæ vitæ ratio docet, & intellectu suscipi crediq́ par est. Sine fide autem impoßibile est placere Deo: credere* Hebr. 11. *enim oportet accedentem ad Deum, quòd est, & inquirentibus se remunerator est.* « *Quamobrem homini si Dei familiaris atque singularis curæ vsum* « *fructumq́ percipere commodum esset, vt certè fuerat commodißimum; effatis pollicitationibúsque diuinis credere expediebat: non tantùm verò iis credere, sed adiunctis etiam præceptis, obtemperare, consequens consentaneúmque erat. Remunerationis namque ratio exercitij, obsequij, officiique veritatem, ad quam refertur certo modo & exemplo, constantem exigit. Atqui ad vtriusque partis instructionem & exercitationem quamquam sex commemorentur præcepta primo homini data & probata; omnia tamen ad duo summa referimus capita; Fidem videlicet, & obedientiam; quæ iam paulo antè indicauimus. Fidei verò argumentum, quamquam prius ordine rerum sit, posteriori tamen loco ex narrationis contextu commemoratur. Obedientiæ verò materiam in vna arbore constitutam voluit esse Deus, quam ex tot plantarum millibus, quot cùm alias in terris omnibus, tum præcipuè in horto illo consitas, hominis esui atque vsibus concessas indicauerat & suppeditauerat, vnam exceptam, & in omnem vsum interdictam, sibi Imperatori supremo dicatam, reseruare voluit, & omnino sanctam sacramq́ habendam decreuit.* Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum: præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. *Huic vetationi in qua voluntatis disciplina continebatur, comminatio adiuncta fuit, quæ intellectum in dictorum conuentorumq́ diuinorum constantiæ atque veritatis fide occuparet ac retineret, nec quicquam vlteriùs cognoscere permitteret, quàm Deum omnibus dictis suis veracem, certum, immutabilemq́ esse, idq́ apprimè diuinæ consentaneum esse naturæ.* In quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris. *Itaque duo hæc vniuersè homini ad officium obseruantiamq́ edicta fuere, videlicet, Dei oracula atque effata perpetuò veracia credere; illiusq́ iussa, certa constanteq́ religione & pietate atque obsequio prosequi.* Posuit eũ in paradisum voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.

illum. *Cuius legis primaeua & germana enunciatio, geminum complexa sensum, cùm paradisum ipsum, tum verò praecipuè Deum ipsum colendum obseruandumq́; declarat:* LE GHABODO VL SOMRO, *Ad colendum eum, & ad obseruandum eum. Atque paradisi concessi cultura & obseruatio id ipsum pietatis officium erat, quod dictanti Deo & exigenti fuit impendendum. Summa verò vetiti fructus atque arboris cauendae ratio illa fuit, vt vnico Dei sibi optimè consulentis monitu ac iussu contentus homo, superiorum atque inferiorum rerũ naturas differentiasq́; cognosceret quidem, nihil autem ex illis ipse sibi vel profuturum, vel obfuturum dispiceret, examinaret, aut optaret, sed optionis ius & potestatem vni Deo permitteret, cui se quàm sibi ipsi cariorem intelligere par fuerat, cuique sapientiae infinitae atque benignitatis laudem tribuere debebat: fieri autem non posse, vt, qui sapientissimus, optimus, benignissimus, atque sui esset amantissimus, quid sibi maximè conueniret, rebusq́; suis commodissimum foret, non constituisset &* 
Psal.71. *imperasset: id quod prudentissimè à diuino Vate decantatum est:* »*Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Quid enim mihi est in caelo? & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in aeternum. Quia ecce qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*« *Haec itaque diuinae iustitiae rerum genera omnia complexae ratio summa fuit, cuius quam ad se pertinere censebat partem homini conseruatam* 
Prouerb.16. *sanctamq́; esse oportuit. Sicut scriptum est:* »*Pondus & statera iudicia Domini sunt, & opera eius omnes lapides sacculi.*« *Huc etiam illud pertinet, quod* 
Eccl.7. *paulo antè citatum, non absoluimus:* »*Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse sese infinitis miscuerit quaestionibus.*«

# De defectione & casu hominis.

## CAPVT XIIII.

Sap.2. REAVIT Deus hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suae fecit illum: inuidia autem diaboli, mors introiuit in orbem terrarum. *Luciferi superbam audaciam, & ambitiosum propositum perdendi hominis, atque ita diuinum consilium labefactandi, demumq́; orbis imperium tyrannidemq́; occupandi, paulo antè indicabamus: cuius facinus qua fraude, quibúsque commentis tandem peractum fuerit, deinceps exponemus. Nouerat nimirum ille hominis recens editi naturam duplici portione constantem, superiori altera, inferiori verò altera. nouerat, inquam, interiorem exterioremq́; esse hominem, quibus Adam in animam viuentem fuerat factus; vtrique verò* 

*homini suam, sibique aptam noscendi facultatem inditam, suamq; etiam appetendi vim, optandi tamen licentiam non esse permissam, sed ita temperatam rem, & vitam omnem, vt inferior superiori pareret portio, superior Dei vnius effatis, iussis, & monitis esset addicta. Rursum verò iustitiæ diuinæ seueritatem & integritatem summam constantissimamq;, propria primùm sapientia intellexerat, & suo ipsius periculo atque malo senserat; quippe qui iam è cælo, atque beatorum spirituum collegiis, consuetudine, consortioq; extorris exsulabat, & vinculis æternis in caligine subeundis fuerat reseruatus. Denique vitam illam felicem & sempiternam, quam primùm editus in luce obtinuerat, in æternam sibi mortem, in tenebrasq; fuisse commutatam, seq; mortis antesignanum atq; sequestrem, summum etiam rectorem tenebrarum, & spiritualis nequitiæ authorem promotorémque redditum,* Ephes.6. *agnoscebat. Nihilominus partes ipse suas, quamquam non in luce, in caligine tamen, tempestate ac tenebris agere, vrgere, & promouere certus, quòd eiusmodi natura ingenioq; esset, vt, quod semel constituisset, nunquam non constitutum vellet, nec factum sibi infectũ optaret, eam, quam initiò inuidiosè admiserat de homine perdendo, diuinaq; sapientia superanda, cogitationem studio, re, & euentu conficere decreuit, fallacia iam apud se reperta, qua homini per insidias atque fucum ruinam interitumq; adferret, mundíque huius imperium, despoliato expulsóque possessore legitimo, sibi vni seditionisque suæ comitibus & administris arrogaret. Hominem igitur mendacio adortus, ea tentat parte, qua minùs sapere, minúsque valere cognouerat, feminea nimirum portione in sui ipsius amorem inducta, sibiq; ipsi consulere ac prospicere, & vtilitati commoditatique propriæ operam dare suasa. id verò quoniam vt apertè & impudenter susciperetur, diuini mandati authoritas obstabat, tamen ex Dei mente & voluntate aut confici posse, aut vbi iam confectum fuerit, ratum fore, verborum præstigiis credibile ostendit. Denique illud accuratissimè egit, vt homo sibi ipsi quæ viderentur commoda & opportuna, dispicere & optare disceret, eademq; non aliena à diuino proposito fore sibi ipsi fingeret, hoc est, vt quæ sibi probarentur vtilia & iucunda, tametsi ex diuino præscripto non essent, tamen Deo fore demum probanda. neq; enim Deus frustra sibi, portioníque suæ cognoscendi appetendíque vim indiderat, sed vt eius vsum ipsa, cùm sese res obtulerit, caperet; id verò Conditori gratum fore, quòd ab ipsa natura & vtilitate rerum non esset dissentaneum: nec exspectari semper oportere expressum & apertum Dei monitum aut iussum, sed id primùm quod commodum aut iucundum sibi decerneret, idq; ipsum appetere & comparare confidenter; nec vereri idem non fore Deo iudice honestum & rectum. quod si maximè vetitum videatur, interpretatione tamen ingeniosa diuinum vel edictum vel dictum ad honesti ac recti rationes reuocandum esse. Atque huiusmodi argumenti summam, ad ea quæ de serpentis atque mulieris collocutione sermoneq; narrantur, intelligenda & explicanda subductam primùm, & legentium menti repositam*

*esse expedierit. Namque eò referuntur omnia, vt homo ipse, præter Dei authoris sui præscriptum, commoditatem, dignitatem, amplitudinémque suam sibi ipsi superbè insolentérque statuens, consulat & quærat, adipiscique conetur, idq́ non sine Deo facere videatur; & quidquid Deus contrà aut intercessisse, aut constituisse, aut vetasse dictus fuerit, vel ex proprio, vel ex alieno etiam Luciferi ipsius magistri ingenio ad id, quod magis expedierit, firmandum & comprobandum trahatur. Hæc itaque diaboli calliditas, hæc mendacis illius ac dolosi ambitiosiq́ hostis astutia fuit, quam his orationum & sermonum figuris antiquæ veritatis enarrator descripsit:* Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno paradisi? *Principiò dissere docuit confuso sermone, atque ex interdicto ipso appetitionem incendere & excitare studuit, indignum ducendū monens sese vniuersè omni lignorū genere fuisse priuatos, quorum causa arbores, herbæ, plantæq́ omnes fuissent productæ. Namque alijs quidem animantibus alia esui opportuna essent ex variis plantis alimenta; vobis verò cur non omnia? Excitare quidem appetitionem tentatio & fallacia hæc potuit, impellere & inducere ad vetiti fructus esum quamprimum vsurpandum non potuit; illud tamen effecit, vt, re in deliberationem adducta, ad consilium disputationemq́ descenderetur, quæ prima ad expugnationem opportunitas fuit; aperta videlicet ad colloquium & disceptationem ianua, quam vnius diuini iussi authoritate præclusam firmamq́ custodiri oportuerat. Satis enim fuerat Deum præcipere, ad quem præceptionis ratio fuerat referenda, potiùs quàm cum alio vel ingenio vel iudicio atque colloquio conferenda.* Cui respondit mulier, De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur: de fructu verò ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Dominus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. *Quæ ad fidem obseruantiamq́ pronunciata & credita fuerant oracula, in disceptationem atque controuersiam vocata sunt: quæ prima nota fuit feminæ officium prodentis suum, alienum capessentis, cuius magis intererat ad viri consilium rem collocutionémque omnem traducere, viri verò, Dei iussum, sanctum atque ratum obseruare, omnemq́ de se cogitationem in vnicam Dei prouidentiam & bonitatem reijcere, nulla commodi atque incommodi proprij ratione habita. Namque vbi hæc haberi cœperit, rerum & consiliorum ordinem peruerti necesse est, & id primo loco figi, quod postremum esse debuerit, aut neglectum.* Ne fortè moriamur. *Metu magis quàm voluntate sese duci & agi, feminea sapientia declarabat; pœnæq́ formidine detentam, iussum illud obseruare, quamquam mortis ac pœnæ inscium & rudem prorsus, sed vitæ tantùm, quam obtinebat, studentem & cupientem.* Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quòd in quocunque die comedetis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut dij, scientes bonum & malum.

Genes. 3.

Pri-

*Prædictionem illam diuinam miti ac suaui interpretatione leniendam, & in bonam potiùs partem accipi posse & accipiendam esse, docere callidus & fallax monitor studuit. id verò egit, agendumq́; docuit, dicto nimirum Dei ad femineæ cogitationis calculos reuocato. Nam cùm Deus arborem illam scientiæ boni ac mali dixisset, eandem non temere eductam, nec sine cuiuspiam vsu constituturam indicare putabatur: vsum verò nemini meliùs conuenire quàm homini, non Deo, vtpote minimè rerum omnium externarum indigenti, imò supremæ infinitæq́; cognitionis ac scientiæ compoti; non cæteris animantibus, quibus nec ad scientiā idonea natura erat, nec horti illius amœnissimi possessio & vsura contigerat. Homini igitur illam esse paratā plantam, sensus, mentis, cognitionis atq; scientiæ capaci, dominoq́; mundi huius constituto: qui cùm quid cuique cæterarū animantium aptum, commodum, propriúmque esset, exactè nosset, omnibusq́; præesse ac dominari posset; sui ipsius commodi & incommodi cognitione & prouidentia si destitueretur, minore profectò quàm poterat dignitate, amplitudine, atque virtute vti cogebatur. Atque ita imminutus putandus esset is quem omni ex parte exactum auctumq́; voluerat Deus, qui fortaßis eo consilio illud vetuerat, vt quantum sibi saperet, quantum vellet atque studeret sibi duplex illa in homine natura, pernosceretur; segnior existimāda, si, cùm augere ipsa perficereq́; sese magis posset, negligeret tamen ac torperet. Nam quod res ipsas spectat, scientia sua sponte atque ratione in numero bonorum atque adeò maximorum constituenda erat, homini præsertim diuini animi portione prædito, quod ad masculam partem facit; quod verò ad feminam, satis erat, masculo sociam esse, & os ex oßibus illius, carnemq́; de carne, atque adeò omnium rerum, quæ sensu prædita essent, præstantißimam: Boni verò ac mali cognitionem ad prudentiam, prouidentiam, deliberationem, consiliumq́; pertinere; quæ omnia vel virtutes, vel virtutum comites censebantur.* Aperientur oculi vestri, *qui nunc clausi velatíve sunt, dum quid conueniat vobis, rebúsque sit vtile vestris, non ex propria intra vos nata cognitione ac scientia percipitis, verùm aliunde petere cogimini; vel vnum tantùm boni sensum cùm habeatis, non pernoscitis tamen, cùm quidnam malum sit, quantumq́; à bono distet, minimè edocti, quanti bonum vobis à Deo concessum facere debeatis, non planè exploratum tenetis. Præstat autem vt vtraque ex vobis pars, femina, inquam, ac mas, quid bonum, quídve malum sibi esse & accedere poßit, agnoscens, mutuis deliberationibus consiliisq́; sese adiuuent, viribus ac virtutibus communicatis tueantur, & vsu fructuq́; rerum pro vtriusque commodis percipiendo, importuna atque aduersa cauendo, iucundam prorsus viuatis vitam, non domini tantùm rerum cæterarum facti, sed sufficientes vobis ipsis, prudentes, ac sapiētes, prorsusq́; consulentes,* ELOHIM, *hoc est, diis cæli ac terræ gubernatoribus euadatis simillimi. Namque vt Elohim sibi atque mundo omni sapit ac scit; ita vos rebus cæteris, atque adeò vobis ipsis, tam bonum quàm malum cognoscere, scire, sapere, & prouidere poteritis.*

*Atque meliùs etiam Deum ipsum tantorum donorum vobis authorem & præsidem cognoscentes, quem gratulatione perpetuoq; cultu prosequi noueritis, & vestrarum rerum vel minorum cura liberabitis, vel maximarum & commodissimarum precatione & postulatione doctiùs & prudentiùs appellabitis. Huiusmodi argumentis speciosisq; causis ad sui amplificationem singularisq; proprietatis appetitionem vehementer incensa femina, nihil aliud iam quàm externas rerum formas, & præsentis vsuræ voluptatem meditata, in fraudem denique impulsa est.* Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum visu, adspectuq; delectabile. *Bonum ad vescendum, ex cuius esu boni ac mali scientiæ delectus & vsus non extrà petitus, sed interiùs veluti innatus caperetur. huic etiam amplitudinis opinioni atque electioni cæterorum sensuum voluptas & iucunditas accessit, quibus omnibus femina indulgendum, & priuato consilio sibi vtendum esse duxit. Sed quoniam nihil ipsa seorsum conficere illo in statu poterat inuito viro, nihil videlicet portio inferior, sine superioris consensu propter summum tunc vtriusque necessitudinem & concordiam, quòd Adam in animam viuentem factus esset, atque altera os alterius, & caro de carne illius exstitisset: ita femina viro mutuæ consuetudinis illecebris idem ipsum secum appetere admittereq; persuasit. hoc est, amplitudini quoque propriæ, & cognitioni priuatæ, atque intra sese constituendæ operam dare; idq; sedulo sibi curare & agere quod femina sibi egerat, & vtrisque agendum optauerat.* Et comedit, deditque viro suo, qui comedit. *Atque ita primum illud humanum delictum vtrimque conflatum admissumq; est, minore parte mendacio primùm seducta, maiore verò per minorem commota, in fraudemq; deducta, ambabus verò à Dei Verbo ad serpentis fallacem suasionē desciscentibus, & à boni ac mali ignoratione ad scientiam, sensum, experientiamq; repentè versis & mutatis.* Et aperti sunt oculi amborum. *Non alterius oculus tantùm, sed vtriusque oculi narrantur aperti. ita verò priuata illa atque affectata videndi & cognoscendi vi aperti sunt, vt malum quod antea ignorabatur, propriæ mortis experientia atque sensu admissum, cognitum & perceptum, atque adeò adhærens domesticumq; factum euaserit. Neque enim mortis malū experimento nosci potest, nisi erepta ac sublata vita. Neque vitæ bonum præstantissimum quale quantumq; sit, sine mortis comparatione atq; gustu exactè ab humana pernoscitur natura: quæ cùm nuda antea esset, id est, cùm nihil haberet quod sibi tribuere arrogareq; posset; tamen diuinæ iustitiæ communicatione ac singulari prouidentia ita temperata erat, vt humana terrenaq; omnia cognosceret, rectoq; teneret sensu, & diuinorum etiam capax compósque pro Conditoris liberalitate consisteret. Nihil prorsus in se, quamobrem erubesceret, agnoscebat; sed vita ac luce fruebatur tenebrarum ac mortis experte, mortis, inquam, æternæ atq; spiritualis, quæ alienationē à Verbo Dei euestigio consequitur, ac tenebrarum externarum, à quibus diem diuina virtute ac iussione separatum legimus. Ita porrò homo sese diuinū lumine*

*sup-*

*superare atque excedere affectantem, diuinum pariter atque suum, hoc est, integrum illud humanum quo præditus fuerat, amisisse demum sensit, adeò vt neutrum eo quo antea perceperat modo, percipere iam deinceps posset. Siquidem antea nudus, nec suam cognosceret nec erubesceret nuditatem, quæ composita visus acies, & bonis tantùm ac pulchris assueta videndis, atque adeò diuinarum virtutum facultatumq́ ornamentis intenta conspiciendis & contemplandis, intra suæ sortis conditionisq́ limites delectabatur. Totum igitur opus Dei illud quod hominem vocamus, masculum ac feminam vtraque ex parte rectè constantem, ob appetitam & obtentam singularis ac priuati iudicij & vsus copiam, ob oculorum suorum quæsitam suo modo perspicacitatem è propriæ dignitatis conditionisq́ ordine sese deturbatum à luce in tenebras, à libertate Dei in seruitutem carnis, à iustitia in profundam iniustitiam, denique à vita in mortem deiectum cognouit. Ex eaq́ humani generis iactura atque ruina diaboli operum moles contra Dei gloriam comparata est, regníque huius ita inuersi dominatio ab homine, cuius recta ac legitima possessio antea fuerat, ad Luciferum illius iam deinceps dictitatum principem traducta. S. S. E. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum* Rom 5.
*intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit,* "
*in quo omnes peccauerunt. Adeò antiqua, adeóque calamitosa humanæ sobo-* "
*lis miseria ab ipsis infantiæ primordiis in omnes, qui in primo illo homine tanquam generis fonte continebantur, dimanauit: vt quidquid ille in se mali vitij senserat & cognouerat, nemo ex illius secundùm naturam posteris non conceperit & agnouerit. Dominus de cælo in terram adspexit super fi-* Psal. 52.
*lios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes decli-* "
*nauerunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est vs-* "
*que ad vnum.* "

# De conuersione humani status.

## CAPVT XV.

VETITI *fructus, hoc est, affectandæ præter modum boni ac mali cognitionis interdictionem, consecuturæ e uestigio mortis prædicta pœna cautam fuisse legimus.* In quacunque die comederis ex eo, morte morieris. *Hanc verò interioris hominis, ad imaginem & similitudinem Dei ab initio facti, mortem præcipuè interpretamur, quæ verè ac propriè mors dicitur, atque à Vitæ Verbo abalienatio ac separatio definitur: vt enim nullum in terris, nullum in aquis animal sine prouidentiæ Dei omnia agentis, & in suis ordinibus conseruantis, virtute & efficientia viuere potest. S. S. E. Auertente autem te faciem tuam, turbabun-* Psal. 103.
*tur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum conuerten-* "
*tur: sic etiam interioris illius hominis natura & vis, sine Dei, cuius imaginem referebat, Verbo, vitam vimq́ suam integram retinere conseruaréque*



*non*

Ioan. 1. *non potuit, sed, eodem abiecto & repulso, sibi ipsi mortem attulit. S. S. E. Et*
*» omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso [Verbo] factum est nihil, quod factum est. Id quod in imaginem similitudinémque Dei per Verbum factum fuerat, & per Verbi obseruantiam conseruandum fuit, repudiato ac repulso Verbo, atque alio verbo serpentis admisso & obseruato, factum est Nihil. Id verò ita euenisse homo ipse cognouit. Nam qui antea nudus cùm esset, non erubescebat tamen, propter diuinarum virtutum ornamenta, & Verbi vitæ efficientiam prouidentiámque singularem perpetuò atque vltro præsentem;*
Prou. 8. *S. S. E. Et deliciæ meæ, esse cum filiis hominum: idem interdicti quamprimum violata lege, sese ita nudum cognouit, vt sibi ipsi turpis ac nequam, inhonestusq́; iudicaretur, amissa iam illa virilis partis dignitate & præstãtia, & in effeminatam impotentiam delapsa natura. Hæc illius per Vatem descriptæ imaginis significatio est:* Et cognouerunt se esse nudos. *Propter violatam proditamq́; Verbi præceptiq́; Dei obedientiam, primum conuersi status sui argumentum, nuditatis suæ (quam præstaret ignorasse) agnitionem habuere: atque iam voti compotes facti, hoc est, boni ac mali cognitionis, nuditatem illam turpem, impuram atque malam agnoscentes, cùm corrigere, emendare, vel saltem celare ac dissimulare cuperent; nihil in se quo id efficerent comperientes, tamen non à Deo postulare aut exspectare visi sunt, sed sua sponte, id est, propria industria, quam ex cognitione affectata & obtenta sibi peperisse videbantur. Igitur quod in se ipsis perdiderant, nec iam apud se reperire poterant, tamen aliunde exteriùs inuenire conciliaréque student: sed inuentione ipsa falluntur, atque decepti sese, dum non examinantur, fallunt, ea rerum genera ad sese operiendum, velandum, atque iuuandum vsurpantes, quæ cum naturæ atque egestatis suæ vsu conueniebant minimùm.* Consuerunt, *inquit*, folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. *Hæ scilicet à Deo desciscentis ac semoti hominis partes, huiusmodi scientia atque industria est, vt nuditatis amissarúmque virtutum propriæq́; inopiæ conscientiam excogitato sibi vltro atque per laborem & negotium quæsito ac parto remedio alleuamentóque soletur. Atque hic humanarum opinionum, inuentionum, actionum, curarumq́; infinitis partibus destractus atque diductus est fons: hæc sibi ipsis consulendi ac vitæ modum deligendi ac instituendi perpetua anxietas, quæ tamen & rem, & modos quibus sibi prospiciat, extra se pro ingenio ac sensu suo constituens, cùm plura & varia scire ac sapere ipse sibi videatur, non modò ad veram sapientiam, sed nec ad veritatis vnquam perducitur scientiam. Quid enim ficus foliis cum hominis nudi egestate? quid foliorum ingeniosa ac laboriosa commissio & coaptatio, neque aptè humano corpori hæsura, neque vel ad exiguum duratura tempus, nec vllo pacto, si ex vero examinetur probanda, nec eius qui operitur ac velatur conscientiæ vel labem elutura, vel pondus leuatura? Quàm primùm enim ita suo studio instructus homo ille Dei vocem audiuit, quam integris antè auribus ac sensibus dulcem, suauem, atq; salutarem percipere solebat; horre-*

*rursus*

*rursus, auersari atque pauere cœpit, & quemadmodum effugere latereq́ posset, magna trepidatione curabat.* Et cùm audissent vocem Domini Dei ambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini in medio ligni paradisi. *Ad conferendam humanæ sapientiæ vanitatem cum diuini iudicij atque examinis veritate, nihil aptius describi potuit quàm horror, quàm fuga, quàm denique latebræ: neque eæ quidem in re, possessione, atque locis propriis petitæ, quòd nullæ præsto essent; sed intra horti exterioris ligna & arbores, quæ quidnam præstare fugitiuo valerent, nihil ipse qui fugam ceperat, expertus est. certè illud intellexit, sese nullibi latere, nullibi iudicis Dei oculos atque notitiam fallere posse.* Vocauitque Dominus Adam, & dixit ei: Vbi es? *Miseriæ & inopiæ propriæ agnitionem illud est consecutum, vt qui alloquia diuina antea exspectabat excipiebatq́, quique præsente & probante Deo de rerum natura dißerere ac dicere verè potuit, nominaque certa subiectis sibi animantibus omnibus imponere, & eius, quod sibi deesset, adiutorij curam & prouidẽtiam authori ipsi permittere solebat, iam post hac in eum se deductum locum confiteatur, vt vocem paueat alloquentis Dei, vt se inuisentis maiestatem tremat & horreat, optetq́ potiùs intra horti ligna delitescere, quàm alloquij puri sanctitatem, & vitæ actionumq́ exspectare examen; atque hoc vno habitu quàm graue pondus, quantus conscientiæ angor sit, manifestet:* Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, eo quòd nudus essem, & abscondi me. *Quo responso Dei benignitas & constantia indicatur, & auersionis alienationisq́ culpa vni homini tribuitur, qui quo minùs Deum propitium, præsentem, atque fauentem experiatur, suo commiserit vitio. Neque enim homini vnquam sese Deus abnegat, sed idem ipse scelere sese qui adstrinxerit, Deo, diuinæq́ gratiæ subducit. S.S.E. Iniquitates vestræ declinauerunt hæc, & peccata vestra prohibuerunt à vobis bonum.* Ierem. 59

*Iam verò vt misericordiæ clementiæq́ Dei perpetua & constans ratio, contrà verò humanæ scientiæ illius ex peccato partæ peruersitas vna referantur actione; illius monẽtis, & ad verã criminis confeßionem reuocantis vox; istius verò vitiosa, inepta, atq́ importuna improbaq́ excusatio, & culpæ sine arte fuga, breui repræsentantur colloquio.* Cui dixit Dominus, Quis enim indicauit tibi quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? *Mortem sibi ipsi suo vitio atq́ crimine, id est, interdicti violatione, adsciuisse atque intulisse arguitur homo: nam cognitionem illam confusionémque nuditatis, mortem interpretamur; quam expertus confitetur homo. Atque ex vno primo illo homine cum vxore etiam sua, hoc est, in masculi atque feminæ vnius, & in horum prima familia, duorum qui primi contigere liberorum, totius humani generis ingenij & morum nobis & vnicuique nosse volenti exempla fuerint deinceps petenda. Quæ enim illi fuerint & vitæ & felicitatis initia, qualéque rerum decus ante admissum serpentis consilium indicabamus: qualis verò quantaq́ mutatio*

*tatio & conuersio & sibi & posteritati omni vna illa familia manifestum documentum statutum fuit.* Dixitque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. *Peruersæ cùm excusationis, tum causæ, atque etiam interpretationis argutiarumq́; imagines viuas, id est, scientiæ illius boni ac mali fœtus ac fructus, responsio hæc prodit. Primùm quidem peccatum non ex se initiò profectum, sed ex consortis atque sociæ communicatione deriuatum causari contendit homo; atque ita culpam declinare, in aliumq́; vel transferre omnem; vel ex eo ipso minuere, quòd non à se solo susceptam dicat. Atque ita argumentatur: Tu mihi mulierem sociam præsentemq́; dedisti, sociam verò obsequio iuuare oportuit, appetentem videlicet fructus illius gustum atque esum. Hoc enim cum concordiæ & communionis mutuæ necessitudine conuenire putaui, vt quod illa bonum sibi ac mihi duceret, hoc & ipse vt ambobus pariter commodum admitterem, atque ita societatem vitæq́; communionem cum ea seruarem, quam tu mihi sociam dederas. Quòd si quod delictum est, id ex illius infirmitudine est delictum, cuius tamen infirmitudinem tu mihi præsentem, societatisq́; iure ac nomine fouendam dederas: ita quod aliàs integer atque rectè valens homo valde commendauerat, Deoq́; authori gratulatus fuerat, nunc iam æger atq; boni ac mali scientia auctus, vel in excusationis materiam probatum arripit, vel notatum ac improbatū authori ipsi obijcit. Tu dedisti mihi hanc sociam, quam officio prosequi deberem: eam obsequio sum prosecutus: cuius si appetitio & factum vitiosa fuere, tamen illam, suo ingenio à te constitutā, tu ipse mihi dedisti. Nec verò alienum fuit à me illam foueri, quam tu fouendam blandè, & comiter habendam dederas mihi: ita in alterutram partem arguere & sese causamq́; suam defendere, vel minuere culpā, vel in alium transferre, vel partim in authorem ipsum reijcere doctior ille & mali ac boni peritior didicerat: quidquid autem ille sibi ad excusationem defensionémve finxerit aut inuenerit, vnum tamen illud confessus prodidit, nempe se, quas priores partes tenere ac tueri, atque caput mulieri sese præstare oportuerat, feminæ concessisse, atque dignitatem ingenuitatemq́; suam femineo sensui appetituíque addixisse; eamq́; contraxisse prauitatem, vt, quidquid mali agat, cùm veritate & virtute defendere non possit, tamen infirmitudinis propriæ excusatione, quamuis turpi & minimè accipienda, coloret. Atque ita interiorem illum hominem qui secundùm Deum creatus fuerat, tam porrò deinceps longè minùs validum, legis quidem ac iussi diuini non ignarum, exteriori tamen, hoc est, femineæ sui parti in obsequia mancipatum euasisse constat. id quod homo ipse aliquando in sese descendens, atque turbatam præposteramq́; vitæ & actionum propriarum imaginem exprimens, confiteri lamentarique solet.*

Rom. 7. *Scimus quòd lex spiritualis est, ego autem carnalis sum,*
,, *venundatus sub peccato. Quod ego operor, non intelligo; non enim quod volo*
,, *bonum hoc ago; sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud fa-*
,, *cio, consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem iam non ego operor illud,*

*sed*

*d quod habitat in me peccatum. Scio enim quòd non habitat in me, hoc est, carne mea, bonum: nam velle adiacet mihi, perficere autē bonum non in-nio: non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago. Si tem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me ccatum. Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi alum adiacet. Huiusmodi viua & expressa imago est hominis illius, qui olatæ legis argutus, non ignorationem suam allegauit, sed feminæ præsti-m excusauit obsequium. Adam enim primus formatus est, deinde Heua.* 1 Tim. 2. *dam non fuit seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit. Atq̃* " *am viri in quæstionem iudiciúmque vocati ineptam nec admittendam re-onsionem & causam, altera turpis etiam & pudenda interrogatæ mulieris cusatio subsecuta est, fallaciæ nimirum, doli, atque fuci sibi à monitore fa-i, quamobrem in illam fraudem deduci euenerit.* Et dixit Dominus Deus l mulierem, Quare hoc fecisti? Quæ respondit, Serpens decepit e, & comedi. *Confessionem quidem facti extortam vtrique parti, cau-m autem nec honestam, nec simplicem alteri aut alteri dictam notare licet. ec enim virum à femina persuasum decuerat, nec mulierem in consulta-onem deliberationemq̃ cum serpente descendisse oportuerat: sed mulierem arito primas ferre, maritum verò Dei iubentis voluntati ac dicto audien-m parentémque se vnà cum vxore præstare. Viro enim ipsi primùm vt ca-ti, deinde verò mulieri tanquam membro de membris, & ossi ex ossibus, que carni ex carne, lex erat dicta in hanc formulam:* Et præcepit ei, di-ens: Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno autem scientiæ boni mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte orieris. *Ita verò, conuulso ac turbato prioris naturæ statu, humana res om-s in eum locum prolapsa est, vt vir deinceps mulieris, hoc est, superior por-inferioris obsequio sese dederet; inferior verò, externarum rerum spe-em pro conditionis suæ modo & captu secuta, opinionibus vsa fuerit ple-mque fallacibus; atque harum pater & artifex callidissimus ille serpens, cum perpetuò faciens, hanc in vitium deductam ad monendum, secúmque scelus inducendum virum solicitet. Hæc igitur illius admissæ & subitæ ortis imago, hæc summa & arcana descriptio est; hæc post illam ruinam tæ humanæ adumbrata effigies, quam suis coloribus, hoc est, innumeris ex o vitiorum fonte natis sceleribus & criminibus, vix vmquam satis de-ctam quisquam author exhibere potuit, præter Deum ipsum, qui cordium que renum scrutator vnicus celebratur.*

# De antiqua Luciferi lite & causa.

## CAPVT XVI.



LVCIFERVM *humanæ amplitudinis inuidentia sapientiæ Dei æmulum sese præbere voluisse, atque hac mente proprium munus & officium deseruisse, indicabamus; eam verò quam mente cogitationem susceperat fallendæ & in fraudem inducendæ hominis naturæ commentatione demum effecisse accepimus. Ratio verò quamobrem ex illorum spirituum collegiis non pauci Luciferi siue Hilelis partes fuerint secuti, apparere iam intelligíque incipit. Nam præterquam quòd perinde atque ille in ministerium hominis sese destinatos indignati sunt, & in terras & mundum hūc, atque adeò in hominem dominationis communionem affectarunt; illud etiam admiratione & plausu prosecuti sunt, quod ab ipsorum optato principe propositum & inceptū tandem euenisse compererunt, nimirum sapientiam Dei ab istius calliditate fuisse ipsorum iudicio superatam, atque Deum quidem in condendo, ornando, totiq; partibus instruendo homine sapientissimum & efficacissimum sese ostendisse, verùm in eodem mundi huius principe conseruando rationem & modum iniisse, quæ à Luciferi sapientia cōtaminari, turbari, atque dissolui possent, demúmque dissoluta cuderent, constituta videlicet homini lege atque dicta, quam, naturæ partibus exploratis ac perspectis, quemadmodum violandam doceret & moneret, demumq; persuaderet Luciferi sapientia callidè inueniret. itaque Deum efficiendi potentissimum magis quàm prudentiæ, Luciferum verò acutissimum & prudentissimum ducentes; illum deserere, hunc sibi principem suscipere decreuerunt: id quod huiusmodi argumentatione confirmatū iniuere: Nempe quòd cùm Deus iustissimus iudex & sit, & credatur, ipse legem statuerit, quam si homo sanctam obseruasset, perpetuum felicitatis atque amplitudinis suæ conseruaret vsum & possessionem; sin verò desertam violasset, minimè abrogatam aut mutatam Deus vellet; vnde hominem à se, hoc est, à vita alienatum fore consequeretur, atque illius euestigio regnum ad victorem Luciferum iri translatum: nec aliter rem omnē hanc cū iustitiæ diuinæ integritate, sanctitate, ac firmitudine cōstare posse, omnis illa caterua præuaricatorum spirituum, quos malos dæmonas appellamus, arbitrata est. Qui quidem cùm Luciferi, tum angelorum illius peruersitatem diuina prouidentia ab æterno præcognitam tamen permisit; atque, cùm voluit, spiritualem illam primùm, deinde verò humanam edidit naturam, vtramque integram, vtramque suis numeris atque dotibus exactam & absolutam, qualémque vel ad officium faciendum quod præstaret, vel ad deserendum, libertatis & electionis compotem esse decuerat. Sicut S. E.* Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. *Verùm illud inter vtramque naturam præ*

al-

*alia differebat, quòd illa delectam semel propositamq́ sibi partem numquam esset repudiatura, propter summam simplicitatē sui; hæc verò ex bono in malum, rursusq́ ex malo in bonum mentem voluntatémque mutare valeret, vtpote quæ non simplex, verùm duplici portione effecta constaret: vtrique verò parti priuatæ ac propriæ expetitionis & appetentiæ facultatem adiunctam haberet; superiori eam quæ voluntas, inferiori vero quæ appetitus diceretur: vnde huic semper, illi verò alteri semel dumtaxat eligendi certa constaret optio.*

*Verùm enimuero deficientis à se, atque à legitima obseruantia desciscentis, & per superbiam atque inuidiam à naturæ suæ dignitate degenerantis, ambitiosæq́ contentioni atque gloriæ sese tradentis Luciferi propositū æterno, admirando, & prouidētissimo consilio frangere, dissipare, ac prorsus pessumdare & perdere Deus constituit, simul vt & sapientiæ suæ infinitam insuperabilémque amplitudinem Angelis hominibusq́ declararet, & hominem, quem terrarum orbis imperio, atque gratiæ amorisq́ sui vsu magnum esse voluerat, non terrarum modò deinceps, sed cælorum etiam atque inferorum regno donatum & auctum amplificatumq́ stabiliret: id quod ad Luciferi ipsius augendam pœnam, & angendam perpetuis cruciatibus & sollicitudinibus mentem, non occulta ac dissimulata cogitatione, sed aperta prædictione ac minatione denunciatum expressit.* Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus eris inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. INIMICITIAS ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: & ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius. *Vltra exsilium illud, obscurissimíque carceris vindicationem, quibus in iudicium magni diei reseruatus Lucifer mulctatus erat ob tanti sceleris audaciam, & perdendi hominis nefarium crimen, obq́ affectatam & occupatam huius mundi tyrannidem, infima & abiectissima conditione, insigniq́ nota atque ignominia damnatus est præ omnibus quæ in terra gignuntur animantibus, id est, præ cunctis infimis etiam terrenæ, crassissimæ, atque à cælestium consortio alienæ sortis spiritibus, ita vt nihil magis iniustum, nefastum, vitiosum, ac dirum, nihil magis Deo, atque Angelis, & hominibus inuisum exstare possit. Nam quæ in imagine ac terrestri colubro dicta videntur, ad illud multiplex & tortuosum Luciferi ingenium Veritate magistra referendum est. Dicitur autem maledictum, siue, vt Dei verbum sonat,* ARVR, *id, cuius conceptus, partus, & fructus omnis, cuius incepta, & exitus, atque euentus infelicissimè succedunt. Vt verò infelicitati summæ grauius accedat momentum, perpetuus actionum, ac meditationum, excogitationúmque omnium serpenti illi indictus est labor; ita vt quæ magno studio, intento ingenio, atque validissimo conatu acta fuerint, irrita tamen atque infecta demum deprehendantur, idq́ non vno atque altero exemplo, sed assiduis, ac potiùs continuis inuentorum cassis ac vanis euen-*

*tibus luendum sit. Cuius sententiæ illa prædictionis pars est:* Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. *Quantumuis callidus, quantumuis astutus, quantumuis tibi ipsi sapiens & consultus videri possis, quamlibet recentibus atque acutis inuentis tuam tuarúmque rerum conditionem renouare studeas, nihil tamen nisi terrenum, crassum, atque durum, & aridum, fœculentúmque sapies. Atque ita,* Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. *Iam verò regnum quod habito cum muliere colloquio, atque infelici familiaritate contracta, occupasti, versa rerum vice demum amittes, inimicitiis ex me iussuq; meo inter te atque inter mulierē perpetuò indicendis; vt, quidquid illi moniti vel consilij per te datum fuerit, execrandum, reijciendum, repellendumq; ducatur: atque hanc legem inferiori hominis parti sancitam statuam. Grauissimum autem tibi denuncio inimicum fore mulieris semen, quod tu tamen perpetuò omníque ex parte tibi addictum & subiectum futurum finxeras, atque ita regnum tuum continuatis hominum ætatibus, æternisq; successionibus permansurum putabas. Eueniet autem, vt non solùm te à mulieris semine tyrannide depulsum, ac regni corona imminutum experiare, sed capite læsum, confractū, ac detritum sentias, hoc est, potestate omni per fraudem & fallaciam adepta, hominis demum operâ & negotio pulsum admireris. Namque is ita tecum pugnabit, vt caput semper petat, ac demum conculcatum conterat; tu verò nihil illi altiùs quàm in postremis ac terræ vicinioribus membris nocere obesséq; possis, idq; non aperto congressu, sed per insidias atq; fallacias, quæ tuæ porrò artes perpetuæ erunt.* Et ipsum conteret caput tuum. *Mulieris semen, hoc est,* HOMO, *aliquando existet, cuius sapientia & actionibus tua prorsus dissoluentur opera. Quo dicto adorandoq; oraculo, futuræ humanarum rerum non instaurationis modò, sed amplificationis admirandæ promissum factum, arcana oratione conceptum est.*

*Quamquam verò prædictione ac denunciatione hac Lucifer Luciferíque grex malè semper habuerint, & crederent, & contremiscerent, vt Apostolus ait; nunquam tamen ita absterriti sunt, vt à proposito diducerētur, aut in occupatæ tyrannidis desperationem venirent; quippe quorum mentem & sapientiam agendæ atque expediendæ rei ratio & forma ita fugerat, vt nunquam consilij illius callidi & facti etiam pœniteret. Nam quo nam pacto iure solui posset, quod iure colligatum fuerat, id illis absconditum celatúmque fuit, cùm Dei iustitia certa, constans, & immutabilis duceretur; cuius denunciatione integro & viuenti homini prædicta mors ob legem demum violatam euenerit: mortis autem imperium apud se constitutum, incolumi Dei iustitia labefactari non posse existimabatur; atque ex consequenti sapientia illa sua Lucifero non solùm victrix ac superior, sed inuicta perpetuò fore putabatur. Quid autem diuinum oraculum & mysterium portenderet, spiritus omnes, & qui in electione permanserant, & qui Luciferi partiū fuerant, cognouerunt; quemadmodum verò id conficiendum esset, vtriq; pariter* igno-

ignorarunt: nisi quod alteri Dei veritatem certam ratamq; constituram & intellexerant & adorauerant; alteri verò credentes ac trementes pariter, nisi illata vi certum exitum habere non posse arbitrabātur. itaque iudicij diuini fidem semper appellabant, & de sapientia, non autem de virtute & potentia, secum agi obtestabantur. At verò arcanum hoc vllis ætatibus cum vllis vel hominum, vel Angelorum arbitris ad ipsum vsque expeditionis tempus communicatum non fuisse, & res ipsa, cùm explicabitur, ostendet; & Apostolus, ad notitiam vsumq; tandem admissus, contestatus est. Mysterium quod absconditum fuit à seculis [antiquis] & generationibus [Angelicis & humanis] nunc autem manifestatum est Sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias sacramēti huius in Gētibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ, quem nos annunciamus. Altera igitur Angelorum pars, quæ proprium antiquumq; statutū tenere decreuerat, Dei sapientiā quamquam non assequeretur, victricē tamen euasuram semper, sibiq; semper adorandam, & obsequiis omnibus colendam suscepit. Altera verò, Deo iusto iudice atq; constante, pro Luciferi sapiētia litem dandā esse rebatur. Atq; ita alteri munus officiumq; suum simpliciter, fideliter, vitæq; hominum amicè conseruarunt: alteri principis sui diuersam factionem summo consensu sunt prosecuti. S. S. E. Omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet: si autem Satanas in se ipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius?

Coloss. 1. Lucæ 11.

Duplex, vti iam adnotauimus, Lucifero mundi huius dominatū & principatum ambienti consilium fuit: Sapientiam diuinam superandi alterum; alterum verò hominem perdendi, & vita pariter ac terrarum orbis regno expellendi. Duplici etiam nomine diuina causa instituta est: videlicet prouehendi atque amplificandi hominem; atque etiam sapientiam æternā, & præstantissimam, infinitamq; asserēdi. Vtrumque verò à Dei Verbo, quæ secunda in diuinis persona est, Patre ac Spiritu sancto volentibus, conficiendi causa susceptum fuit. Id verò quemadmodum efficeretur, quanquam vtrisq; pro tempore celatum fuerit; tamen quo nomine agendum foret, Angelis & hominum sanctissimis est indicatum: nempe obedientiæ ac seruitutis, quæ humanam illam primam superbiam & improbitatem non æquaret modò, sed infinito etiam superaret interuallo. Namque id Verbum cùm Deus esset, idemq; Dei sapientia, & hominis amantissimus & clementissimus; rationem modumq; callebat, quo & diuinæ iustitiæ simul fieret satis, & misericordiæ fine carentis bonitati indulgeretur; simulq; homini (vt propositū Dei maneret) cumulatissimè amplissimeq; consuleretur. Atque huc illa Pauli doctrina spectat. Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, &c. Atque hactenus quæ ad denunciatam Lucifero vindicationem, modum verò, & rei gerendæ celatam rationem spectarent, breuiter significata accepimus: nunc verò deinceps quæ ad lapsi & perditi hominis reuocationem pertinent, agemus.

Hebr. 2.

# LIBER SECVNDVS.

## De reuocatione hominis.

### CAPVT I.



ROPOSITVM *institutumq́; suum stabile ac fixum Deus volens, eadem ipsa, quam retulimus, denunciatione Lucifero prædixit, & multis postea dictis ac repetitis promissis confirmauit; plurimis etiam verborum ac rerum imaginibus idem portendentibus, descripsit, & veluti repræsentauit: Fore videlicet vt Natura hominis instauranda, & vltra humanam sortem amplificanda, diuinæ Sapientiæ causa superior ac victrix emineret. Quæ omnia quamquam Lucifero excepta exspectataq́; fuerint, quemadmodum porrò sapientiæ authoritate & virtute certum exitum essent habitura, minimè cognosci, diuinari, aut coniiciendo attingi potuerunt; quamobrem perpetua huic atque constans fuit ad Dei iudicium & iustitiam prouocatio, cuius sententia & authoritate sese in regno sua sibi sapientia parto permansurum arbitrabatur: atque ita omnibus modis quidquid ad hominum salutem agi videretur obseruans, nihil demum comperibat, quod rem ipsam conficeret, hoc est, quod hominem à morte illa æterna, in quam eum ipse detruserat, assereret. id quod totis omnium ætatum exemplis & argumentis ostendetur. Atqui diuina misericordia ita negotium totũ à principio gessit, vt quamuis per antiqua secula celatum & occultum agere atque meditari quodammodo videretur, maturatum adeò curauerit ac fouerit, vt demum expeditum confectumq́; præstiterit; ita tamen susceptum & transactum voluerit, vt quamquam ad salutem efficiendam, afferendam, atque præstandam authoritas virtusq́; omnis penes se vnum esset; tamen ad excipiendam & ipsius beneficio obtinendam ea homini adhiberentur, quæ adhibere integrum foret, quæq́; idonea & opportuna ipse censeret & constitueret.*

*Duo autem in summa sunt quæ Deus ad salutem hominis agenda suscepit; Promissum videlicet, & Veritas. Promissum quidem dictis & conuentis enunciandis, veritatem verò iisdem agendis, conficiendis, atque præstandis explicuit. Duo item ab homine adhibenda idem postulauit; nempe fidem & obsequium. Fidem; qua diuina dicta & promissa tenacissimè exciperentur & crederentur: obsequium verò, quo ea obirentur & agerentur, quæ Deus ipse obeunda atque agenda præciperet & moneret. Namque homini ab illo priori dignitatis loco & gradu depulso, quamquam plurium quæ secundùm naturam, & quæ ex gratia donoq́; Dei contigerant, virtutum & ornamentorum detrimentum allatum, iacturaq́; facta fuisset: tamen illa tria naturæ congenita remanserant, Intelligentia, Voluntas, & Conatus; quæ in*

*ea quoque mortua (vt ita dicamus) vitæ conditione, quamquam non parum læsa & labefactata, tamen nec diruta, nec prorsus conuulsa constitere, sed ita adhuc affecta, vt agere sese q́; exercere possent, ex auxilio tamen & ope authoris misericordis Dei, qui nulli à se in orbem terrarum edito homini ea negat aut inuidet, quæ ad proprij muneris meditationem & exercitationem commoda, vtilia, oportunáque censentur: Est enim lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioan. 1. *Omnem illuminat qui sese illustrari ac diuino lumine duci sinit; cui etiam beneficio illud argumento est, quòd idem solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Igitur partem illam, quam intelligentiam siue intellectum vsurpare & appellare solemus, in dictorum suorum fide firmam & probatam; duas verò reliquas, voluntatem & conatum, in præceptorum atque monitorum à se tradendorum diligente ac sedulo obsequio exercitatũ Deus voluit: atque hæc sibi constare, vt postrema hæc duo, primi illius argumento ac testimonio forent, hoc est, vt præcedentem & præuiam fidem mandatorum præsens consequeretur in voluntate studium, & in conatu obsequium (quicunque enim viri sancti hoc modo sese gesserunt, testimonio fidei probati & inuenti dicuntur)* Hebr. 11. *& quamquam quæ credenda dicerentur, aut promitterentur, humani ingenij excederent captum; ea tamen quæ præciperentur agenda, ad studij & conatus hominis temperarentur modum; quem si aliquando excellere viderentur, tamen præsentis ac viuæ fidei virtute & subsidio feliciter omnino vincerentur & conficerentur. Hanc verò hoc loco descriptam significatamq́; tum diuini consilij, tum humani officij rationem ad omnes historiæ ac tractationis huius partes certo filo connectendas subductam haberi, ac mente perceptam recoli, permagni retulerit.*

*Prima igitur illa humani generis electione per mortem ex diaboli inuidia in mundum allatam contaminata ac dissipata; in quam conditionem traductus fuerit homo, res ipsa declarat: nempe miserrimam & infelicissimam; quippe cuius inferior portio vitæ & actionum prærogatiuam occuparit, ac primas obtinuerit partes, nihilq́; admittere optarit quod sibi grauius aut insuauius duceretur; contrà verò superior pars, quem interiorem hominem, siue spiritum dicimus, adeò debilis & infirma euaserit, vt quamquam meliora cognosceret & probaret, inferioris tamen impotentiæ ac temeritati sæpissimè succumberet; & tametsi intellectione respirare quodammodo videretur, actionibus tamen ipsis ita capite imminutus esset, vt mortuus, vel mortis filius planè dici posset; totus verò & integer homo ex vtraque parte constans, hoc est, mas & femina, in malum intentus ac pronus diuino pronunciaretur iudicio & sermone. Vidit Deus quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malũ omni tempore, ita vt eum pœnituerit quòd hominem fecisset.* Genesis 6. *qui & Noahhum aliquando allocutus, idem testimonium edocuit: Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona est ab adolescentia sua.* Genesis 8. *Hæc natura hominum ab illa prima condi-*

tione

*tione abalienatæ imago est, primis, vt aiunt, lineis descripta; quam postea suis partibus ac membris diligentiùs deductam, & coloribus variis à serpentis maculosa pelle contractis expressam, antiqui Vates, & Vatum Rex atq; Pater Christus, & Christi Apostoli persecuti sunt. Et facti sumus vt immun-*

Esaiæ 64. *» dus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerūt nos. Et, Dominus de cælo prospexit super filios Adam, vt videat si est intelligens, ac requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Sed huiusmodi generis humani miseriam breui sermone complexus Paulus & confessus, antè oculos cognoscendam posuit: Et vos cùm essetis mortui in delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundùm seculum mundi huius, secundùm principem potestatis aëris huius, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ, in quibus & nos aliquando conuersati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus naturâ filij iræ, sicut & cæteri. Hæc, & his congenera, & quæ ex his orta sunt omnia, diaboli opera ab Apostolo vocantur, quibus detentus ac damnatus homo, Deo inimicus, ac sibi ipsi infestißimus, prorsusq; dißidens atque discors, multisq; rixarū, inuidiæ, iurgiorum, ac, vt vno verbo dicamus, curarum seminibus refertißimus euasit, carne aduersus spiritum, & spiritu aduersus carnem concupiscente, & vtrisque sibi inuicem aduersatis, carne porrò sapientiæ laudem & vsum sibi promittente & occupante. Sapientia verò carnis, Paulo docente, Deo inimica est; legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Namque cùm a lege vterque homo mas & femina conditi fuissent, vt duo in carne vna forent; ita tamen vt mas, qui prior natura ac dignitate fuerat, præcederet, femina verò sequeretur: contrà per admissum violatæ obedientiæ scelus ac nefas euenit, vt vel femina in illo coniunctionis societatisq; consensu sese priorem ac ducem præstare studeat, vel aliud volentem & agentem virum domesticis rixis, pugnis, & contentionibus lassare & fatigare contendat & pergat; atque ita porrò exerceat, vt ad peiora victum trahat, vel ipsa ad meliora reuocantem, & cohortatum, ac satis validè conatum, non nisi reluctata priùs ac renixa demum sequatur; vtpote quæ natura sua grauior, densior, atque in casum ac ruinam pronior adhærentem sibi virum, nimisq; ex illo priori periculo vxorium redditum, secum in præceps vnà ducat, legem diuinam ad propriam sui ipsius mentem (quæ prudentia carnis dictitatur) interpretata, & meliora omnia sibi pollicita, ingeniíque sui inuentione & operâ sibi ipsi placente & consulente.*

Psal. 52. · Ephes. 2. · Galat. 5. · Rom. 8.

*Verùm enimuero misericordia bonitasq; illa infinita, quam Deum dicimus & adoramus, propositum explicare atque firmare suum volens, eam agendi iniit rationē, quam pro hominis iam lapsi captu, ac debilitata inuersáque natura, expedientißimam nouit. Nam cùm hominem iam mortuum, atque*

*atque à vita abalienatum reficere rursus ac renouare, atque adeò perficere & ad sublimiora traducere constituerit: interim dum id absolueretur, promißis releuandum, in spem erigendum, & certis officiis exercendum, præparandum, atque ad tanti beneficij opportunitatem instruendum suscepit; idq; ab ipsis suæ voluntatis declaratæ primordiis, ad peractæ & perfectæ vsque salutis tempus, perpetuò egit, & conseruauit. Ad illam verò agendi iam aduersus hominem rationem, illud cum primis opportunè consultum est, vt qui propter præstitum mulieri obsequium, virilitatis illius pristinæ vim & facultatem ita debilem ac propèmancam senserat, vt non iam per se seorsum primùm altißima, vti antea, videre atq; cognoscere posset, sed exterioris portionis sensus primùm consuleret; iisdem ipsis ageretur partibus, quas commodiùs & faciliùs capere ac tenere valeret: hoc est, non rebus tantummodo, sed verbis etiam atq; sermonibus ea doceretur & moneretur, quæ ad vtramque sui partem exercendam & præparandam pertinerent, hoc est, ad eam in qua cognitionis versatur vis, intellectionem, inquam, superiùs appellatam, & ad eam alteram in qua officiorum facultas & virtus spectatur, quam in voluntatem & conatum diducebamus. Ex hoc itaque fonte omnis illa orationum, imaginum, ac rerum copia dimanauit, quæ totis originalis mundi primùm, deinde veteris Testamenti seculis ac temporibus, variis in locis, occasionibus, & opportunitatibus audita, vel visa, & spectata est. Omnia enim* 1 Cor. 10.
*in figura contigerunt illis, dum animalis homo adhuc superesset: qui cùm ea* 1. Cor. 2.
*quæ spiritus atq; Dei sunt, non perciperet; cumq; adhuc puerilem non exueret imprudentiam, illis ducendus erat partibus, atque continendus, quas pro ætatis ac infirmitudinis more & vsu tenere posset. Hanc igitur instituendi pro tempore hominis viam, ab ipso suo de salute publica promisso primo inire Deus cœpit. Namque serpentem priùs allocutus, iis vsus est verbis, quæ rerum imaginem, audientis hominis animo ac sensui accommodatam, adumbrarent magis, quàm res ipsas vel traderent, vel eminentiùs depingerent; Gressum in pectus, terræ esum, inimicitias, semen illius, & mulieris semen, capitis contritionem, & calcaneo faciendas insidias. Quibus ex verbis illud homo excepit & intellexit, fore vt quæ à diabolo colligata fuerant opera, & constructa, viri cuiuspiã ex sese progignendi, & à Deo præficiendi, virtute & efficientia aliquando dissoluerentur: nihil verò huic nocumenti aut inferre mali diabolus posset, præter laborem & exercitationem vitæ, idq; in extremis partibus ac membris. Atque illo promisso hominem ex miserrimo ac pro viribus conatibusq; suis desperato casu in noui, maximi, ac salutaris beneficij fidem, spem, & exspectationem inductum Deus voluit, cùm ea quæ diximus, vtroque arbitro & audiente, Serpenti minatus pronunciaret.*

*Verùm enimuero non fidẽ solùm, & fidei comitem spem, ab homine ad salutis suæ donum exspectandum adhiberi Deus iussit; sed alteram, vti diximus, animi siue intellectus partem, in qua agendi vis & facultas inest, obedientiæ ac seruitutis officiis constanter, & studiosè, ac seriò occupari atque*

*exerceri mandauit: eámque exercitationem duplici subeundam cura præscripsit; coercendæ videlicet malæ appetentiæ atque libidinis, vnde peccatorum densissima exoritur & pullulat silua; & virtutis excolēdæ, quæ vel ipsa ratione animi, diuino lumine illustrata cognoscitur, vel potiùs Deo ipso magistro interiùs docente, vel exteriùs dictante, dignoscitur. Hoc itaque consilio ac pacto sermonem breuem, sed significationis plenissimum, cum vtroque humanæ societatis consorte Deus habuit, in quo & suum vtrique in quem deuentum fuerat statum agnoscendum retulit, & quid, quemadmodúmque agere expediret, ad malorum reperiendum finem, & boni veri obtinendam copiam, quam ipse, qui promiserat, benignè effusurus tandem erat, monstrauit, postremò ratione, qua illa tanta rerum ex summa miseria & calamitate in maximam felicitatem conuersio ac mutatio efficienda erat, in ipso responsi calce arcanis indicauit vocibus. Fuit autem illud admonentis, monentis, præcipientis, & instruentis, atque ad salutis expectationem hortati Dei oraculum huiusmodi:* Mulieri quoque dixit, Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. *Namque antea quamquam femina, hoc est, exterior hic homo, viro, vti capiti, cederet, nullam tamen dominationis perpetiebatur vim, sed summa concordia & caritate vtrumque temperante & conciliante obsequebatur; altérque & altera partibus muneribúsque fungebantur suis, mutuisque sese commoditatibus iuuabant: nec illa quicquam incommodè, grauiter, ac duriter concipere ederéque poterat, neque pluribus, quàm vsus & naturæ integræ ratio exigebat, distinebatur conceptionibus, id quod de muliere illa externa Adami conforte, apertè atque clarè pronunciatum, non minùs vere atque significanter de illo, quem exteriorem appellamus hominem, femineaque infirmitudine notamus, accipiendum fuerit. Namque vtrique illa conueniunt aptantúrque:* Faciamus illi adiutorium simile sibi. *&* Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hęc vocabitur virago, quia de viro sumpta est. *Itaque huic etiam parti, huic feminæ, vt non secus quàm viro salutis beneficium à Deo præstaretur, illa pœnitentiæ atque exercitationis cura & lex imposita est, superiori parti, hoc est, viro non reluctandi & abnuendi, sed obsequendi, inseruiendi, gerendique morem. Vt verò quæ conceperit hæc, non sine dolore pariat, Dei sapientiæ & prouidentiæ tribuendum intelleximus:* Multiplicabo ærumnas tuas: in dolore paries filios. *vt voluptas, quæ dolore nocet, monentis Dei memoriam refricans, minùs auidè mulieri, de qua nobis est sermo, appetatur.* Adæ verò dixit, Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. *Peruersum officium, vel potiùs maleficium, quanta authori suo detrimenta importarit, sentienti iam atque experiri tum primùm incipienti*

*pienti, censor atque iudex Deus declarat ac prædicit, simul oratione ac verbis vsus, quæ res pariter ipsas, rerumq́; imagines significet, in hanc formam.* ADAMA, *terra dicitur, ea ratione qua colitur, atque colenti gratiam fructumq́; refert. Ea verò cùm benignè respondet, datamq́; sibi operam cum fœnore etiam persoluit, sacrorum sermonum vsu benedicta appellatur, ac laudatur; Romana lingua opimum & fertilem agrum vocat, aliquando etiam benignam terram nominat: quæ cùm sterilis infrugiferaq́; est, maledicti & maledictionis nominibus apud sacros notatur scriptores: vt scriptũ est, Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam, illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem. Atqui hominis corpus, siue exteriorem hominem appellare malumus, ex terra assumptum & fictum, diuina tradunt oracula; ex qua etiam nomen homini est factum,* ADAM; *cuius parti quoque exteriori primitiuum nomen,* ADAMAH, *hoc est, Terra, adscribit; ita, vt quæ de terra illa primæua, ex qua formatus homo fuit, simpliciter dicuntur, eadem arcano sensu hominis externæ naturæ, siue terrenæ adscribantur. Vt igitur terra ipsa, quæ visu cernitur, atque agriculturæ arte exercetur, omnia sponte vberrimè quondam tulisse, nullósque hominum labores postulasse dicitur. Non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram, sed fons adscendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ. Sic hominis terrena minorq́; portio rectè antea agebat, munusq́; suum obibat, animo, interioriq́; homini, qui secundùm Deum creatus fuerat, obsequebatur in veritate & iustitia, quam ipsa humana mens, diuino munere aucta, obibat. Verùm postea hæc non minore cura, studio, ac labore indiguit, ad vitæ probandum vsum, quàm illa altera ad percipiendos cùm segetum, tum arborum ac plantarum cæterarum fructus. Hanc degenerantis naturæ labem atque difficultatem illis verbis Deus indicauit:* Maledicta terra [*non ex naturæ primæuo ingenio, verùm*] in opere tuo. *quæ vitiorum densissima silua in homine adnata est, cuius malitiam & vitiositatem pœnitentiæ perpetuo labore & cultu resecari & corrigi oportere denunciauit ac præcepit:* In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. *Non enim vlteriùs quicquam hac solidum magis homo sibi, quamuis multis aßiduisq́; laboribus exantlatis, parare ad vitæ illius arcanæ vsum poterat, præter herbas, non vitæ aut sanguinis compotem vllum cibum, vel maxima cura & industria præstare, hoc est, non ipse suam animalem vitam in aliam potiorem & spiritualem commutare. S. S. E. Cùm hæc omnia feceritis, dicite: Serui inutiles sumus: quæ debuimus facere, fecimus. Verùm hanc rationem, hoc loco in arcanis & obscurioribus reseruatam, opportunè aliàs explicabimus, illo nunc documento contenti, homini non datas fuisse partes ab illa miseria se ipsum restituendi, vtpote qui per carnis infirmitudinem id efficere*

Hebr. 6. Genesis 2. Lucæ 17.

*minimè valeret, sed, his partibus Verbi sapientiæ, virtuti, atque benignitati commißis, fidem & pœnitentiam homini mentis compoti fuisse demandatam; in pœnitentia autem conatum, luctationem, & laborem, virtutúmque humanarum exercitationem contineri.* In sudore vultus tui vescêris pane tuo. *ea, inquam, virtutis exempla, quæ homini imperata fuerant, præstaríque poterant, ex arduo atque difficili petenda esse, cùm caro concupiscat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: verùm eam siue pugnam, siue contentionem, duabus maximis rationibus tum sustineri, tum tolerari ac perferri posse, præsenti videlicet imperantis ope & auxilio, qui eo ipso quod imperabat, & euenturum prædicebat, sese Verbumq́ suum pollicebatur propitium & promotorem* (VESCERIS PANE TVO) *atque etiam spe finis ac modi tantis laboribus ac sudoribus ab ipso authore & promissore statuendi. Neque enim exercitationem illam vel æternam, vel diutißimè perferendam fore ait; sed certo definitam iri termino, nempe corporalis atq; animalis vitæ fine, non antea constituto, nunc verò deinceps omni hominum generi constituendo. Nam quæ mors antea & prædicta à Deo, & obita ab homine fuerat, illa ipsa erat quæ violatam primùm obedientiæ legem consecuta est:* In quacunque die comederis, morte morieris. *Hanc enim mortem diabolus ad regni à se vsurpati opportunitatem in mundũ intulit, suæq; tyrannidis arcem cõstituit: à qua morte cùm alienißima vita esset, sese pelli aut deturbari nunquam posse putabat: itaq; mortem suam omni studio, industria, atq; adeò securitate tueri decreuerat, & promouere instituerat, nouis indies peccatorũ generibus ex illo primo scelerum fonte & peccati corpore deriuandis, quibus mortis firmaretur & amplificaretur imperium, nec illa tantummodo prima noxa hominum genus periret, sed innumeris vnusquisque hominum erratis & criminibus à se admißis obligatus, durißimum mortis tributum imperatori ipsi conferret, & æternas pœnas, quas diuina exigeret iustitia, pro scelerũ natura exsolueret. Atq; hæc de prima morte hactenus indicasse sat fuerit.*

Gal. 5.

*Verùm enimuero sapientia atque misericordia Dei, simplici atque pari consensu coniunctæ, virtutemq́ infinitam complexæ, quemadmodum publici hostis labefactato consilio, imperium etiam de medio sublatum euerteretur, eadémque operâ iustitiæ satisfieret diuinæ, atque hominum generi exornando amplificandoq; consuleretur, admirandã superis mentibus omnibus, inferis verò stupendam rationem instituêre, corporis morte ac dissolutione in omnes inducta homines, qua & mortalis ac terrenæ vitæ laborum finis afferretur, & mortis illius à diabolo in orbem allatæ potestas funditus tolleretur; idq́ interim dum expediendum esset, promißis instaurandis, atq; imaginibus exhibendis, quamquam identidem repetitum, tamen creatam omnem sapientiam, quamuis maximam, fugeret; ad maiores Luciferi menti curarum cruciatus parandos; vt certa semper atq; victrix Dei denunciatio euaderet, illis verbis antea comminati,* Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.

*Itaque*

*Itaque corporis mors, quæ ante hominis casum vitari semper potuit, propter consitam in medio horti vitæ arborem, nec in prædictione illa priori,* Morte morieris, *expressè denunciata fuerat, postea ad salutis publicæ opportunitatem & expeditionem instituta & indicta fuit; non mortis quidem nomine, quod simpliciter & sua vi consideratum, huic proposito minus aptè conuenit; verùm solutionis ac conuersionis vocabulis declarata:* Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es. Quia puluis es, & in puluerem reuertêris. *Quibus rebus ac verbis omnibus obseruatis & animaduersis, hominis definitio, atque descriptio, aut informatio reperiri facilè potest, non tam illius qui antea fuerat totus atque integer, tam multis partibus exornatus, ac donis adauctus, quàm eius qui post ruinam, Dei beneficio adhuc fultus, euasit & exstitit: ita vt hominem dicere possimus, animalem, cognitionis ac distinctionis ratiocinationísque capacem, fidei diuinis effatis habendæ idoneum, delectionis & optionis compotem, exercitationi atque luctationi addictum, & corporis demum solutionis atque mortalis vitæ finis debitorem.* Animalis homo quid. *Quam descriptionem vnusquisque ex iis, quæ iam dicta sunt, explicare poterit; vel ad operis huius partem, quam* Corpus *vocamus, explicandi causa referre.*

*Hactenus itaque Dei maiestatem, & authoritatem, atque efficientiam; spirituum naturam, distinctionem, & electionem; hominis creationem, dignitatem, & ornamenta, eiusdémque culpam, & generis humani ruinam; Dei verò misericordiam in salute decernenda & promittenda, obseruauimus, demúmque hominis huius, qualem habuimus, formam descripsimus. Atque rationem hanc ipsam cùm mundi ipsius, tum humanarum rerum initio ipso in eum statum, quem indicabamus, conuersarum,* Constitutionem mundi, *cum Euangelio nominare possumus, Græcis* τὴν τοῦ κόσμου καταβολὴν *dictam: à cuius tempore, ad vsque peractæ salutis finem, quanta Dei semper fuerit benignitas, quàm constans erga genus humanum studium, quanta rursus hominum varietas, peruersitas, & inconstantia, atque temeritas, quanta diaboli in vrgendo & amplificando negotio suo pertinacia, quàm porrò maxima Dei patientia, quàm miranda prouidentia, ac demum propositi conficiendi virtus & constantia, quínam & quales bonorum & malorum exitus, toto deinceps opere hoc, cui* Animæ *nomen indidimus, enarrabimus.*

# De hominis ingenio, facultate, labore, cura & inconstantia, à constitutione mundi.

## CAPVT II.



OMINEM, *quem ab initio integrum, boni plenum, mali pror-*
*sus expertem & inscium, atque in summa ad imaginem autho-*
*ris & gubernatoris Dei factum habueramus, cognitione verò sa-*
*pientem, distinctis, inquam, sapiendi facultatibus ac modis, supe-*
*riore parte sublimia, inferiore autem humiliora noscentem, vtrimque veri*
*à Deo deductum & fotum, sibiq́ omnino constantem; hunc rursus, post*
*violatam præcepti diuini legem vniuerso rerum & facultatum statu turba-*
*tum retulimus; minùs iam interiùs valentem, exteriùs verò insolentiùs ha-*
*bentem; multis donis & partibus imminutum, verùm duobus nominibus*
*auctiorem, nempe boni & mali cognitione atque experimento & vsu, ne*
*non habilitate ad fidem Deo habendam cultiore. Namque anteà Deum ve-*
*racem esse, nec mentiri posse, Natura dictante, homo intelligere & potuera-*
*& debuerat, ideq́ mulieri existimandũ erat. Sed hæc cùm ex antiquiore ia-*
*& intellectione præstantiore serpente audiret, se vetiti fructus esu minim-*
*morituros, verùm diis futuros persimiles; arbitrata est, non semper suis ve-*
*promißis, vel prædictionibus, vel denunciationibus constare Deum; sed i-*
*eloqui aliquando, vt interpretatione mandatum vel promissum, vel denun-*
*ciatum excipere minimè dissentaneum fuerit: quare facilè in errorem se-*
*induci passa est, viro non consulto, nec alio superiore exspectato oraculo. Ve-*
*rumtamen postquam degustato iam, vel deuorato potiùs fructu, notitiæ bo-*
*atque mali compos vtraque ex parte euasit, & sese nudum cognouit; tum de-*
*mum periculo atque experimento doctior Dei effatis constantiam & verita-*
*tem non modò pernouit, sed in se suóque omni statu sensit; adeò mutatus, v-*
*alteram referret imaginem, serpentis nimirum illius à quo deceptus letha-*
*venenum hauserat, turbata iam in se & occisa vita, atque imagine illa sim-*
Apoc.13. *plicißima Verbi in se ipso iugulata; Agno, inquam, Dei ab origine mundi o-*
*ciso, & inferiore parte, hoc est, homine exteriore in vitium decliui, sibiq-*
*plus nimio indulgente, & externis rerum formis atque speciebus dedito a-*
*ad eandem secum culpam interiorem hominem in obsequia plus æquo pr-*
*num pelliciente. Tantum autem facultatis & ingenij retinuit homo, vt d-*
*ctore monstratoréque Deo spinas ac tribulos ab herbis & pane dignosce-*
*posset; hoc est, quæ vitanda ac fugienda, quæ contra expetenda forent, disti-*
*guere, siue ea interno Dei animum erudientis documento, siue externo se-*
Ioan.1. *mone doctus, didicisset. Nam alterutro vel vtroque etiam pacto omnem h-*
" *minem in hunc mundum venientem illuminari sacra nobis oracula tradid-*
Rom.2. *runt. Cùm enim Gentes quæ legem non habẽt, naturaliter ea quæ legis su-*
*faciun-*

*faciunt; eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus Dei scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium. Huic autem rerum concessæ distinguendarum facultati præceptio, vti iam vidimus, & monitio adiuncta est studij, conatus, contentionis, atque sudoris, quibus hominis salutem expetentis & exspectantis propriam virtus, & perseuerantia, atque pietas Deo salutari probata, promisso demum vitæ afficeretur beneficio.*

*At verò cùm ex boni ac mali cognitione homo, qua parte animalis erat, corporis vitam, bonum summum sibi duceret; illud euenire potuit, vt, si suo sibi arbitrio agendum esset, corporis dissolutionem atque interitum prorsus declinare atque effugere optaret; idq́ omnino studeret, quod quamquam potiori parti, hoc est, animo, nociturum perpetuò cognosceret, tamen sibi exteriori videlicet homini dulce ac suaue, gratumq́ duceretur, nec tam Dei misericordis cõsilio ex morte vitam effecturo, quàm suæ ipsius cupiditati vitã hanc retinendi atque conseruandi indulgeret. Nam qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus, eo quòd nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita. Propositum autem Dei fuerat, mortem hanc exterioris hominis, atque dissolutionẽ, duabus de causis instituere: altera quidem vt iustitiæ locus esset, isq́ puniretur, qui præceptæ legis contemptor arguebatur, atque demum ei parti, quæ mortem adsciuerat sibi, inferretur mors; altera verò vt ex illius morte, interioris hominis resurrectio & vita institueretur, hoc est debiliore exstincto homine, fortior ille, qui secũdùm Deum creatus fuerat, demum rediuiuus exstaret, atque eo pacto mortuum quoque iam consortem, ad alium meliorem, quàm antea, vitæ vsum tandem reuocatum gratularetur. Illam itaque improbam optionem homini anteuertere Deus voluit, atque eidem longè meliorem à se institutam consulere. Cuius illa summa ratio erat, vt, quoad huius auræ vitalis vsus fructusq́ maneret, nihil expeteretur ex rebus iis, quæ nec sua natura ad vitam necessariæ sunt, nec sine cura aut iniuria comparari possunt, atque opinione magis quàm vero pulchra videntur; sed ea tantùm ad externum vsum cultumq́ compararentur, quæ vtilem & commodam sui copiam præbent, nec ex cuiusquam incommodo, sed ex benigno Dei beneficio facilè contingere possunt. Nam quæ hominis iudicio bona vtiliaq́ viderentur, persæpe fallere atque imponere deprehensa sunt; veluti cingula illa, quæ nudis antea ex ficulneæ foliis contexta fuerant: quæ verò ex rerum natura à Deo commonstrata exhibitaq́ fuerint, ea satis idonea, atq́ in omnem vsus opportunitatem apta & commoda probare est.* 2. Cor. 5.

Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & ait: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum [*animalem vitam*] Emisit eum Dominus Deus [*benignus iudex & gubernator*] de paradiso voluptatis, vt

operaretur terram, de qua sumptus est. Eiecitque Adam: & collocauit ante paradisum voluptatis cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. *Benignitatis, ac misericordiæ, iudiciiq́ pariter consilio hominem perpetuæ atque æternæ vitæ facultate & copia (quod ad carnem attinet) priuatum legimus; ita vt qui interioris portionis vitam perdidisset, quam propria virtute atque opera instaurare non poterat, ab illo felicissimo horto exul exterioris quoque hominis fine, hoc est, carnis solutione mulctaretur; nec ad vtramque repetendam restituendamq́ vitam, remedium ipse sibi inuenire posset, sed ex Dei benignitate atque promisso expectaret obtinendam, promittentis fide fultus, & obsequij studiis & exercitationibus, quoad vitam mortalem hanc viueret, deditus. Hæc enim arcana significatio est illius mandati, vt operaretur terram, de qua sumptus est. illam ipsam terram, de qua terrenus atque animalis extiterat, & à qua captus, & in fraudem coniectus fuit. Vtrumque namque* לקח *verbo* LVCHAHH *indicatur. Nec verò vitæ tantummodo ipsius copia & vsu priuatus fuisse homo dicitur, sed via quoque ipsa qua ad vitæ arborem accessus pateret; ita vt nullo pacto, nullo proprio consilio, nullo nec singulari cuiusquam, neque communi plurium inuento, vitam sibi homo vel prorogare, vel tueri, vel amissam semel vltro repetere posset, non corporis, non animi semel amissam vitam, sed nec ab Angelis etiam, aut alio quouis spiritu petere, quippe cùm vel Angelos ad eam rem adire & conuenire volenti flammeus gladius perpetuò vibratus obiectusq́ obstaret, quoad via ipsa vltro sese conspiciendam tenendamq́ præberet, & vita optantibus & expetentibus diuina liberalitate donaretur.* TRIA *igitur ex his, quæ iam enarrauimus, obseruatione admirationeq́ dignissima exstitere: Virtus primùm atque efficacitas infinita Dei, in mundo omni, atq́ adeò in homine creando, eodemq́ animantibus terræq́ omni præficiendo: iustitia deinde diuina in statuendis legibus, iisdemq́ consecuta crimen & scelus pœna vindicandis: & misericordia atque benignitas summa in suscipienda & constituenda hominis iam perditi salute; quam misericordiam iustitia etiam complexa probauit, iustissimum esse decernens, vt sicut mors homini à Verbi obsequiis discedenti illata fuerat, ita rursus Verbo hominis mortem suscipienti ac subituro vita restitueretur; & vt alterius inobedientiæ supplicium, ita alterius obedientiæ summæ summum & maximum tribueretur præmium. Atque his tribus obseruationis nostræ articulis ad arcanæ salutis mysterium, doctissimis hominum ignotum, modestissimis atque sui ipsorum contemptoribus declaratum, prima aperitur ianua.*

# De experimento hominis vario.

## CAPVT III.



ECce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum, *ait Deus. Cùm verò bonum natura sua expetendum, malum verò fugiendum videatur, euenit, vt ad boni appetitionem, maliq; declinationem, homo promptus euaderet. Neque verò hoc tam vitio dandum erat, nisi imbuta prauitatis erroribus mens optionem & electionem sibi ipsa vsurparet, vsurpatamq; vrgeret, ac temeraria contentione tueri ac defendere, atque sapientiæ etiam nomine consecrare studeret. Nam cùm tantum vitij hominis natura ex illo primo peccato acceperit, vt quæ posterior in omni vitæ actione & vsu pars esse debuerat, hoc est, exterior homo, sibi primùm cedi indulgeriq; non postulet solùm, verùm efflagitet, atque magna etiam contentione moliatur; persæpe efficitur, vt quod ipsa sibi bonum ducit, interiori quoque bonum videri ac persuaderi velit, & curam non paruam iniiciat quærendi argumenta & causas, quibus id quod ipsa cupit & optat, pro locis & temporibus, próque aliis ingeniosis magis quàm veris rationibus optandum censeatur, nec optandum modò, sed, quod maximè infestum & periculosum est, diuinæ voluntatis & approbationis titulo dignum existimetur, indéque maiori conatu atque studio quàm veritas ipsa susceptum ineatur, atque illud exemplum valeat & vsurpetur plerumque: Non morte moriemini: scit enim Deus, quòd in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonum & malum. Itaque in electione earum rerum, quæ vel vti bonæ optandæ sint, vel ad bonum tendere ac deducere existimentur, non quid, quantumq; Deus aut iubeat, aut vetet, modò tenendum, sed vlteriùs etiam contendendum sibi persuadent, hoc est, quidnam, & quantum Deus ipse sciat: eam verò Dei notitiam, & scientiam suis ipsorum falsæ & fucatæ sapientiæ elementis ac ponderibus æstimandam definiendamq; tentant: atque ita vana pro solidis, difficilia pro facilibus, molliora pro durioribus, curua pro rectis, obscura pro claris & perspicuis capiuntur, dummodo sibi ea parte plus placeant, quæ sensibus animalíque facultate prædita est. Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, adspectúque delectabile. Namque illa sic argumentata, sibi vsui futurum, atque adeò esu dignum & paratum putauit: Non frustra, inquit, huiusmodi bonum odorem suauis gustus indicem, non frustra formam & modum, non etiam colorem & pulchritudinem hanc Deus fructui indidit, sed homini in vsum parauit: cùm Deus in natura rerum nihil frustra, nihil temere, nihil inutile effecerit. Tulit ergo de fructu illius, & comedit, deditq; viro suo, qui comedit. Ab his igitur initiis humanæ sapientiæ schola omnis profecta dimanauit, & suus vnicuique sensus pro præceptore, suum ingenium pro duce, suus appetitus pro Deo petita, con-*

*sulta, cultáque exstitere. Hinc definitiones, partitiones, comparationésque rerum, aliæ cum aliis & cum seipsis persæpe pugnantes; hinc rixæ, contentiones, & iurgia; hinc sectarum, opinionumq́ inextricabilis multitudo & perplexio, aliis commenta, inuenta, figmenta, ac somnia sua pro diuino oraculo proponentibus & venditantibus, atque vsque ad inuidiæ rabiem propugnantibus, singulísque illud vsurpantibus & repetentibus, quamquam non oratione semper, sed actione & commētatione perpetua: Scit Deus quòd in quacunque die comedetis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dŷ. Hoc enim, vt suo differemus loco, variarum sectarum authores suis persuadere discipulis studebant. qua de re scriptum legimus: Veruntamen vani filŷ hominum, mendaces filŷ hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Verùm, vti iam edocti sumus, omnia hæc vt vana & inutilia, imò vt perniciosa prorsus à paradiso vnà cum homine ipso eiecta expulsaq́ sunt, & cura imposita homini excolendi terram, ex qua sese assumptum cognoscere fas iusq́ fuerat, in eóque cultu sese adusque sudorem exercendi atque versandi, & panem suum sibi comparandi; quo cibo vbi vitam hanc mortalem traduceret, ad promissæ salutis communionem Dei benignitate perduceretur. Atqui hominem in eo, quem diximus, rerum statu degentem, duplicis prolis parentem factum legimus: alterius quidem insolentis ac superbæ, suiq́ tantùm amantis, aliisq́ inuidæ & infestæ, ac planè violentæ: alterius verò mitis, lenis, ac piæ, simplicis facilis, & modestissimæ. Atque duo hæc vniuersæ deinceps hominum sobolis ac posteritatis exempla fuerunt in duas tantùm vitæ vias diducta: quam rem ita sacra enarrat historia:* Adam verò cognouit vxorem suam Heuam. Quæ concepit & peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum. *Mater femina insolentiorem atque asperiorem hunc natum possessionem suam esse autumat, & diuino exornat elogio: quod eiusmodi ingenia virilia nimirum, atque prompta, & adgerendam rem maximè idonea, inferioris partis oculis videantur. Filŷ enim huius seculi prudentiores in generatione sua sunt, quàm filŷ lucis. Atque hi quo insolentiores sese præbent, hoc potentiores atq́ beatiores putantur, vsurpatores videlicet alieni commodi, atque inuidi & obtrectatores; Præstantes ŷdem dicti (neque enim aliud nunc verbum Latinum succurrit, quo Caini nomen imitemur, quam Compotis siue Præstantis.) Hæc altera priorq́ Adami, atque Heuæ, hoc est, hominis terrigeni, & vitalis feminæ proles fuit, robustior, potentior, insolentior, minusq́, vt paulo pòst notabimus, humana. Altera verò & posterior illa fuit, quæ probitatis atque pietatis exemplar primum exstitit, ex iisdem parentibus orta, sed quæ interioris hominis virtutem, & candorem, simplicitatemq́ referret.* Rursumque peperit fratrem eius Abel. *Namque ex eodem homine masculo & femina petulantia, proteruitas, rursumq́ pudor ac modestia proficiscuntur: iisdem porrò parentibus probi & improbi homines progenerantur, quorum tamen diuersæ mentes, diuersis atque dissonis studiis detentæ, disparem omnino vitam degunt,*

*dispa-*

Psal. 61. Lucæ 16.

*dispáribusq́ inducti finibus dissimiles demum habent exitus, boni bonos, mali verò exitiales.* Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola. *Alterius quidem simplex, mansuetum, mite, atque modestum, & officiosum vitæ institutum, & munus ouium pascendarum cura probabat; animantium videlicet præter cæteras mitissimarum, quæ pastori dominoq́ suo & cibum simplicem lactis, & vestium vsum præberent, idoneumq́ custodiendi operæ-pretium, vbertate & facultate sibi à natura concessa, persoluerent, ipsæ verò simplicis & sponte nati fœni, herbarumq́ pastu alerentur, nullúmque pastori suo præter deductionis & custodiæ laborem imponerent; interim verò dum pasci contingeret, satis loci atque otij ad cogitandum, meditandum, & exercendum bonis consiliis animum præberent. Huiusmodi enim bonis, & sana mente atque humano ingenio præditis pastoribus, vita constare facilè potuit.* Et Cain agricola. *Durus attentusq́ homo, & auaritia instigante labori nimio deditus, cuius varia colendi agri studia nusquam toto anno intermitterentur, aperiendæ findendæq́ humo assuetus, atque instrumentis inueniendis intentus, quibus pro seculi sui facultate artem illam exercere expediteq́ posset. hinc à labore, cùm nullum declinaret, otium nullum suppetebat, quo seipsum excoleret, quo mentem animumq́ ad diuinarũ & humanarum contemplationem rerum intenderet, sed totus in parando corporis victu atque in cumulandare immersus, nec pietatem erga Deum & parentes, nec aduersus fratrem proprium charitatem retineret, suiq́ vnius rationem habendam duceret, deq́ posteritate sua amplificanda, demum de mundi huius, mortalisq́ vitæ commodis sibi familiæq́ suæ comparandis, potissimùm ageret: religionis autem atque pietatis veræ rationem postremam duceret, atq́ externo tantùm ritu, non spiritu item coleret.* Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.

*Quamquam improbissimus quisque viuat, interdum tamen religioni indulgendum ducit, diuerso tamen consilio: nam pro vitæ atque studiorum suorum vsu & fine diuersa diuersè de Deo, Deiq́ cultu statuit. Hic Deũ orandum censet, det vitam, det opes; ille verò inimicorum suorum animas poscit; alius gloriam, alius alias res in votis ponit: atque huiusmodi curis rerũ suarum partem nec optimam, nec simplicem impendendam arbitratur: hócque pacto Deum sibi conciliare, propitiúmque reddere satagit. est etiam qui scelerum impunitatem huiusmodi mercede emptis diuinis auribus assecuturum sese putet, nullis veræ ac solidæ pœnitentiæ ad tantum negotium opportunæ iactis fundamentis. Cain non dictus est ex optimis frugum suarum culmis munus Deo dicasse, non ex iis quæ proprio ac iusto labore comparauisset: nec enim eo animo erat, vt optima ac pulcherrima quæque rerum Deo accepta referenda sacrandáque censeret, sed de fructibus terræ: quo dictionis tropo ea indicantur, vel quæ terra nullo hominis cultu sponte sua protulerat; vel si ex iis etiam, quæ laborem sibi cultoris vendicabant, interpretari velis, nihil tamen egregium præferrent, sed numeri tãtùm pars essent ex fructibus terræ.*

*Contrà verò Abel, cuius præcipuum pietatis fuerat studium, quidquid optimi atque præstantis habebat, authori, conseruatori, atque salutari Deo vouebat, & sponte etiam sacrificabat.* Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. *Ita vt non prima modò gregis capita & viscera, sed pinguissima ex illis Deo adolenda seligeret. quo in officio quidquid ex exteriori homine, qui caro etiam dicitur, primum & maximũ proficisceretur, hoc est, vitæ studia, cogitatáque præcipua, vni Deo sacrare probaréque cupere sese profitebatur. Atque hanc mentem pietatémque huiusmodi Deo placere cum primis, & præcipuam opportunissimamq; ad litãdum esse, exempli illius dissimilis declarauit euẽtus. Namque oculi Domini super*
Psal. 33. *» iustos [primum] & aures eius in preces eorum: vultus autem Domini super » facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Igitur* Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. *Ad Abel animũ ac mentem primùm, atque hac gratia ad munera eius Deum respexisse legimus.* Ad Cain autem, & ad munera illius non respexit. *Duobus itaque breuibus quidem, verùm grauissimis exemplis docemur, humanarum rerum probationem vel improbationem ex hominum ipsorum probitate vel improbitate Deo statui; quippe qui ad Cain non respexit, cuius, vt ait Iohannes, opera maligna erant,*
1 Ioan. 3. *» fratris autem eius iusta. Victimæ impiorum abominabiles Domino, vota iustorum placabilia. siquidem abominatio est Domino via impij: qui sequitur*
Prou. 15. *» iustitiam, diligitur ab eo. Oportet autem manifesta fuisse argumenta voluntatis & prouidentiæ Dei in vtrumque fratrum, quando maior minoris felicitatem lethali & implacabili inuidentia prosecutus est: atque hoc grauissimum inuidendi vitium natum est ex illo sui ipsius amore, quo quisque sese Dei similẽ esse contendit, & bonum ac malum sibi vni sciri, alterumq; petere, declinare alterum studet: quo vitio vbi hominis mens imbuta, & corrupta fuerit, non humana modò societatis & necessitudinis iura violat & peruertit, sed diuina etiam oblitus monentis Dei vocem quoque contemnit. Est autem inuidentia, ægritudo suscepta animi, propter alterius res secundas, quæ tamen nihil noceant inuidenti.* Iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus eius. *Nihil equidem Abeli simplicissimi iuuenis, atque vnici fratris probitas, & apud Deum impetrata gratia, Caino obesse potuit vnquam, & tamen tanta incidit rabies, vt, nisi de medio sublato fratre, vita videatur perpetuò fore acerbissima, & huiusmodi funesta cogitatio mentem & vultum deyciat, & animi tumultum facilè arguendum prodat. Atque in hoc primo duorũ fratrum exemplo, inuidiæ, insidiarumq;, & iniuriarum ab hominibus aduersus homines susceptarum initia & exitus indicantur. Quidquid enim Caino in mentẽ sua spõte venerat, quidquid à Deo monitore dissuasum suasúmve fuerat; idem vnicuiq; homini non modò pio, & sui ipsius memori, sed Caini imitatori repræsentatur. Quidquid rursus Abel egerat, idem simplicissimus quisque, & innocentissimus in sese experitur. Alter enim vbi semel sui amore insanire cœperit, nihil grauius, quàm alterius*

*terius commodum, videri aut sentiri sibi putat; nihil verò expeditius arbitratur, quàm quocumque pacto, siue vi, siue dolo, siue vtroque modo, illud quo minùs promoueatur impediri, vel omnino intercipi. Atque hanc rixarum, fraudum, iniuriarum, ac damnorum, & humani cordis pestis (qua nulla in hominum genus grauiùs ac vehementiùs desæuit) originem esse, diuinus iam Spiritus declarauit. Amorem nimirum sui ipsius, ex quo cupiditas, libido, & ambitio proficiscuntur, non ex astrorum concursu ac discursu, non ex naturæ exterioris vitio, ac tumultu vllo, non ex rerum ipsarum, quæ vel appetuntur, vel fugiuntur, defectu vel excessu, quando illæ ratione sua indifferentes censentur, sed ex concepto ac nutrito in hominum ipsorum sensibus atq; animis vitio. S. S. E. Vnde bella & lites in vobis? Nónne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Concupiscitis, & non habetis; occiditis & zelatis, & non potestis adipisci; litigatis & belligeratis, & non habetis propter quod non postulatis; petitis, & non accipitis, eo quòd male petatis, vt in concupiscētiis vestris consumatis. Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Dei? quicunque ergo voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur. An putatis quòd inaniter Scriptura dicat, Ad inuidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis? Tanta igitur Cain propter inuidiam deprauati dementia fuerat, vt nullo pacto meliùs quàm fratris nece sibi consulere, mentemq; suam explere putauerit. idq; intra se intento animo, demissoq; vultu cogitabundus, quemadmodum clam Deo, nec parentibus arbitris, vtpote intercessuris, conficere posset, tacitus cogitabat. Verùm enimuero & propositū, & propositi causam sese non latere posse, Deus declarans, interiùs habito sermone dissuadere, & sibi meliùs ac sapientiùs consulere ac prospicere præsens hortatur & optat.* Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nónne si bene egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. *Eam quam Cainus monentis, & ad sanam mentem reuocantis, ad melioraq; hortati Dei vocem audiuit, nemo tam stupidus maliq; animi est, qui, cùm in peccandi cogitationem primùm venerit, sibi interiùs factam, ac satis superq; perceptam, inficiari verè poßit (quandoquidem in duorum illorum fratrum Caini & Abeli exemplis omnium hominum imaginem viuam intueri licet) nemo, inquam, sibi scelus aliquod suscipienti à diuino Verbo omnem hominem illuminante intra propriæ mentis recessum, mali consilij dissuasorem sermonem non factum causabitur, cogitationibus inter se inuicem accusantibus, aut etiam defendentibus. Atque hunc sermonem non debitum quidem, verùm diuina gratia vltro habitum, testem veracißimum, & conscium grauißimum futurum vnicuique nouimus, in die qua iudicabit Dominus occulta hominum.* Rom. 2. *Nemo enim homo immanior, audacior, aut ab humanitate alienior esse potuit Caino fratricida, qui primus nouū lethi genus, homicidium, inquā, &, quod sæuius multo est, parricidium, author in orbem inuexit, qui fraternā gratiam*

Iacobi 4.

*primus violauit, qui parentes proprios optimi filij desiderati perpetuo dolore ac luctu affecit, qui societatem hominum perrupit, propriam domum funestauit, æternum generi suo crudelitatis & sæuitiæ opprobrium reliquit, demum humana omnia ac diuina iura peruertit: & tamen iste à cogitati sceleris expeditione, ausu, & conatu auocatus est alloquio Dei, cuius misericordem atque benignam prouidentiam ipsa sua sapientia sic assertam commendat:* Sap. 11. *Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: neque
» enim odiens aliquid constituisti aut fecisti. Quomodo autem posset aliquid
» permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur.
» Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt Domine, qui amas animas. Audiuit autem ille suam singulis hominum culpam fraudi esse, in nullumque posse ab alio transferri; declinare verò & effugere, facultatis consiliíque esse vniuscuiusque, idque virtuti adscribi; admittere verò ac sustinere, à recta ratione, sanóque sensu alienum esse, ideóque probro proximum, & pœnæ esse obnoxium.*

Quare, *inquit*, iratus es? *Cùm fratris pietas & virtus nocere tibi, nihil officere, aut detrahere nihil possit? Tuum ergo tibi vitium istam iram vltro incendit, idemque vultum depreßit abiecitque tuum, quod tamen virtute, studio, atque conatu domare ac frangere poßis; nec frangere solùm, sed vbi virtute, pietate, atque officio superaueris, cum decore & præmio victor euaderes. Atque sua sponte manifestum & certum haberi ducíque debet, Deum, qui huiusmodi sermone benignè & amanter compellaret, auxilium, subsidium ac præsidium suum homini meliora seligere atque agere volenti, & conanti non fuisse subducturum. Nihil enim Deus effatur, quod vbi aptũ, paratum, idoneum, & obtemperantem, fidumque animum nactus fuerit, euentu & exitu felicißimo non expediat.* Psal. 144. *Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum,
» omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, &* Isaiæ 55. *deprecationem eorum exaudiet, vt saluos faciat eos. Et quomodo descendit
» imber & nix de cælo, & illuc vltrà non reuertitur, sed inebriat terram, &
» infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem
» comedenti: sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non reuertetur
» tur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his
» quæ misi illud. nempe apud eos qui veritatem Dei in iustitia detinere noluerint. Nulli namque hominum quicquam fraudi fuit, præter peccatum admissum & fotum.* Ierem. 5. *Iniquitates vestræ declinauerunt hæc, & peccata ve-
» stra prohibuerunt à vobis bonum. Quia inuenti sunt in populo meo impij
» insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas, ad capiendos viros. Igitur diuinum monitum vitioso animi sui affectui, atque implacabili imprudentiæ posthabens Cainus, Abelum fratrem, sanctum innocentemque virum atque securum, nihilque minùs timentem, quàm paratas sibi à fratre vnico & maiore, atque his nominibus obseruato, insidias, repentina inuasum vi necauit.* Cumque esset in agro, insurrexit Cain aduersus fratrem suum

Ab-

Abel, & occidit eum. *Fructus & partus ab homine exteriore producti secundum fuit specimen. Primum enim fuerat, virum suum, hoc est, interiorem hominem in mortem deturbasse: secundum verò, necem etiam aliis intulisse, nullamq; necessitudinis, quamuis coniunctissimæ, habitam esse rationem parti illi humanæ, quæ sociam, & sibi in carne vna coniunctã, in fraudem, calamitatem, ac mortem allicere minimè dubitauerat: namque tam Cainus, quàm huius pater Adamus, homo fuere, & hominis vterq; partes egêre, vterque liberè & sponte sese à Dei iussu, & monitu, ac lege, ad inferioris consilij obsequium traducti. Prima ergo hominum societas inuidia atq; cæde, immo parricidio turbata, documento fuit, simplices ac probos viros periculo suo in improborum consuetudine perpetuò versari, atque vitæ innocentiam & candorem, ni leges vindicent, sceleratorum inuidentiæ, insidiis, dolis, ac fraudibus patere, tantúmque improbos à maleficio hominum aliorum metu coerceri, & pudore nonnihil refrenari; inde verò occasionem captare, vel Deo vetante, dum mortalis idem nemo sciat, conceptum semel atque admissum animo facinus peragendi, ad eamq; rem socios quærere, non tam ex amore atque charitate, quæ nulla improbis certè est, quàm ex mutui auxilij causa; vt quod pessimus quisque solus conficere non valet, sui similium coniunctis viribus & opibus exsequatur. Horum autem huiusmodi commune consilium & vsurpatur oratio: Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ eius. Huiusmodi Caini & Abelis, hoc est, proborum atque improborum hominum ingenia, studia, & vitæ atq; morum exempla sunt: neque quicquam securitatis piis ac sanctis viris in mundo est, nisi quantum diuinæ prouidentiæ tutela certissima vel defendit ac tuetur; vel, vbi tentari & exerceri probos permiserit, curat, & vlciscitur. Sed quoniam eadem humani generis amans est, & casum atque interitum miseratur, non modò pios, vti diximus, curat, verùm impiissimum quemque atque improbissimum cùm perire nolit, vltro ad sanitatem, pœnitentiam, correptionemq; vitæ reuocat, exceptura clementissimè, vbi improbitatis pertæsos, atque desertæ pietatis & virtutis repetentes, vereq; studiosos probauerit. Huius verò in improborum reuocatione diligentiæ diuinæ prima actio esse solet, mentem atque animum ad peracti sceleris agnitionem, detestationem, atque confessionem percellere, quod primum officium Verbum ipsum sibi nunquam omissum declarauit. Ego, inquit, quos amo, arguo & castigo: æmulare ergo, & pœnitentiam age. Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meã, & aperuerit ianuam, intrabo ad illũ, & cænabo cum illo, & ipse mecũ. Hanc ab initio cum hominibus rationem à Deo initam, ipsum primum apud Adamum exemplum ostendit, Adam vbi es? & rursum idem

Sap. 2. Apoc. 3.

in

*in Caino vrgendo repetitum confirmauit.* Et ait Dominus ad Cain, Vbi est Abel frater tuus? *Vterque quidem Dei vocem audiere, Adamus & Cainus; verùm prior, admißi facinoris minimè inficiator, mulierem excusare studuit; in eo magis venia dignus, quòd confeßionem non recusauerit, quam cum agnitæ infirmitudinis & improbitatis dolore pronunciatam oportuit, posterior verò delictum celare, atque insolenter etiam crimen declinare, accusantémque conscientiam excogitata & artificiosa responsione dißimulare conatus est:* Nescio: numquid custos fratris mei sum ego? *Primam au[...] cantis à culpa Dei monitionem Cainus exceperat, quam suscepisse præstitiss[...] set. eandem cunctis mortalibus, ante admissum nefas, animo atque cogita[...] tione repeti vnusquisque sibi ipsi conscius, testisq́ue est: post flagitium verò [ad]missum, claram, & manifestam reuocantis vocem, intra mentis penetralia sentiri, conclusis etiam ianuis, hoc est, visceribus turbatis & pauentibus peccatores omnes nobiscum confiteantur necesse est. Verùm in illo summa insania, summaq́ue peruersitas, & exitialis proteruia est, si quis reuocãtis Dei & morbi detestationem, sanitatisq́ue amorem, suadentis monitum contem[...] nat, & peccatum vel dißimulare, vel negare, vel negligere, atque occulta[re] magis proteruè, quàm deprecari suppliciter studeat. Namq́ue illud ad clemen[...] tiam & misericordiam Dei optimi paternum affectum commouet, hoc ve[rò] ad pœnæ supplicium eiusdem æterni ac seueri iudicis iustam irritat ira[m].*

Rom 2. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis,*
» *ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum*
» *autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die i[ræ]*
» *& reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera eius:*
» *iis quidem qui secundùm patientiam boni operis, [vt Abelus] gloriam, &*
» *honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui sunt ex*
» *contentione, [vt Cainus] & qui non acquiescunt veritati, credunt autem*
» *iniquitati, ira & indignatio. Tribulatio & angustia in omnẽ animã homin[is]*
*operantis malũ. Huius horribilis proteruitatis & insolentiæ primam in [se] imaginẽ expreßit Cainus, cuius responsi contumaciam tremendi iudicij sen[...] tẽtia prosecutus Deus,* Dixit ad eum: Quid fecisti? vox sanguinis fra[tris] tui clamat ad me de terra. *Quo responso, publicũ & singularẽ etiam hu[...] manorum factorum curatorem, & arbitrum sese Deus professus, declar[at] nullum esse tam occultum, nullum tam dißimulatum in terris facin[us], quod vel se iudicem, vel naturam ipsam rerum, atque adeò brutißimam o[m]nium terram testem latere poßit; nullúmque tam insensibile rerum [ge]nus in terra, quod, admissa aduersus innocentem iniuria, non offendatur [et] doleat; porrò nullum tam mutum, tam vocis expers elementum, quod inqui[...] sitori & cognitori, atque iudici Deo vocale non sit. illud quoque cum pri[mis] obseruandum, atque animo mentiq́ue infigendum docet, hominum propter [iu]stitiam & innocentiam occisorum & mortuorum sanguinem, quamqu[am] absconditum, quamquam terræ visceribus abditum & sepultum, tamen [...]*

vi[...]

*viuere, clamare, & audiri, nec, quo minùs id fiat, vlla arte, & opera, aut vi impediri posse. Porrò diuinum iudicium, omni ex parte integrum, seuerum, atque legitimum constare, tametsi hominum dissimulatione, fictione, & dolis, aut studio, diligentia, gratia, opinione, aut alio quouis colore res ipsas velari celariq́; mundo contingat, aut in tenebris ita peragi, vt nusquam in lucem prodituras quispiam existimet, tamen authori ipsi nunquam obliuione extinctum, aut Deo iustè semper iudicanti non cognitū, &, antè quàm penè fuerint exactæ, commemoratum, exprobratumq́; iri. Hæc fecisti, & tacui, ait Deus. Existimasti iniquè quòd sim similis tui: arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Quid fecisti? *Conuincentis & coarguētis, confessionemq́; vrgentis Dei oratio est, confessionem autem non quæ ex pœnitentia & veniæ impetrandæ studio profecta fuerit, quippe quam hominis contumacia sibi ipsi subduxerat; sed quæ iustam iudicis sententiam proclamet ac probet. Atqui iniuriam maleficiúmque, quocumque tempore, loco, & modo ea patrentur, nisi aliàs ritè expiata fuerint, inulta, impunitáque minimè euasura, seueritatis diuinæ exemplum in homicidam illum editum, confirmauit, constituta pœna morte ipsa grauiore, eadémque perpetua.* Psal. 49. " "

Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinē fratris tui de manu tua. Cùm operatus fueris eam, non dabit fructus suos: vagus & profugus eris super terram.

*Malefactorum consilia & studia omnia, quamquam magna vi, multa arte & industria suscepta & inita, multoq́; labore & sumptu promota, tamen infelici atque erumnoso exitu claudenda, & contrario votis euentu ruitura, prior sententiæ huius pars indicat. Siquidem violentis & furentibus animis & factis diuina iustitia primùm, & hanc venerata ipsarum natura omnis rerum aduersatur infensissimè. Hinc autem est quòd impiis, ac tyrannis, iniustísque omnibus, nec potentia, nec opes, nec sua nimio studio conquisita sapientia, quicquam ad promissam & propositam sibi felicitatem conferunt; quantoq́; maior interdum videatur horum vitæ commoditas & prosperitas, tanto ærumnosior miseria & calamitas deprehenditur, nimirum iratis & infestis rerum omniū naturis ei qui societatis humanæ, cuius causa orbis omnis constiterat, dissoluerit ac violauerit ius. Huc illa spectat vox:* Cùm operatus fueris eam, non dabit fructus suos. *Huic verò infelicitatis externæ malo, aliud longè grauius, incommodius, importuniusq́; adiunctum est, perpetuus quidam conscientiæ languor ac morbus, quo impij atque iniuriosi homines correpti & oppressi, assiduis variisque animi ac mentis perturbationibus velut insani laborant, nec sibi ipsi vllo consilio, vllóve remedio aut requiem, aut leuamentum parare afferreq́; valent. Hinc verò variè studiorum, locorum, atque actionum profectis mutationibus ancipiti & inconstanti semper proposito in diuersas rapiuntur partes, nunc aliud, nunc verò aliud præsidio sibi fore putantes: frustra tamen omnia experti, anxiferis distrahuntur curis, variandis illis quidem identidem, abijciendis verò nunquam.*

quam. Vagus & profugus eris. *Prius verbum animi ac mentis, consiliiq́ inconstantiam, sensusq́ mutabilitatem; posterius verò locorum, munerum, artium, amicitiarum, & consuetudinum, atque societatum, & negotiorum significat mutabilitatem, metum præterea perpetuum, atque omnium rerum pauorem & formidinem, quibus plenus est semper animus, vbi iniuria aliis facta, sibi se ipsum iniquum & infestum reddidit; id quod manifesta homicidæ illius confeßione deprehenditur. Namque is immanitate atrocitateq́ facinoris, quasi furiis agitatus iniquus, à pœnitentia, & veniæ, ac misericordiæ postulatione, quæ vnicus in tanta tempestate portus, isq́ verè ac seriò reuersis atque petere conatis patens fuerat, desperationis procellæ sese permittens ac tradens, exemplum horrendum detestandumq́ statuit peßimorum, ac violentorum, perditißimorumq́ hominum, qui, vbi semel in profundum malorum deuenerint, inconsideratißimæ ac dementißimæ temeritatis impetu cæco ferri sese, quàm meliora monentis consilii voce sisti ac reuocari patiuntur.*

Dixitque Cain ad Dominum: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.

*Eos qui à singulari Dei gratia atque tutela propriis criminibus, & sceleribus sese abalienauerint, omnium rerum naturæ, animantiumq́ generibus omnibus odio atque inuidiæ esse, magnoq́ cum vitæ ac salutis periculo vbique versari, nullibi terrarum aut locorum tutò viuere, oratio hæc apertè arguit. Dei verò clementia interdum, interdum verò iustitia, nonnunquam vtroq́ nomine fieri, vt huiusmodi, quamquam nusquam securi, tamen certa prouidentia defensi, aliquandiu durent: tum vt sui tandem, suaq́ miseriæ & calamitatis pertæsi, ad pœnitentiam, sanioris q́ mentis consilium, atque adeò ad misericordiæ diuinæ præsidium sese referant; tum verò vt horum miserrimæ ærumnosæq́ vitæ spectaculum, exemplum, documentumq́ mundo atque hominibus cæteris præbeat iustitiæ vltionisq́ Dei, atque indignationis in sceleratos, impuros, ac nefarios homines.* 2. Petri 3. *Non tardat Deus promißionẽ suam » (vt quidam existimant) sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Rom. 2. *Scimus enim, quoniam iudicium Dei » est secundùm veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc, ô homo » qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? » An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & » reuelationis iusti iudicii Dei. Huius diuini iudicii perpetuum per totam vitam orbi præconium furiosa ac perpetua instabilitas fecit, qua Cainus à gratia & facie Dei exsul per diuersa loca vagus & errabundus ferebatur, nullibi terrarum tutum, nusquam securum se esse posse credens, vtpote cuius membris*

*membra, inquieta mens; mentem verò offensi numinis conscientia, & innocentis fratris occisi terribilis semperq; instans imago agitaret atq; vexaret, & cuiuscunque, siue hominis, siue aliorum generum animantis occursus afferendæ sibi mortis opinione ac metu exanimaret.* Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me. *Ita adeò fit, vt qui semel alterius capiti insidiatus fuerit, vitæ suæ paratas non metuat modò ac vereatur, sed animo & cogitatione semper experiatur insidias, adeò ipse sibi supplicium aßiduum est, vt semel iam pœnas dedisse optarit. Verùm vt nec ipse sibi manus afferret Cain, nec ab alio quopiam occideretur, quoad exilio atque metu illo perpetuo mortalibus omnibus diuini iudicij indicium & monumentum sese faceret, Dei consilio prouisum, ac responsô cautum legimus.* Dixitque ei Dominus, Nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. *Nam quod in parte solaminis accipere homicida ille curabat, hoc est, vagationem instabilitatémque illam sibi pœnæ nomine indictam, oblata morte finire, euenire diuina iustitia vetuit, vt immanis sceleris inuidia & odium mortalibus cunctis probrosæ scelerati illius exsulis pœnæ aßiduo ac publico spectaculo concitaretur. Quod quidem exemplum in illo vno præcipuè statutum Deus voluit; nec verò inde ab aliis deinceps homicidis petendum, vt aliàs docebimur, tradidit.* Posuitque Deus in Cain signum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum. *Inquietam illam vagationem, mentis anxietatem, atque membrorum perpetuum tremorem, quæ nominibus* NAG *&* NAD, *significantur, signum fuit, quo quicumque occurreret, vel agnosceretur ex fama, vel rogatus ipse, causam confiteretur & proderet. Ex illo verò Caini metu, quem homicidij experientia in terrarum orbem inuexit, societatis & coniunctionis inter se, atque mutui auxilij subsidijq; petendi orta neceßitas fuit. Namque aliàs nisi innocentes, nocentium vim sibi infestam esse timerent, rursus verò nocentes ab vltione sibi metuendum intelligerent, liberiùs in agris, suo quemque loco cum vxore & liberis viuere iuuaret, atq; sedes interdum pro commoditate soli ac cæli mutare delectaret. Verùm enimuero cùm non modò animantium ferarum complura genera hominibus infesta fore, sed homines etiam alios insidiari, & crudelißimè nocere posse constaret, deliberato ac certo consilio in commune coire, & coniunctis opibus sese mutuo tueri iuuareq; placuit, authore cumprimis rei huius Caino, quem præcipuè in huiusmodi cogitationem proprius ille metus & conscientiæ pauor impellebat, hoc vno pacto, & suæ, & posteritatis suæ præstantiæ, dignitati, atque splendori perspectum iri putantem; inuenta primùm ciuitate, & constituta, cuius neceßitudine & ope sese ipse principem sisteret, & ab aliena vi defensum seruaret, inuaderétque interdum eos quos sibi, consiliis propositisq; suis minùs obsequentes, aut aduersos fore cognosceret. Namque illum sanguinarium animum homini parricidæ, nec pœnitentia correcto, nec pœnis, ac terroribus emendato, perpetuò hæsisse, consentaneum est; tum sese in metu illo grauißimo defendendi, tum verò alios per poten-*

*tiam opprimendi causa.* Cognouit autem Cain vxorem suam, quæ concepit, & peperit Henoch. Et ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij sui Henoch.

*Illud cum primis animaduersione dignum est, Caini acta, facta, gestáque omnia ad humani ingenij & consilij exemplum referri oportere, atq; in hoc vno primùm humanarum artium exemplum constitui, vt quæcunque postea deinceps auaritiam, ambitionemq; in studiis actionibusq; hominum spectare videantur, ad huius hominis reuocentur imaginem, qui cùm sese à facie Dei eiectum existimaret, suo sibi consilio & modo viuendum esse, & iam nouam humanæ felicitatis rationem ineundam persuasit. Itaque de publicis priuatísque rebus nouum sermonem instituere cœpit, dandúmque putauit non parum dexteritati ac prudentiæ suæ, cuius copia & facultate quid agendum, quid petendum, quid esset vitandum, cognosceret. Vnde primæ à se genitæ proli, quam masculam virilémque viderat, atque ita magnæ potentiæ, & gloriæ, amplitudinisq; initium sibi posteritatíque suæ fore sperabat, nomē faustum & augustum imponendum curauit* HHANOK, *quod Latinè initiationem, felicitatis principium, & augurationem dicere possimus. Hispanici sermonis germana vox aptè reddit* estrena. *Susceptis autem ex hoc filio nepotibus, primam vrbem construere aggressus, eodem etiam faustitatis indigetauit nomine; ita vt iam & prolem illam generis ac sanguinis sui propagandi, & vrbem magnæ dominationis, atque multarum aliarum vrbiū condendarum aut obtinendarum initia fore augurаretur, sibíque hoc pacto præclaram primæ omnium hominum familiæ, atque omnium vrbium parentis famam celeberrimis monumentis firmaret. Hinc variæ venêre artes. Nam præterquam quod agricultura, cui ipse plurimum deditus erat, varia ad arationes, insitiones, & consitiones, instrumenta & ferramēta postularet; ipsi quoque ciuitatis, & ædificandarum ædium vsus, deinde etiam tuendæ vitæ, atque pugnandi, & propugnandi, expugnandíque opportunitas & occasio diuersa, ac multiplicia, ad inferenda aut depellenda pericula, genera excogitare cogebat. Atque ad hanc partem omnes referendæ sunt artium formæ, quæcunque materia ad opus efficiendum indigent, & manuum etiam ministerio exercētur, quales omnes eæ sunt, quæ ministram architecturæ operam præbent, in quibus primùm naturæ & expeditionis ratione locum sibi vendicat ea quæ circa ferrum, æs, metalláque omnia versatur: siquidem hæc vna cæteris omnibus commodam idoneamq; præstat instrumentorum copiam; deinde verò mensurarum, & ponderum, numerorúmque obseruandam certamq; rationem expedit, itaque omnium huiusmodi externorum opificum primus magister & instructor is dicetur, qui in fundendo, cudendo, incidendóque ære, & in emolliendo, ducendo, ac limando ferro fuerit peritissimus. Atque harum omnium artium finis præcipuus est, hominum vitæ, quod ad corporis commoditatem pertinet, consulere. Sunt præterea aliæ, longè iis nobiliores, quæ non tam in corpore iuuando, quàm in erudiendo, excolendo,*

*forma-*

*formando, adornandóque animo ponuntur, & liberaliores ideo atque humaniores vocantur, quòd hominis præstantiore parte dignæ sunt; cuiusmodi cæ sunt, quæ contemplationem, mentisq́; agitationem, magis quàm membrorum atque corporis operam exigunt; tum quæ eam animi portionem instruunt, quam intellectum mentemq́; vocamus; tum verò quæ eam sibi tractandam vsurpant, in qua morum atque consuetudinis, cum priuatæ, tum communis concinnitudo spectatur. Priorem naturalem disciplinam, posteriorem verò moralem dicimus. Igitur vtriusque generis artes quoniam si paulatim atque ex vsus ratione inuenire, discere, absoluereq́; necesse esset, longißimi temporis mora, atque multorum erratorum experimentorumq́; periculis, plurimorúmque ingeniorum collatione opus foret; Deus, qui terrarum orbi habitando prospiciebat, duos primos, & maximos, atque præstantißimos omnium magistros, vltro absolutè ac perfectè edocuit, quorum opera atque doctrina, hominum vita ac societas excultior euaderet, atque ad otium & negotium opportunis commoditatibus vti posset. Ab eodem verò tempore, hoc est, à Caini sæculo, hominum pars quædam domicilia coniuncta, quas vrbes dicimus, mœnibus sepire & incolere optarunt; pars verò coniunctionem quidem & societatem probarunt, sed liberiorem habitatione, atque vitæ genere rusticiore vti voluerunt, pastionibus nimirum armentorũ & pecorum, atq; mobilium tectorum siue tabernaculorũ facilitate & libertate. Quibus etiam pro ingeniorum & studiorum ratione artifices illi duplices, hoc est, qui externo in opificio, & qui interna in contemplatione & meditatione occupantur, vtiles esse potuerunt. Primus Caino nepos Irat contigit, cui filius procreatus Mehuiael dictus fuit, ab hoc Methusaël, à Methusaelo Lamechus prognatus.* Qui accepit duas vxores, nomen vni Ada, & nomen alteri Sela. Genuitq; Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum. Et nomen fratris eius Iubal: ipse fuit pater canentium cithara & organo. *Hic musicen nõ inuenisse modò, sed exactißimè exercuisse docuisseq́; dicitur: namque hoc vox* AB *in sacris quoque significat, pro qua Latini* Patrem *reddunt. Musicen autem vnam ex liberalibus disciplinis esse, quæ cæteras, quamquam sorores & germanas, tamen postrema sequatur & absoluat, nec nostri nunc instituti est ostendere, nec quisquam scientiarum humanarum compos ambigit. Atque hic, vbi mente animíque vi, ex Dei doctoris instinctu, numerorum, ponderum, atque mẽsurarum exactam enuisset ac tradidisset naturam fratri suo, ex aliena matre nato, atque manu ad materiam omnem tractandam apprimè idoneo & agilißimo, in artibus, quibus ingenio atque animo deditus erat, perficiendis multum contulit proportionum & comparationum rationibus interuallísque expeditis, vnde circini, regularúmque iudicium constitit.* Sella quoque genuit Tubal-Cain, qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri. LOTES *diligentem, strenuum, atque peritum opificem significat, cui malleatoris & fabri Latina nomina hoc loco deseruiunt.* לוטש

*Cùm verò in vno Adamo humanum genus omne esset duplici parte constans, masculo videlicet & femina; & quæ femina pars erat, post illud boni ac mali experimentum fortior & viuidior videretur, certéque insolentius euasisset; eamq́ partem Cainus repræsentaret, ad sui amorẽ, commoditatem, ornamentum, amplificationémque in terris, ingenio atque studio propensus & intentus homo; cumq́ hic idem fratrem suum Abelum occidisset, in quo alterius, hoc est, melioris humanæ naturæ partis, interioris videlicet hominis candor, simplicitas, ac probitas lucebat: illud euenit, vt cultore pio atque probo desertus & vacuus terrarum orbis, huius seculi filiis, in vita potentibus proq́ libidine agentibus, tantùm pateret; qua hominum sobole & frequentia principi huius mundi, hoc est, Diabolo, regnum sine vllo impedimento amplificari & propagari posse existimabatur. Neque enim hoc spiritu quiescente nihilque agente & instigante, iustus ille Abelus de medio sublatus interfectusq́ fuerat. quippe illud promissum de mulieris filij virtute atque efficacitate, qua se superatum & perdũ iri audierat, ita malè habebat, habuitque semper, vt ne quis bonus & pius vir deinceps exstaret, cui non quàm posset grauissimè officeret, insidiasq́ instrueret, consilium perpetuum ceperit. Ergo extincto Abelo, pietatis ac pœnitentiæ scintillæ in solis primis parentibus, hoc est, Adamo & Heua residuæ, ac veluti cineribus occultæ erant, quoad stipite aliquo diuina prouidentia admoto, ad posteritatem propagato, eruerentur. Hoc verò melioris prolis desiderium parentibus leniendum curauit Deus, tertia prole suscepta, quæ conseruandæ ac propagandæ pietatis certam faceret spem.*

Cognouit quoque Adam vxorem suam: & peperit filium, vocauitque nomen eius SETH [POSITVM & FIRMATVM *interpretari licebit*] dicens, Posuit mihi Dominus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. *Meliorem generis partem à deteriore vi atque potentia oppressam & occisam declarat, idq́ à Caino terrenarum rerum atque opum cupido fratre, cuius proles numero multiplici creuerat, eademq́ ingeniis & artibus præstare, seseq́ tueri & amplificare studebat. Verùm enimuero Dei prouidentia & virtute gratulatur sibi contigisse, vt quamquam non tot filiis, tam instructis, atque Caini gens & familia visebatur; tamen vnicus, Deo donante & sufficiente, susceptus modò natus, dolorem ex illius occisi desiderio acceptum imminueret ac molliret, & pietatis veræ diuiniq́ cultus rationem, quam Abelus inierat, produceret, teneret, ac tueretur, & promissi illius sancti seminis, fidem atque spem firmaret.*

*Atque iam duæ in terris familiæ erant: alteram Cainus, Sethus alteram constituebant. Verùm illa frequens & potens, hæc verò infrequens & modesta, vno tantùm viro totis centum & quinque annis contenta: cùm interim prior illa multo nepotum & pronepotum succresceret numero. quod exemplum in hominum propagatione & sobole perpetuum, per ætates omnes obseruatum est, vt longè maior improborum quàm bonorum dignosceretur*

co-

*copia. Nam peruersi difficilè corriguntur, & stultorũ infinitus est numerus.* Eccle. 1.
*Verùm enimuero vt in plantarum arborumq; natura conspicimus, eas quæ quasi sponte proueniunt, & campos ac siluas complent, citissimeq; crescunt & augentur, nec felici probari fructu, nec diutiùs durare, sed vel decrescere & minui, vel subita tempestatum ac procellarum vi repentè frangi, corrumpi, euelli, ac dissipari; contrà verò, eas diutissimè durare, probatisq; commendari fructibus, atq; omnibus temporum iniuriis superesse, quas natura & opportuno cultu tardiùs vnà cum ætate adolescere & perfici videmus: ita etiam piorum, & bonorum perpetuam & constantẽ rationem, impiorum verò breuem potentiam, præcocemq; & inanem felicitatem, vtriusque partis declarauit euentus; cuius paulo pòst referemus historiam. Vidi impium* Psal. 36.
*superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani. Et transiui, & ecce non* "
*erat: & non est inuentus locus eius. Custodi innocentiã, & vide æquitatem:* "
*quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. Iniusti autem disperibunt, simul re-* "
*liquiæ impiorum interibunt. Salus autem iustorum à Domino: & protector* "
*eorum in tempore tribulationis.* "

*Rebus autem hominum ita auctis ac dilatatis, vt non in familias modò, sed in oppida, vrbes, ac ciuitates diduci contigisset, disciplina illa domestica Caini parentis valebat adeò, vt vnusquisque sibi iam suam vim & potentiam, suam voluntatem ac libidinem sibi salutarem & faustam duceret, próque Deo susciperet, haberet, & coleret; priuatisq; intentus opibus, ea tantùm in commune curaret, quæ ad priuata conseruanda expedire arbitraretur; nihilque diuinum saperet, sed omnia ex hominis definitione metiretur & statueret, ex hominis, inquam, ad Caini exemplum efficti & conformati, qui à facie Dei eiectum sese ducens, de illo humanæ miseriæ statu, de illius status correctione, de salute hominum generi per Deum afferenda minimum cogitabat; ita vt nomen illud arcanum Dei, quod ad misericordiæ & salutis publicæ rationes pertinet, è communi hominum sermone, & commemoratione remotissimum haberetur. Eadem verò tempestate piissimi viri Sethi domus mascula prole ex diuino beneficio instructa est, cuius munere, & officio pietatis ratio in terris procuraretur, & diuinus instauraretur cultus, ac publicæ salutis notitia, fides, & exspectatio hominibus iis, qui persuaderi se sinerent, excitaretur.* Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos. Iste cœpit inuocare nomen DOMINI. *Enos nomine homo ea ratione significatur, qua sese ipsum agnoscens, miseriam infirmitudinemq; suam sentit, ac modestiam, animiq; moderationem & grauitatem seruat, ab illa effrenata Caini superbia, arrogantia, atque importunitate sese præbet alienum.* Iste cœpit inuocare nomen DOMINI. *Namque antehac, à primis propagatæ familiæ Caini annis, potentiorum & magnatum, atque his adulantium ingenio, rudiorumq; credulitate, falsa vanorum deorum opinione, doctrina, atque formidine vulgus omnis imbutus erat: &, si nondum hominibus, vel viuentibus, vel vita functis, cœli tamen sideribus, astrorumq; naturis, ac nomi-*

*nominibus; diuinus tribuebatur honor, vtpote quorum ordinibus, motibus, & cursibus terrena omnia atque humana etiam vel oriri, & occidere, vel agi prorsus, vel certè iuuari ac lædi crederentur. Temporum præterea varietates & mutationes, ac ex his nata commoda vel incommoda, opportunitati, importunitati, atque concordiæ, discordiæq́ stellarum, & cælestium luminum tribuerentur. Cumq́ maxima hominum pars terrenorum tantùm teneretur studio, ea præcipuè, quibus terrena gubernari atque duci putabat, excogitatis ac dicatis cultibus concilianda sibi suscipiebat. Hæc itaque res falsas opiniones genuit, erroresq́ turbulentos, & superstitiones aniles. Quibus malis Enos medicinam facere studuit, veri Dei nominis atque virtutis, efficacitatis, & communis ac singularis in homines prouidentiæ, ac præsertim diuini de humana salute consilij, propositi, atque promißi disciplina & institutione seriò, studiosè, ac piè suscepta, & exercitanda, ac tradenda, initi ab ipsis rerum primordiis, atque adeò à mundi constitutione repetito ac deducto. Hoc enim nobis illa significant verba:* Iste cœpit inuocare nomen DOMINI. *Vt præco atq́ magister doctrinæ illius, quæ nominis* IEHVEH, *arcana sententia colligitur. Huius doctrinæ summa illa fuerat, Authorem videlicet rerum omnium vnicum asserere Deum, eundemq́ gubernatorem ac perpetuum rectorem tradere. Humani generis ortum ducentis & quindecim annis ante se natum præceßisse, parentibus primis Adamo & Heua, qui tunc etiam inter viuos numerarentur, quorum vera & certa confessio esset admißi delicti, & vitiositatis conceptæ, atque ad posteritatem transmissæ, hinc verò malorum omnium hominibus repertam originem; atque morborum & mortis fontem, illius præcipuè mortis, qua hominum animi à vera vita abalienati ac pulsi essent. Quam tamen vitam idem Deus* IEHVEH *nomine appellatus, & eodem etiam inuocandus, hominibus sese redditurum atque maximorum beneficiorum cumulo ornaturū pollicitus fuerit, obnunciatis & indictis mali consilij authori, hoc est, diabolo, pœnis coram Adam & Heua parentibus: atque his ipsis spe facta, finis laboribus omnibus per semen ex muliere oriturum imponendi, & huius promißi postulata fide, vitæ pœnitentis & piæ imposita imperataq́ conditione. Contineri verò vitæ illius Deo probandæ legem ac rationem omnem paucorum præceptorum breui, eaq́ humanæ naturæ conditioni ac decoro valde consona summa: videlicet vnius Dei amore, obseruatione, atque cultu, quæ timoris, siue reuerentiæ, siue pauoris, atque aliis huiusmodi significantur verbis. Huic verò consequentē esse alterius à Deo numinis credendi aut suspiciendi vetationem illiusq́ solius inuocationem & exspectationem: hisq́ duobus, ea quæ Deum spectant, præstari. Quæ verò ad vitæ cum priuatæ, tum communis rationem pertinent, quatuor esse, quibus obseruatis, humanum officium sua sponte rectè flueret, societatemq́ vitæ conseruaret. Eorum verò hanc cōstitui seriem: Homicidium, Sanguinemq́ vitare; Legitimo coniugio contentos, ince[stum] omnem cauere; Furto abstinere, suoq́ quemque labore partis vti rebus;*

*fo-*

*ſocietatem conſeruandam, & pellendam iniuriam, iudicia inſtitui: quorum præceptorum explicationem in operis huius corpore ſiue ſilua adiungemus. Demum Enoſi doctrina omnis in admonendis proprij officij hominibus, ijſdemq́ ad ſalutis promiſſæ fidem & ſpem animandis, continebatur, cum ſumma atteſtatione miſericordiæ atque veritatis diuinæ, quæ credentibus, vitiúmque fugientibus, ac piè & iuſtè viuentibus hominibus opportunè præſtanda eſſet; neminemq́ omnino à ſalute excipiendum, & excludendum, niſi quē ſua culpa preſſerit & exceperit. Nec verò dura aut aliena eſſe quæ præciperentur, ſed quæ ipſa humana virtus & natura ſua, ſeq́ digna eſſe fateretur, quæ ideo ad ſalutem obtinendam exigebantur; tametſi in illis vera ſalutis ratio non eſſet ſita, ſed in vnico Dei beneficio, omnem humanam opinionem & expectationem longè ſuperante, per Deum liberaliſſimè ac benigniſſimè præſtando. Credere itaque oportere diuinis effatis, & credentem ea quæ imperarentur, quæq́ maximè decerēt, velle, & conatu ſtudioq́ adhibito ſedulò agere. Atque hæc fidei ac legis illius primæ, quam naturalem dicimus, breuis doctrina, duobus præcipuis membris diſtincta, Dei timoris & cultus, atque officij ac iuris inter homines obſeruandi, quorum omnis ratio innocentiam & beneficientiam ſpectat.*

# De hominis Arbitrio.

## CAPVT IIII.

*AD ſalutis vltro à Deo promiſſæ & afferendæ obtinendum beneficium illud ſummum ac maximum, de quo verba ab Enoſo frequenter facta narrabamus, hominum, qui ſeruari cuperent & ſtuderent, non fidem tantùm, ſed obedientiam, obſeruantiam, & vitæ probitatem exigi ac peti diximus; neque in ea exactione quicquam eſſe, quod natura ipſa humana à ſe alienum, vel ſibi non integrum cauſari poſſet. Id verò quàm verè ex ſacris oraculis firmetur, operæprecium lectori facturi videmur, ſi altiùs repetitum oſtenderimus. Hominem interiorem ad imaginem & ſimilitudinem Dei factum iam didicimus, variis præditum, ornatum, ac decoratum virtutibus, memoriæ, intellectus, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, ac iuſtitiæ, & aliis permultis, quibus imago illa diuina concinnata eſt. Has verò omnes quamquā admiſſi peccati mole ac pondere preſſus homo longè minùs quàm antea expeditas experiatur; retinet tamen, & ſuas in animi partibus locatas manere intelligit; nec ſibi ipſi præſentes atque certas inficiari poteſt: poteſt & idem exercere, atque exercitationis vi & vſu nitidiores promptioresq́ præſtare; quippe omnia quæ ſua ſponte pulchra decoraq́ ſunt, exercendo pulchriora reddi, ac magis magisq́ indies niteſcere videmus. illud tamen verum eſt, exacta harum virtutum exempla ſine auxilio ſubſidioq́ Dei edi non poſſe, propter circumſtans illud, quod diximus, peccati*

M pondus

*pondus & venenum, quod humanis membris ex illo vetiti fructus esu, atque ex serpentis halitu fuit infusum. S. S. E. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Verùm enimuero huiusce infirmitudini, & corporis animiq́ imbecillitati, diuinæ misericordiæ & opis copiam præsto semper esse, neq́ cuiquã, qui admittere sedulò velit, subduci, testimonio certissimo fuerit ea, quã modò retulimus, Caini imago & historia, quem, quamuis improbissimum & perditissimum, tamen immane facinus animo cogitantem blanda, grata, paterna, ac salutaris Dei interpellauit & præmonuit vox, disserteq́ docuit, peccati ac sceleris vi & impetu nisi volentem & prudentem, atq; vltro succumbentem, opprimi non posse; sese autem qui moneret atque exhortaretur, propitium fautorem, & luctæ, atque repulsæ, victoriæq́ adiutorem adesse.*

Math. 26.

Genesis 3.

" *Nónne si bene egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Qua diuina sententia non tantùm pronunciata simpliciter, verùm expositione amplificationéque confirmata, docemur peccati appetitum homini subiectum esse, non secus atque in rectè instituta domo ac familia vxor viro subiecta est; & hominem etiam post illam primam cladem peccati appetitioni dominari posse: namque idem verbum hoc in loco vsurpatum est à Deo, quod in Heuæ denunciationibus fuerat prolatum: Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. id verò quod responso Dei declaratum referimus, multorum etiam inter gentes nationesq́ hominum innocenter atque studiosè viuentium exempla experimentáque comprobarunt, qui gratiæ illi diuinæ intra eorũ animos lucenti atque suadenti sese faciles atque habiles præbuere, & cum vitiorum fera monstroráq́ natura & copia bellum felici successu sustinentes superarunt, & consilij, auxilij, ac demum victoriæ parenti Deo gratulati sunt, ex quorum numero Iob & Melchisedech, & horum similes vitiorũ domitores, ac virtutum sectatores fuère. in hac quoque classe nonnulli ex Philosophis describi possent, qui, diuino instinctu moniti & adiuti, suos composuere mores, & alienos etiam præcipiendo ac docendo emendauere, nisi ijdem arrogantia dementati, & gloriæ cupiditate corrupti, id quod gratiæ, bonitati, & efficientiæ Dei acceptum referre debebant, suæ ipsorum virtuti atque sapientiæ tribuissent, quamobrem postea, vt diuino priuarentur dono, commeriti sunt.*

Genesis 3.

Rom. 1.

*Quia cùm cognouissent Deum [& in externis rebus sese indicantem, & in ipsorum animis internè insinuantẽ & agentem] non sicut Deum glorificauerũt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. dicentes enim se esse sapiẽtes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & volucrũ, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorũ, in immunditiam: vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & seruierunt creaturæ potiùs quàm creatori, qui est benedictus in secula. Et sicut non probauerunt*

Deum

Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum sensum. "

Hæc itaque exempla ac testimonia apertè ac planè declarant homini, animi virtutibus non abuso, & gratiæ diuinæ efficientiam auxiliumq́ admittenti & agnoscenti, ea vitari posse peccata & scelera, quæ ex vitiositate cupidinis cor animumq́ tentant; vitari, inquam, non vt non tentent, sed vt non suscipiantur & peragantur. Tentare quidem illa solent concupiscentiæ impetu cæco & repentino, qui si fortiter reprimatur, vincetur demum & domabitur præsente Dei gratia, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, atque virtute animi adhibita, & ad sudorem vsque exercita: ita vt nemo iure vel gratiam sibi negatam, vel virtutes animi desideratas, excusare possit, cùm concupiscentiæ tentationibus succubuerit, sed sibi ipsi vitio & culpæ adscribere, qui vel vltro sese dederit, vel iustum in certamine laborem, atque opportunum studium ponere neglexerit. Non enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Nemo, cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Vnusquisque autem tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum. peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem. Nolite itaque errare fratres charissimi. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descēdens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quamobrem quodcunque hominibus peccatum admissum, vel delictum susceptum fuerit, probro & crimini esse oportet, quòd imbecilliori ac deteriori sui portioni indulgere & obsequi magis quàm imperare ac temperare libuerit; eodem prorsus pacto quo primum peccatum ab Adamo fuerat admissum, qui exprobrantis atque iudicantis Dei sententia illud audiuit: Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, idcirco maledicta terra in opere tuo. Spinas & tribulos germinabit tibi. In sudore vultus tui vescêris pane tuo, donec reuertaris in terram tuam. Hunc verò sudorem tantum laboris interpretati iam sumus, quantum par esset consumi in rescindendis & vellendis corruptis appetitionibus, & carnalibus concupiscentiis, quæ in maledicta terra, hoc est, in exteriore homine pullulantes, aduersus animam, id est, interiorem hominem, subinde militant. Quamquam verò homo interioris partis virtute exteriori portioni, vt vxori viri dominari, & à peccato ac delicto admittendo temperare possit, non ideo tamen protinus purus atque insons esse definitur, nihilominusq́ mortis ac maledicti iudicio ac sententia Dei damnatus manet, propter inhærens vitium, peccatiq́ virus in se ipso abditum & confusum, quod ipse à se prorsus exspuere aut auferre non potest. Potuit enim ille mortem admittere, admissam verò excludere ac pellere, nisi Deo vindice, non quiuit. Perditio tua Israel: tantùm in me auxilium tuũ. Quam quidem rem cùm certam subductamq́

Margin: Ioan. 1. — 2 Tim. 2. — Iacob. 1. — Genesis 3. — Oseæ 13.

Esaiæ 64. *pij viri ac Vates haberent, ita confeßi diffamabant: Facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitia nostræ: & cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Iob 25. *Numquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? Quam quidem ob rem nullo effici modo potuit, vt homo post illam primam lábem seipsum à morte erueret, & ad perfectam vitam iustitiámque referret; quamuis legis vel innatæ, vel scriptæ, præceptis & operibus inseruiret.* Psal. 142. *Non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Verùm enimuero ne huius exacti iudicij conscientia pressus ac turbatus homo animum demitteret, salutemq́ desperaret suam, diuina bonitate & prouidentia duo consulta sunt: alterum vt fides & spes fieret homini, salutis ac vitæ, non sua, sed filij cuiusdam ex femina orituri, virtute & efficientia referendæ: alterum verò vt pœnitentiæ studium exercitatióque imperaretur eo quo præstari poterat modo, hoc est, pugna aduersum concupiscentiæ partus suscipienda & sustinenda, cum præsentis gratiæ auxilio atque dono. Vtrumque verò, vti iam disserebamus, illa vna actione expositum fuit, qua & serpenti sententia denunciata, & Adamo luctatio, & terra suæ laboriosa cultura demandata fuit:* Genesis 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierē, & semen tuum & semen illius: & ipsum conteret caput tuum. In sudore vultus tui vescēris pane tuo, donec reuertaris in terram tuam. Nullum nobis in sacrorum voluminum lectione exemplum vsquam repertum est, quo Deus Adami posteritatē (quam sæpißimè deserti officij damnat) propter originis peccatum à parentibus primis cum carne acceptum obiurgare, & pœnis addicere intelligatur; contrà verò, centenæ paßim leguntur obiurgationes, reprehensiones, minitationes, atque denunciationes pœnarum, & innumeræ describuntur castigationes ob propria singulorum capitum, vel communia populorum atque gentis scelera, commissaq́ delicta, & neglecta officia, peccataq́ vltro admissa, & vitæ corruptelæ licētiam. ex quibus omnibus planum ac perspicuum fit, homini à prima illa maxima iactura vitandi, & fugiendi, domandiq́ vitij & peccati, rursusq́ officij faciendi, virtutisq́ exercendæ facultatem superesse, eidemq́ excitando, animando, & firmando gratiam auxiliumq́ Dei adesse. vtrumque autem in Caini persona declaratum fuisse, & ad omnem hominem pertinere, animaduertendum est:* Genesis 3. *Nonne si bene egeris, recipies? bene igitur agere homini, quamuis insolentißimo, quamuis Caini simillimo, integrum est. Si autem malè, in foribus peccatum cubat, non instat imminétve capiti, nec ianuā occupat, nec aditum exitúmve palàm & potenter præcludit: nec enim tanta vi, tantáve audacia pollet, sed canum instar cubans obseruat, atque ingressuri aut egressuri calcibus insidiatur, vt noceat, & aduersatur; ~~metuens interim & cognoscens non vitari se modo, sed reprimi, & pelli, ac subigi posse~~.* Et sub te erit appetitus

petitus illius, & tu dominaberis illi, *velis & coneris modò. Ab iis autem feris deducta allegoria fuit, quæ non tam viribus & impetu, quàm insidiis & obseruatione ad lædendum valent vtunturq́. quamobrem verbum* ROBETS, *in diuina monitione fuit vsurpatum. Nec verò ad insidiantis tantùm peccati cauendam repellandamq́ fraudem & læsionem facultas atque libertas homini constitit; sed etiam ad eiusdem iam admissi & suscepti malum detestandum & procurandum, atque remediis quæsitis curandum, vis & copia, atque diuina etiam doctrina exhortatióque restat. Procurationis autem summa duabus illis definitur partibus, fide ac pœnitentia. Fide, inquam, qua diuinæ misericordiæ promissa excipiuntur & repetuntur: pœnitentia verò, qua iustitia mitigatur, cælestisq́ placatur ira, & conciliatur clementia. Magnam enim mirabilemq́ ad se leniendum ac restituendum momenti ac ponderis vim pœnitentiæ eius, quam fides instruxerit, esse Deus voluit; de qua nos tum sæpe aliàs, tum in eo libello disserebamus, cui Dictati Christiani nomen præscripsimus. Hanc verò pœnitentiam propter salutis humanæ studium à Deo exigi & flagitari, atque promissi adhibitiq́ auxilij ope adiuuari & excitari, omnia ferè diuina scripta docent, nihil totis ferè paginis ab hominibus peccati reis magis impensè & assiduè exigẽtia, quàm fidem & pœnitentiam: quæ si facultatis humanæ præstare non fuisset, non ita profectò continenter & accuratè exigerentur. Ac præterquam quòd illud in primo hominum parente statutũ exemplum declarat, qui, dum à Deo vocaretur, ad pœnitentiam confessionemq́ apertè reuocari visus est (Adam* Genes.3.
*vbi es? &, Quis indicauit tibi quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo* «
*præceperam tibi ne comederes, comedisti?) illud idem cum Caino, quãquam* «
*impio atq́ sceleratissimo, instauratũ & reuocatum confirmat: Vbi est Abel* «
*frater tuus? Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Quid aliud vtraque vox & oratio diuina agere, quid mouere & excitare existimanda est, nisi admissi peccati sensum, agnitionem, & morbi dolorem, & ab insani pectoris & capitis malo resipiscentiam, nisi gemitum, ac medicinæ desiderium & studium, atque medicæ operæ implorationem, & sollicitationem? Quod profectò diuinæ reuocationis & excitationis exemplum, nullus inter mortales tam sceleratus, tam immanis ac durus, tam ab hominis affectibus auersus est, qui post admissum vltro atque etiam impotenter scelus in sese non editum renouatumq́ agnoscat, conscientia reprehendente, &* 1 Ioan.3.
*cogitationibus inter se inuicem accusantibus, & animo pœnitentiam suadente, hortatoq́ Deo. idem verò cunctis hominibus, in quibus diuinæ lucis vel scintillula illa, quam rationem nominamus, lucet, ex Dei beneficio atque cura contingere, vel hoc ipso apud Cainum docemur exemplo. Alioqui quomodo iudicabit Deus hunc mundum, iustissimus iudex, & ab ira inferenda* Rom.3.
*alienissimus, & qui nihil aliud peccantibus exprobrat aut obijcit, quàm propriæ voluntatis deliberatam nequitiam & malitiam ad suscipiendum scelus, & suscepti, fouendi, repetendi, vrgendi, augendi, atque amplificandi*

 pre-

דבץ

*proteruam pertinaciam: id quod in multis sacræ disciplinæ locis passim in-*
Ierem. 35. *culcatum audimus. Misi ad vos omnes seruos meos Prophetas, consurgen*
» *diluculo, mittensque, & dicens: Conuertimini vnusquisque à via sua pessi*
» *ma, & bona facite studia vestra; & nolite sequi deos alienos, neque cola*
» *eos, vt habitetis in terra quam dedi vobis & patribus vestris: & non incli*
Ierem. 4. *nastis aurem vestram, neque audistis me. Laua à malitia cor tuum Ierusa*
Ierem. 18. *lem, vt salua fias. Numquid sicut figulus iste, non potero vobis facere, domu*
» *Israel? Ecce, sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel.*
» *Repentè loquar aduersus gentem & aduersus regnum, vt eradicem, & de*
» *struam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quo*
» *locutus sum aduersus eam: agam & ego pœnitentiam super malo quod cogi*
» *taui vt facerem ei. Nunc ergo dic viro Iuda, & habitatoribus Ierusalem*
» *dicens: Hæc dicit Dominus, Ecce ego fingo contra vos malum, & cogito con*
» *tra vos cogitationem: reuertatur vnusquisque à via sua mala, & dirig*
» *vias vestras, & studia vestra. Idem quoque apud Ezechielem Vatem, iura*
*mento etiam adhibito, Deus protestatus declarat; cuius orationem admira*
*dæ æquitatis, & immensæ misericordiæ testimonio refertam, ad eorum om*
*nium qui vel pœnitentiam negligunt, vel humanum arbitrium eleuant, pe*
*fringendum errorem, & instruẽdos animos, ex verbo referre, operæprecium*
Ezech. 18. *duximus. Factus est sermo Domini ad me, dicens: Quid est quod inter vo*
» *parabolam vertitis in prouerbium istud in terra Israel? dicẽtes, Patres com*
» *ederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Viuo ego, dicit Do*
» *minus Deus, si erit vltrà vobis parabola hæc in prouerbium in Israel. Ec*
» *omnes animæ, meæ sunt: vt anima patris, ita anima filij, mea est: anima qu*
» *peccauerit, ipsa morietur. Et vir, si fuerit iustus, & fecerit iudicium & iu*
» *stitiam, in montibus non comederit, & oculos suos non leuauerit ad ido*
» *domus Israel, & vxorem proximi sui non violauerit, & ad mulierem men*
» *struatam non accesserit, & hominẽ non contristauerit, pignus debitori re*
» *diderit, per vim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nud*
» *operuerit vestimento, ad vsuram non commodauerit, & amplius non acc*
» *perit, ab iniquitate auerterit manum suam, & iudicium verum fecerit in*
» *ter virum & virum, in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea cu*
» *dierit, vt faciat veritatem: hic iustus est, vita viuet, ait Dominus De*
» *Quòd si genuerit filium latronem effundentem sanguinẽ, & fecerit vnu*
» *de istis; & hæc quidem omnia non facientem, sed in montibus comedent*
» *& vxorem proximi sui polluentem, egenum & pauperem contristant*
» *rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idola leuantem oculos s*
» *abominationem facientem, ad vsuram dantem, & amplius accipient*
» *numquid viuet? non viuet. cùm vniuersa hæc detestanda fecerit, morte m*
» *rietur, sanguis eius in ipso erit. Quòd si genuerit filium, qui videns om*
» *peccata patris sui quæ fecit, timuerit, & non fecerit simile eis, super mon*
» *non comederit, & oculos suos non leuauerit ad idola domus Israel, & v*

*rem proximi sui non violauerit, & virum non contristauerit, pignus non retinuerit, & rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento, à pauperis iniuria auerterit manum suam, vsuram & superabundantiam non acceperit, iudicia mea fecerit, in præceptis meis ambulauerit: hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita viuet. Pater eius quia calumniatus est, & vim fecit fratri, & malum operatus est in medio populi sui: ecce mortuus est in iniquitate sua. Et dicitis, Quare non portabit filius iniquitatem patris? Videlicet, quia filius iudicium & iustitiam operatus est, omnia præcepta mea custodiuit, & fecit illa, viuet vita. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam: vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: in iustitia sua, quam operatus est, viuet. Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat? Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes quas operari solet impius, numquid viuet? omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: in præuaricatione quam præuaricatus est, & in peccato quod peccauit, in ipsis morietur. Et dixistis, Non est æqua via Domini. Audite ergo domus Israel, Numquid via mea non est æqua? & non magis viæ vestræ prauæ sunt? Cùm enim auerterit se iustus à iustitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis: in iniustitia quam operatus est, morietur. Et cùm auerterit se impius ab impietate sua quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam: IPSE animam suam viuificabit. Considerans enim, & auertens se ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est, vita viuet, & non morietur. Et dicunt filij Israel, Non est æqua via Domini. Numquid viæ meæ non sunt æquæ, domus Israel, & non magis viæ vestræ prauæ? Idcirco vnumquemque iuxta vias suas iudicabo, domus Israel, ait Dominus Deus. CONVERTIMINI, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proijcite à vobis omnes præuaricationes vestras in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum: & quare moriemini domus Israel? QVIA NOLO MORTEM MORIENTIS, dicit Dominus Deus, reuertimini, & viuite.*

*Hoc vnum à Deo per Vatem suum præconium factum multorum librorum & argumentorum vicem præstiterit, quæ à varijs scriptoribus, ad adserendam arbitrij humani veritatem, edi solent. Namque rem rationemq. nulli quondam Sanctorum ante legem latam, nulli quoad lex durauit, nulli demum Apostolorum non certam, testatam, & assertam legimus. An diuitias bonitatis eius (ait Iudæis Paulus) & misericordiam contemnis? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram* Rom 2.

*in*

in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera sua. Et Petrus eos, qui diuinis promissis fidem abrogabant, coarguens,
2 Pet. 3. inquit, Non tardat Deus promissiones suas, sed patienter agit, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti. Quamobrem Filius ipse Dei, dum vitæ præceptorem, & boni nuncij legatum ageret, clamare solitus
Marci 1. est: Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Et huius præcursor atque index Iohannes Baptista fictis ac simulatis hominibus veræ ac solidæ pœnitentiæ
Lucæ 3. serium studium suadebat: Progenies viperarum, quis docuit vos fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Idemque aliàs frequen-
Matth. 3. ter clamans monebat: Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Petrus autem Apostolus eos qui diuinæ gratiæ munus expetere se profitebantur, con-
Actor. 2. sulentes quidnam facere oporteret, breui oratione docebat: Pœnitemini, & baptizetur vnusquisque vestrûm baptismo pœnitentiæ. Omnis itaque sacræ doctrinæ ratio attentè, accuratè, & studiosè, vt par est, suis subducta nominibus illam conficit summam, Deum salutem hominibus promissam præstiturum, fidem cum primis commendare, atque innocentiam puritatémque vitæ imperare, certè verò post lapsum pœnitentiam vt necessariam exigere. Hæc autem præstari posse propter virtutes naturæ hominum concessas, & propter easdem etiam deberi, vtpote ipsius humanæ officia propria naturæ, quorum defectus naturæ munera prodita arguat. Neque verò diuinam gratiam, qua humana adiuuatur & corroboratur virtus, cuiquam rectè agere volenti defuturam: nec quidquid fieri quod verè bonum appellandum sit, quod ex diuini subsidij & auxilij munere ac dono effectū non debeat agnosci. Quo quidem nomine Philosophi in primis, & multi ex Gentibus alij meritò accusati ac damnati sunt, qui dum honesta priuatorum ciuiliúmque morum præcepta non tradiderint solùm, verùm etiam non pauci, ex ipsis vitæ consuetudinisque exemplis, aliis hominibus probauerint; tamen, quia nec innati veneni, atque latentis peccatorum originis rationem habuerunt, nec sentientes doluerunt, atque hoc pacto diuinam misericordiā implorare neglexerunt: id præterea quod rectè agerent, non Dei interiùs monstrantis atque iuuantis beneficio, sed suo ipsorum ingenio, consilio, studio, & inuento tribuerunt, atque hoc pacto sibi gloriolam aucupati, aliis pro sua ipsorum doctrina venditare studuerunt, in stultæ sapientiæ cæcas impeditissimasque tenebras præcipites dare, sese, diuino iudicio permissi, ad varias deinde errorum vias diuerterunt; ex quibus maxima doctrinarum, opinionum, fabularum, & factionum, tandémque diuersa ac fœdissima flagitiorum monstra in terrarum orbe extiterunt.

De

# De propagatione humani generis, & morum atque doctrinæ corruptela.

## CAPVT V.

EX *duobus primis Adami filiis duæ familiæ veteres, & præcipuè illustres, primùm distinctæ sunt; ad quas cæterarum omnium gentium, quæ deinde ortæ fuere, census & studia referebantur. Altera Cainitarum, Sethitarum altera fuit. de illa priùs, quæ historiæ ratio postulat, enarrandum. Caini posteritas ad vrbium condendarum, splendorisq́ vitæ studium, atque ad potentiæ & gloriæ, omnisque terreni commodi ac vitæ delicias instituta, ea tantùm quærere, inuenire, curareq́ pergebat, quæ pro corrupti animi opinione, pulchra, & præclara, illustriaq́ duceret: atque ita terras latè occupare, ædificia quàm optima, amplissima, ornatissimaq́ exstruere, nouisq́ indies augere monumentis, adiunctisq́ deliciarum commoditatibus, perficere satagebat; & voluptatis, atq́ sanitatis membrorum, exteriorisq́ hominis curæ intenta, nulli rei parcebat, nulli non dabat operam, quæ ad valetudinem & elegantiam corporis, atq́ ad vitæ iucunditatem facere posset: atque repertarum artium vim facultatemq́ omnem ad hoc tantum iucunditatis, commoditatis, & securitatis, atque otij vsum referebat: materiam verò omnem & copiam, cùm fructuum, quos varios & elegantes terræ marisq́ recens & fœcunda natura suppeditaret; tum etiam animantium cæterarum, atque adeò hominum sibi inuicem vel vi, vel arte & industria cedentium, in huiusmodi libidinis & luxus opportunitatem vndique conquisitam consumebat: nihil interea diuinarum recordati rerum, nihil de morte cogitantes, nisi quantum ea ad properandam, nulloq́ temporis momento prætermittendam vitæ voluptatem excitare, & stimulos addere poterat: sed quòd diuturnior tunc vita esset, minima omniū de morte, deq́ vitæ exitu esse videbatur cogitatio, quæ si qua esset, ea tantùm senioribus incidebat, quorum oratio frequens illa vsurpabatur, quam nimirum exterioris hominis corrupta disciplina dictat, Comedamus & bibamus,* Esaiæ 22. *cras enim moriemur. Huiusmodi genus, factionemq́ gentis,* Filios hominum, *siue* Adam, *doctrina sacra appellat. Sethitarum verò domus principiò minùs frequens quidem illa altera priore esse (quamquam non rara tamen) atque longè diuerso, hoc est, austero more modoq́ viuere cœpit, vtpote quæ paternæ doctrinæ ac vitæ instituta capessens, primam diuinarum rerum, hoc est, pietatis rationem, humanarum verò, hoc est, terrenæ ac mortalis vitæ huius, vel nullam habendam esse duceret, vel postremam, eam videlicet quæ exulum, atque à propria patria extorrium, pœnitentiæq́ studiis addictorum conditionem deceret. Quamobrem vt pudicè, purè, atque innocenter id exsilij, quod concedebatur, tempus traduceret, vt minùs erga terrestre, miserum,*

*rum, calamitosum ærumnisq́ plenum æuum afficeretur, nihil de vrbibus construendis, nec de splendore vllo cogitabat, nec ad otium appetendum & quærendum animum intenderat; sed pascendis alendísque pecoribus præsertim, atque frugibus colendis operam nauans, ea quæ ad pauperis & parci victus & cultus vsum satis erant, labore atque industria sibi comparabat, in casulis tentoriisq́ agens, quibus temporū importunitates iniuriasq́ frangeret magis & minueret, quàm vitaret prorsus, de migratione commutationeq́ vitæ semper, de humanarum rerum in terris duratione nunquam cogitans, patriam porrò aliam frequenti commemoratione recolens, in quam diuino beneficio se traducendos crederent & sperarent. Hæc verò humanæ gētis pars & respublica, his legibus & studiis ab altera disiunctißimè agens,* Filij Dei *nominantur: atque vtraque eodem communicans verbo* BEN, *(quod constructionem ædificationemq́ significat) adiunctis, separatur studij & consilij, atque adeò actionis nominibus* BENEI ADAM, BENEI ELOHIM, *ædificantium, siue instruentium Adæ vitam & mores, ædificantium Dei iusti iudicis, & prouidentis, atque gubernatoris cognitionem, rationem, & cultum: atque his duobus collegiis dissectus, terrarum orbis colentes, amantésque sui, vel contra negligentes, & exsilium transigentes hominum societates totis ferè mille & quadraginta tribus annis produxit: nam totidem à Setho vsque ad Noahhi numerantur ortum. Atque in Sethi posteritate quinctus Henoch, qui septimus ab Adamo recensetur, tum præclaro pietatis exemplo illustrißimus vixit, tum sanctißimo exitu à mortalium conspectu & consortio sublatus, corporis huius terreni resurrectionem, alteramq́ à morte alienam vitam testatus est. Atque ita bonorum finis, & felicißimi euentus doctrinam, certißimo sortis conditionisq́ suæ argumento comprobauit. Namque is æternæ salutis fide instructus, morum vitæq́ ratione eam iniuit, vt trecentum sexaginta annorum tempus spectatum atque gratum sui Deo atque superis omnibus dederit spectaculum. Quamobrem laborum atq́ exercitationum donatus rude, viuens & sentiens raptus in meliorem æternæq́ quieti secretum locum emigrauit.* Et ambulauit Henoch cum Deo:

Genesis. 5. & vixit Henoch postquam genuit Mathusalam, trecentis annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni. Ambulauitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus. *Qui vel hoc vno exemplo se humanæ vitæ spectatorem, arbitrum, atque bonorum adiutorem & promotorem, ac demum iudicem repensoremq́ antiquis etiam seculis declarauit. S. S. E. Henoch placuit Deo, &*

Eccli. 44. *translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam. &, Fide Henoch*

Hebr. 11. *translatus est, ne videret mortē, & non inueniebatur: quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo, sine fide autem impoßibile est placere. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Ex Hanocho autem Mathusalam ortus est, qui paternæ disciplinæ rationem tenens, & familiares domesticos*

*ſticos, atque cæteros pietatis virtutisq́; veræ cultores docuit, & Lamecho ex liberis ſuis natu maximo ad poſteritatem propagandam tradidit. Lamechum verò & patrem imitatus & præceptorem Noahhus integram intaminatámque vitæ, quo ad mortali præſtari potuit, ſanctimoniam inter peßimos iam hominum animos, & corruptißimos priuatè ac publicè mores, longo quingentorum annorum ſpacio produxit, quo toto tempore nullos ſuſcepit liberos; Deo id prouidente, ne numeroſior iuſti ac ſancti viri proles difficiliùs in officio contenta, torrenti ac rapido ſcelerum, quo totus orbis flagrabat, æſtu & incendio corriperetur. Meminiſſe autem, ac ſæpiùs etiam recoluiſſe oportet, duo illa humanæ labis antiqua elementa, ex quibus malum omne in genus hominum inuectum creuit, videlicet infuſi in mortalium naturam veneni, quod feminæ primùm largiùs hauſtum inhæſit, atque in filios omnes propagatum fuit; deinde etiam Serpentis illius antiqui, qui occupatum in homines regnum non retinere modò, ſed omnibus viribus & artibus firmare ſibi, amplificareq́; ſtuduit. Quamquam verò vtraque pars quondam, hoc eſt, filij Dei & filij hominum, mente, ſtudiis, ac moribus diſtinguerentur; neutri tamen eam exuerant naturam, qua Adam, id eſt, homines dicebantur. Erant quippe omnes ex vno homine prognati, quamquam alteri Cainum, alteri Abelum, ſiue Sethum repræſentabant, vtrumque Adami, vti iam commemorauimus, filium, vtrumque hominem, ſed hunc interioris, exterioris illum hominis ingenium referentem; neutrum veneni expertem priſci, alterum verò interni mali vim grauiùs ſentientem, curariq́; cupientem, alterum id leuiùs curantem, externæq́; portioni indulgentem plus nimio. Sed quoniam proborū cum improbis commercia, conſuetudines, commutationesq́; rerum interceſſerant, euenit vt ij qui ſimpliciores atque ruſticioris aſperiorisq́; vitæ erant, externo aliorum ſplendore, atque cultu, & ornamentis primùm, cùm priuatis tum publicis illecti, deinde ſermone perſuaſi, potiorem, hilariorem, atque naturæ hominum magis amicam & iucundam partem ducerent, imitarique occiperent, eandemq́; ſuauiorem pro tempore experti, atque laborioſam minùs iudicantes (vt ingenium hominum à labore ad libidinem procliue eſt) ſeriò porrò capeſſerent, & communicatis coniunctiſque vtriuſque partis conſiliis, ij qui probi antea fuerant, atque ijdem rariores, à frequentiſsima improborum turba in fraudem deducerentur, vitiúmq́; conciperet nihilo minùs, quàm aliorum fuerat, fœdum. Hoc verò malum mulierum occaſione, arte, illecebriſq́; in ſimpliciorum partem peruaſit. Nam cùm Cainitarum feminæ & propter vitæ delicias, & propter formæ ſtudium longè molliores, pulchriores, & honeſtiores, atque etiam decentiores viderentur iis qui ex horridioribus orti matribus; cum minùs cultis, minusq́; bellis virginibus ex domeſtica neceßitudine conuerſabantur, vbi aliorum puellas longè in ſpeciem pulchriores mirari primùm cœpiſſent, deinde laſciuis artibus, ac blandis & cultioribus alloquiis, verborumq́; lenocinis intentas & exercitatas ſpectare pergerent, aſſuetudine quotidiana, & conſuetudine oculorum, animos quoque ad illarum*

N 2 *proban-*

*probandos mores, expetendáque coniugia assueuerunt, atque ita proborum factio non virtuti, nec telis, sed sæuiori armis improborum luxuriæ succubuit, cùm præsertim nec his oratio deesset qua partes defenderentur ac præferrentur suæ; nec illis causæ & argumenta deficerent, quibus tantam status conditionisq́; suæ mutationem colorari posse existimaretur; siue quòd ad omnem rerum partem, etiam ad pietatem colendam & amplificandā ciuilis frequentia, & communior societas hominum longè melior quàm illa palantum raritas, & rustica singularum familiarum loco, & situ, atque habitu dissitarum disciplina, siue etiam quòd ad vitæ huius mortalis commoditatem, securitatem, & iucunditatem, quo frequentior ac densior hominum respublica esset, eo crederetur beatior. id quod vel vna mulierum forma, gratia, valetudo, atque adeò species ipsa, omni ex parte decēs, comprobaret. Quòd si minori atque molliori sexui tantum ad suauiter agendum opportunitatis vitæ illi communis, & societas atque coniunctio præstabat, par fuerat opinari & sperare longè meliùs actum iri cum viris ab agro & silua ad vrbes migrantibus, & ciuilem colentibus vitam, eodem legum instituto vsuris, & communi consensu, consilio, & studio, mutuaq́; opera sese tutaturis. Itaque vt primus homo ad imaginem Dei effictus, feminæ suasu scelus ac nefas suscepit; sic originalis illius mundi viri, qui bonis aliàs disciplinis imbuti fuerant, mulierum occasione & sese, & orbem corruperunt ac perdiderunt. Quæ quidē peruersitas, peruersitatisq́; causa, omnibus postea seculis ac temporibus durauit, hodieq́; exstat: siue enim publicè, siue priuatè hominum studia corrumpantur, id propter feminam accidit, interdum propter externam quampiam, semper verò propter internam illam, de qua nobis arcanus ab initio factus est sermo. Et vidit mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum,*

Genesis 3. » *& pulchrū oculis, aspectuq́; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit;*
» *deditq́; viro suo, qui comedit. Vna autem mulier tantum potuit efficere, vt ad sensus, opinionis, atq́; mentis suæ obsequium virum aliàs sapientem fortemq́; inflecteret: quare non mirum est, si plures hominum filiæ corruptæ sententiæ, consuetudinis, atque societatis suæ leges iis qui probi rudioresque malorum antea fuerant, persuaserint. Primùm enim suam necessitudinem, aliarum rusticarum, quamuis honestiorum consuetudini & familiaritati anteferendam probarunt; deinde verò cætera omnia, quibus ipsæ addictæ erant, consilia, iudicia, arbitria, atque adeò artes & opera laudanda, suscipienda, & promouenda tradiderunt.* Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent: videntes filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant. *Nec verò consilium istud quod iis, qui filij Dei antea vocabantur, paulatim allectis, ac demum corruptis, placuerat, illis aliquo pacto displicuit, qui filij hominum dicebantur, & erant: cùm, quia perditorum animi, quamquam vitium perpetuò vrgeant & foueant, piorum mores, quos aliàs oderunt & auersantur, tamen verentur & formidant, suaq́; turpitudinem*

*dinem vitæ cùm admoto alienæ virtutis exemplo componi grauiter ferunt, tum verò sociorum & imitatorum in ea re frequentia vehementer gaudent; vt qui vitæ suæ formam certa & honesta ratione probare non possunt, suffragiorum numero, & studio, ac turba, densaq; fauentium phalange tueantur & defendant. Neque verò negotium hoc tam viribus & potentia, quàm blandimentis, dissimulationibus, hospitiorũ copia, inuitationibus, ac demum licentia conficitur. Hoc enim aliquando peruidens turpitudinis magister, impietatisq; author magus quidam Balaamus, ad peruertendam populi Dei disciplinam, sanctitatemq; contaminandam, studiosè agendum iis à quibus consultus aduocatusq; fuerat, callidè persuasit: quod proculdubio ex animi sententia eueniret, nisi tempestiua Dei castigatio, & optimorum ministrorum intercessio præscinderet. S.S.E. Morabatur eo tempore Israel in Setin,* Num.25.
*& fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua: at illi comederunt, & adorauerunt deos earum; initiatusq; est Israel Beel-phegor. Et iratus Dominus ait ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel. Magnam autem licentiam filiis Dei ab hominum filiis permissam fuisse oportet: & id quod aliàs turpe & probrosum duci debuerat, è republicæ vsu, & consuetudinis opportunitate non tantùm admissum, sed etiam celebratum, & studiosè optatum, atque adeò curatum; quando iis, nulla excepta conditione, quicquid collibuisset, in propriis filiabus deligendi libera concessa fuerit potestas pro singulorum libidine & arbitrio in puellarum accipiendarum numero, genere, loco, & ordine.* Ex omnibus quas elegerant. *Namque hoc pacto, & communi consensu, eandem vitæ & studiorum legem subituros, alterius partis viros omneis, in eandemq; demum concessuros turbam speratum est: atque ita consulentibus hominum filiis, & horum filiabus, nec non & vxoribus filias ad libidinis artem omnem instruentibus, puellis autem ipsis magistrarum dictata non ruditer nec segniter peragẽtibus; Dei qui vocabantur filij, simplicior, inquam, & rusticior virorum pars, qui pietatis antea studiis dediti fuerant, corruptelarum illecebris deliniti & irretiti, non tantùm ipsi vitio eneruati ac fracti succubuerunt, sed longè se nequiore progenie procreata, atque sobole, terrarũ orbem flagitiis alterius partis contaminatum, homicidiorum & omnium scelerum illuuie prorsus cooperuerunt. Siquidem hi vxorum proteruæ voluntati nimium addicti, cùm iam patres euaderent, liberorum educationem omnem permittebãt: quæ cùm se à viris suis domesticam disciplinam doceri non paterentur, filios paternæ reuerentiæ expertes, maternæq; libidinis & insolentiæ imitatores, altera ex parte fortes, id est, paterno communicantes robore, altera verò impotenti licentia effrenatos, & muliebris ambitionis & cupidinis opinionibus atque exemplis imbutos produxerunt. His porrò crescentibus & valentibus, ius & fas omne de terris deleri primùm cœptum est; deinde iniuriarum, flagitiorum, atque scelerum genere omni admisso, & per orbem grassato, ferarum,*

*armentorûmque ritu nullum non tentatum facinus, & peractum, quod modò alterius vis & potentia non compesceret. id verò vt alij ab aliis minùs obstaturum timerent, & connubia, & familiarum affinitatumq́ coniunctiones, curatum est: ita vt qui ex amicitiis huiusmodi maiorem pararet opulentiam, is opulentissimus fortunatissimusq́ haberetur, & ciuilium, domesticarum, publicarum, priuatarumq́ rerum partem sibi opportunam occupare, rapere, vsurpareq́ nullo vindice posset.* Gigantes autem erant super terram in diebus illis Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illique genuerunt, isti sunt potentes à seculo viri famosi. *Qui potentia, temeritate, atque audacia nihil ex ratione ac iure agerent, sed omnia ex voluntate & facultate metirentur & statuerent, atque nihil non sibi licere felicissimum ducerent, tum aliorum qui non adeò valerent rebus, operis, & laboribus, atque etiam animis corporibusq́ abuti, liberale & regium esse putarent; hos potentes à seculo, siue ab antiquo, fama celebrauit, & Gigantum cognomento fabulæ commemorauerunt: & quoniam religionem, pietatem, reuerentiam, atque metum Dei omnem abiecerant, & piorum modestiorumq́ domus collegiaq́ omnia vel in suas partes traduxerant, vel disturbata dissipauerant prorsus (vnius viri mente domoq́ excepta) Deos de cælo deijcere conatos, priscorum sapientia finxit. Vtrumque verò malum, hoc est, istorum impotentem effrenatamq́ licentiam, & parentum, ex quibus isti procreati fuerunt, temeritatem ex illo primæ hominū vitiositatis fonte emanasse, operæpretium fuerit animaduertere. Eritis sicut dij, scientes bonū &*

Genesis 3. » *malum. Et videns mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pul-*
» *chrum oculis, aspectúque delectabile, tulit de fructu illius, & comedit, dedit-*
» *que viro suo, qui comedit: ita vt duo illa errorum, peccatorum, ac flagitiorum omnium elementa semper cauenda notentur, summi appetitio loci, & propria vniuscuiusque electio & optio.* Videntes filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant: *ita malorum omnium caput propriæ electionis audacia esse deprehensum est.*

*Omnis igitur illa ætas, qua Noahhus natus adoleuit, & vir etiam factus, ad quingentesimum vitæ peruenit annum, corruptissimis iam hominum moribus, & longè etiam peioribus quàm antea viuebatur, in qua voluptatum & deliciarum publica atque priuata studia & artes omnes consumebantur, nec iuris aut æquitatis vlla ducebatur habebaturq́ ratio, sed opibus atque potentia metiri res omnes vnica omnium sententia ac doctrina erat, isq́ maximè laudabatur, qui multum posset: quamobrem in coniungendis familiis, affinibúsque ad similia studia, & ad mutua auxilia, ad nominis & generis celebritatem comparandis, votorū summa statuebatur.*

Matth. 24. *Erant, ait Verbum Dei,*
» *homines comedentes & bibentes, nubentes & nuptui dantes. Quoniam verò tanta voluptatum licentia, tanta opum & potentiæ magnificentia, sine multa atque assidua impensa diutius produci durareq́ nequit, nec sine otio huiusmodi vita suauis habetur; euenit, vt qui potentissimi essent, eorum, qui mini-*

*minus opibus & viribus valerent, labores ac res cùm familiares, tum communes appeterent, appetitas inuaderent, & vi, bello, homicidiis, fraudibus, atque insidiis occuparent; & ij qui his vel parebant, vel obsequebantur, vel inuiti etiam cedebant, inferiores etiam ac pauperiores oppressos exspoliarēt, vel circumuentos exhaurirent; humillimi verò & inopes ad consulendum sibi, potentiorumq́ rapacitati suppeditandam materiam, nullam commodiorem, quàm per furta, fraudes, latrocinia, mendaciáque reperiri, fieriq́ posse, viam arbitrarentur; atque ita vel apertè ac palàm, vel obscuriùs, & ex insidiis nemo hominum erat qui vitæ compendium iniuria & fraude sibi positum, non definiret, nemo qui violentiam improbare auderet, sed iam quàm maximè nocere ac lædere posse maximum inter homines bonum, & illustri præconio ac monumento dignißimum prædicaret. Ita enim vsu comparatum videmus, vt creata semel in vrbibus otiosisq́ familiis luxuries auaritiā pariat, ex auaritia verò audacia exoriatur, audacia nihil sibi non licere velit, nihil à se admissum non probari, magnificumq́ haberi patiatur. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Eò demum improbitatis ac peruersitatis humanum genus, publici hostis studio & operâ, & sua ipsius malitia traductum est, vt nihil omnino non antiqui modò illius ad imaginem & similitudinem Dei creati hominis, verùm nihil prorsus Adami ad pœnitentiam à Deo religati & addicti retinere deprehensus fuerit; neque solùm in factis atque exercitationibus, sed in actionibus, studiis, consiliis, opinionibus, ac sententiis quicquam obseruabatur, quod humani, hoc est, ratione vtentis ingenij probaret exemplum.* Videns autem Deus quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra. *Perditißimam & profligatißimam omnium hominum vitam dissolutas, & vsque ad pernitiem effrenatas mentes, nihilq́ prorsus humanum sapientes, prima horum versuum describit pars, neque verò id ab ipsis hominibus animaduersum, sed Dei iudicio notatum indicat.* Videns autem Deus; *quem & singulorum hominum iudicem ac vindicem, Abelis & Caini fratrum historia tradiderat, & totius orbis vnicum arbitrum, iudicem, & curatorem ætas hæc declarauit, ita tamen in iudicando seuerum, vt à propria benignitate & beneficentia, atq́ voluntate propositóque erga naturæ humanæ salutem iustitiæ integritas non dimoueat: quippe cuius consilium de homine amplificando; tametsi non ad omnes homines ob ipsorum noxam pertineat, tamen nec Luciferi opera, nec vlla alia vel vis, vel fraus, quo minùs perficiatur, impedire poßit. Qua igitur Deus iudicem se mundo præbuit, publicum malum publico supplicio decreuit vlcisci; qua verò misericordem benignumq́ Patrem semper agit, perire partem eorum doluit,*

1 Tim. 6.

quos

*quos non ad interitum, ſed ad vitam, ad ſalutem, ad felicitatis æternæ com-*
*municationem factos oportuit. Id verò etiam vt aduerſum peccatores &*
*flagitioſos optatum & curatum cognoſceretur publicè, centum ac viginti an-*
*norum cunctationem Miſericordia à Iuſtitia Dei impetrauit; quo longo ſpa-*
*tio & interuallo à ferenda & pronuncianda ſententia interiecto, & iudi-*
*cium hominibus prædiceretur; & pœnitentia, quæ fidē comitata ignoſcendi*
*veniam petere & accipere ſolet, ediceretur & imperaretur. Pœnituiſſe au-*
*tem Deum quòd feciſſet hominem, ſermone Romano legimus, atque ita eo-*
*dem ſenſu hoc loco accipimus, quem verbum ipſum germano ac puro ſigni-*
*cato efficit; nimirum cogitaſſe Deum, ſe, Spiritumq́ ſuū ab hominibus ſub-*
*ducere, quos tanto hoſpite, conſeruatore, & fautore, atq; adeò inhabitatore,*
*indignos ſeſe reddidiſſe conſtaret: prorſus enim alienam tanta maieſtate, pu-*
*ritate, & ſanctitate tam impuram contaminatamq́ ſedem eſſe, quippe cùm*
*carni nihil cum ſpiritu commune intercedat: hominem autem præcipuè ſpi-*
*ritualem, ad imaginem & ſimilitudinem Dei factum & informatum, ad*
*carnis tantum imaginem degeneraſſe, vt nihil nec agendo, nec efficiendo niſi*
*carnem referre conſtaret, idem eſſe atque Deum à ſe abdicare voluiſſe, ac*
*ſtuduiſſe: in carne autem, carnisq́ ſordibus & impuritate, Dei Spiritum re-*
*tineri, nec naturæ diuinæ conuenire, neque cum terrenæ carnis conditione*
*congruere. Paruum itaque prorſus, longeq́ infimum iudicatum Deo habita-*
*culum ſibi domicilium hominis quod in terra factum fuerat; illud verò ſibi*
*probari & optari, quod non in terra, ſed in ſpiritu, in cæleſti parte hominis*
*editum fuiſſet. Quod ſi ipſe ſibi homo comparare, atque diligenter & accu-*
*ratè reficere, & labore, virtute, ac pœnitentiæ ſtudio emundare pro viribus,*
*pro gratiæq́ dono procuraret; ſe libenter, atque ex propoſiti ſuſcepti, promiſſi-*
*que facti ratione, ſuſcepturum & ſubiturum, ſibiq́ eſſe conſecraturum. Id*
*verò vt hominibus, quorum agere intererat, ſedulo agereturr; longa tot anno-*
*rum mora & exſpectatione ante latam in iudicio ſententiam prædictum ac*
*declaratum, & aſsidua denunciatione admonendum eſſe: demum verò, niſi*
*reſipiſcentium fide ac pœnitentia, pietatisq́ ſtudio, malum publicum public-*
*procuraretur & expiaretur, iuſtitiæ eſſe cedendum. Antiquum namque*
*eſſe apud Deum miſericordiæ exercendæ atque oſtendendæ conſilium, cui ſi*
*propter peccandi contumaciam non relinquatur locus, proximam iudicij ſe-*
*ueritatem conſtare, quæ, quamquam lenta ac ſera, grauiſsima tamen pœna*
*vindicanda eſſent maleficia* Et tactus dolore cordis intrinſecus, Delebo,
inquit, hominem quem creaui, à facie terræ, ab homine vſque ad ani-
mantia, à reptili vſque ad volucres cæli: pœnitet enim me feciſſe eos.
*Ab inferenda ira adeò abhorrentem Deum intelleximus, vt adductum*
*etiam iuſtitiæ rationibus ad ſupplicium crimine & maleficiis minus ac le-*
*uius decernendum, animo doluiſſe vehemēter legamus, eo pacto quo dolorem*
*huiuſmodiq́ animi motus & affectiones numini naturâ immobili, & qui-*
*tiſsimo, ſibiq́ conſtantiſsimo tribuere humanus poteſt ſermo. Miſericordiam*
*vim*

videlicet maximam & propriam adscripturus. Namque vt summus quispiam peritissimusq; artifex opus à se affabre atque sapienter effictum & perfectum, si propter acceptum alicunde malum vitium perdendum ac dissipandum esse censeat, quamquam id ex artis sapientiaq; lege fieri oportere cognosceret, & positæ operæ iacturam, & operis iam editi corruptionem, & consequentem comminutionem aut exstinctionem grauiter ferret, inuitusq; ageret: quod misericordia, sapientia, virtusq; Dei à se factum gausa fuerat, (S. S. E. Adæ non inueniebatur similis. & Delectabar per singulos dies, & deliciæ meæ esse cum filiis hominum) nunc porrò propter operis culpam delendum iure esse, doluisse fertur. qua sermonis figura, misericordiæ magnitudo in Deo apertissimè commendatur, quem etiam iudicem agentem, eorum, quos ad pœnas damnarit, miseret. Suauis Dominus vniuersis, & misericordia eius super omnia opera eius. Delebo hominem, quem creaui, à facie terræ. Supplicij genus, & pro iudicij ratione conueniens, & pro malis meritis leue decretum à Deo est, qui cùm grauissimis cruciatibus adiicere singulos homines posset, idq; varia postularent maleficia, tamen aquarum inundatione totum hominum genus obruere, atque ita pollutum terrarum orbem lustrare & abluere decreuit, vt hoc pacto susceptæ corruptis hominum moribus & flagitiosa consuetudine maculæ è terræ facie delerentur, fœtida etiam exhalatio dissiparetur atque tolleretur. Est autem orationis huius à figulo desumpta translatio, qui formatum sibi ad honestos vsus vas, propter deprauatam formam, vitiumq; conceptum, effusa copiosiùs aqua delere, in lutumq; rursus redigere decreuerit. Iam verò peccati authori, ac mortis hominum principi Lucifero nihil reliquum videri poterat industriæ, fraudis, laboris, atque studij, suarumq; artium omniū, quod ad sui regni perpetuitatem, ad sapientiæ victoriam statuendam, adhibendum ponendumq; esset; quippe cui tantum agendo successisset, vt non solùm animus antea hominum æterna esset inuecta mors; sed omni iam mortalium generi, atq; adeò terris ipsis, terrarumq; frequentatoribus animantibus, quæ hominis causa fuerant edita, publicus etiam iudicio ac sententia Dei denunciatus & afferendus esset interitus. Atque ita ex iustitiæ diuinæ integritate sapientiam siue calliditatem suam Dei sapientia, vti semper putauerat, superiorem euasuram sperare potuit, & eventurum fortasse censuit; nisi vna in tanto argumentorum pro se, causáque sua facientium numero, quam diuina lex, veritas, atque iustitia exciperet, superesset solum toto orbe familia: quæ familia cùm pietatem coleret, & hominis naturam nomenq;, quatenus id præstari poterat, purius & integrius conseruaret, formæq; suæ rationem pro loco ac tempore, qualem ex natura atque ex disciplina acceperat, puram tueretur, publica illa iudicij sententia secerni, & à communi calamitate eripi, atq; cum laude etiam, & virtutis præconio ac præmio seruari debuit. Huius verò familiæ, quæ nouum instaurandis hominibus principium & quasi seminarium generis futurum erat, historiam integram diuinus Spiritus Vati suo

Genesis 2. Prou. 8.

Psal. 144.

*à virtutis & pietatis testimonio exordiendam dictauit.* Noë verò inuenit gratiam coram Domino [*propter conseruatum in tam turpibus & impiis ætatibus, pietatis virtutisq́ veræ exemplum.*] Hæ sunt generationes Noë. Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit. *Solus ex priscis Dei filiis ab illa publica turpitudinis ac scelerũ labe, propter melioris mentis atque vitæ perseuerantiam, liber ac purus, ideóque solus cum iis, quos charos habuit, quosq́ in disciplina pietatis continuerat, à publico orbi terrarum decreto supplicio incolumitatem habiturus.* Et genuit filios Sem, Cham, & Iaphet. Corrupta autem est terra coram Deo, & repleta est iniquitate. *Terræ nomine accipimus, terra fictos quondam homines, atque à diuinæ auræ particula illa, quam interiorem hominem appellari diximus, ad terræ fecem prorsus demissos atque degenerantes, quorum mentes primùm fœdis cupidinibus allectæ, & opinionibus prauis corruptæ, ad omnem sceleris, iniuriæq́ faciendæ licentiam sese dissoluerant, & vitam, sermonem, & mores à vera humanitatis ratione abalienauerant: neque verò id cuiusquã sensu atque iudicio improbabatur vel damnabatur, præterquam Noahhi vnius, qui quod in aliis, propter publicum in illa peruersitate consensum, reprehendere & corrigere non poterat, ipse sibi temperando & abstinendo, familiæq́ suæ præcipiendo, notare & cauere iubebat, non sine contemptione & risu aliorum, qui vni viro à communibus iudiciis dissidenti insultarent, vti stolido ac insipienti; vel etiam interdum diuersa ab ipsorum sententiis differenti & agenti minarentur. Neque enim iniuriarum impunitas publica sine publico consensu & plausu totis illis annis durare poterat. itaque cùm humano iudicio non modò non damnaretur viuendi in terris genus illud, quin potiùs magnificum & nobile, atque expetendum duceretur, genio, vti dicitur, indulgere, cuticulam curare, diuitiis ac deliciis affluere, affinitatibus opes augere & firmare, nomenq́ hæc omnia laudabile iam sumpsissent; vnicum supererat Dei iudicium integrum atque seuerum, cuius damnarentur sententia. idq́ Vates factum indicans exposuit,* Coram Deo. *Nam coram hominibus nunquam nitidiùs atque elegantiùs humana vita habuisse putabatur. Iniquitatem hoc loco iniuriam publicam definimus, quam nullæ iam leges vindicent, imò communis sensus & mos tueantur & promoueant, atque etiam interdũ honestis nominibus impositis commendent. Hoc enim verbum illud,* HHAMAZZ, *significat, cuius ea vis est, vt, cùm planè ac plenè constiterit, diuinam iram certißimè prouocet, & ad vltionem quamprimum parandam irritet: de qua ratione omni in Commentariis Prophetarum longiùs disserebamus.*

חמס

Amos 1.

Cumq́ue vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) [*ita vt nemo homo in terris ageret, qui opinione, iudicio, consilio, studiis & actionibus, ac rerum, quæ in terra gignuntur & inueniuntur, abusu, humanitatis aliquem probaret sensum, sed omnia ex libidine agerentur, & per iniuriam vsurparentur*] dixit ad

Noë:

Noë: Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. *Carnem appellabat appellatq́ Deus homines inferiori sui portioni, hoc est, feminea, indulgentes, spiritualisq́ negligẽtes partis; quos non solùm in se corruptos, verùm & brutis peiores euasisse testatur. Siquidem bruta omnia à mutua sui generis cæde plerumque abstinent, nec in tantam sæuitiam atq́ homines inter se rapiuntur, nec nisi paucis de causis rixantur, quamquam ab honestatis iure & sensu aliena effecta sint: demum singula horum genera suas custodiunt & seruant vias: vnam verò hominum naturam & communibus & singularibus moribus via sua, viuendiq́ forma terram infecisse & corrupisse, oculísque suis inuisam & odiosam reddidisse Deus ait. Igitur exspectatam vltra centum annos pœnitentiam, nec tamen vel ex naturæ accusantis, vel ex Dei interiùs monentis & comminati vocibus, nec ex Noë præconio & vitæ exemplo optatam & initam, quemadmodum Deus non verbis tantùm, sed rebus ante oculos positis, vrgens indiceret atque negligentibus instantem punitionem denunciaret, rationem instituti, opusq́ Noahho imperauit faciendum, quo & hæc agerentur, & illius prospiceretur incolumitati, qui solus fidem & pietatem conseruauerat, ac præterea imago statueretur, monumentumq́ fieret publica olim animorum salutis per Dei Verbum post seculorum finem orbi afferendæ, & alterius etiam mortis humanæ carni inferendæ, in qua Spiritum diuinum numquam habitaturum esse certum erat.*

*Salutis itaque illius & perfugium, & præsidium, arcam quandam esse Deus voluit, quæ certis modis atq́ partibus præscripta mortui hominis corpus proportione repræsentaret: de cuius ratione, opere, & vsu, in sacro Apparatu agebamus; de arcana verò significatione, in Petri Epistolam elucidationes conscripsimus. Omne itaque tempus id, quo fabricabatur arca, instantis iam orbi scelerum pœnæ, atq́ interualli ad pœnitentiam aucti, testimonium tulit; fidemq́ viri in illo opere seriò ac diligenter occupati, suamq́ sperantis, & aliorum cupientis salutem declarauit. Atque hoc pacto nullam ætatem voluntatis, doctrinæ, atque disciplinæ diuinæ Vate caruisse obseruauimus, ab eo tempore, quo, moribus hominum degenerantibus, continuata serie Vates Præconesq́ exstitere Enos, Cainan, Malael, Iared, Henoch, Mathusalaim, Lamech, & Noahhus, quẽ iustitiæ præconem Petrus Apostolus appellat. Noë inuentus est perfectus, iustus; & in tẽpore iracundiæ factus est reconciliatio.* Lib. Noah. 2 Petri 2. Eccli. 44.

*Demum perfecta arca, quæ in publica orbis expiatione ac scelerum supplicio fidelibus ac piis excipiendis atque seruandis instituta fuerat, peractóque iam longæ exspectationis & patientiæ Dei tempore, videlicet annorum centum & viginti à prima denunciatione; Deus ipse iustitiæ suæ legibus & institutis constans, & misericordiæ proposita erga hominum genus perpetuò tenax, & piorum qui supererant, quamquam paucis, id est, octo capitibus tantùm, & instaurandæ orbis terrarum habitationi, generisq́ propagandi seminario, vno atque eodem prospexit consilio, inductis & conclusis intra*

*ligneum carcerem cum vxore & liberis & nuribus Noahbo, animantiúmque cæterarum, quæ in terris gigni ac viuere natura voluit, eo numero coacto, qui ad sufficiendam sobolem, atque ad faciendum post libertatem gratulationis sacrificium satis foret.* Ecce ego adducam aquas diluuij super omnem terram, vt interficiam omnem carnem in qua spiritus vitæ est subter cælum, & vniuersa quæ in terra sunt, consumentur. Ponamque fœdus meum tecum. *Quo oraculo & se iustum iudicem, quamquam patientem & exspectatorem priùs, in improbos omneis esse; & in iudicio exercendo, de probis & innocentibus tuendis cura attingi, & in antiquo misericordiæ in hominum gentem proposito susceptoq́; consilio permanere declarauit: idq́; per Noahbum, Noahbiq́; posteritatem firmandum, & expediendum, perficiendumq́; pollicitus est, simul etiam & iussum siue præceptum ad viri exercendam obedientiam addidit:* Ponamque fœdus meum tecum: & ingredieris in arcam tu & filij tui, & vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum. *Hoc enim pacto & fidei & obsequij viri illius periculum faciendum, ac misericordiæ veritatisq́; diuinæ ratio explicanda fuit.*

Psal. 59. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui. Salutem autem illam, quæ futuræ arcanæ redemptionis imago etiam erat, omni hominum generi diuino beneficio communem esse Deus voluit, hoc est, iis qui ante allatum orbi expiationis supplicium fuerant, & iis qui in ipso expiationis tempore essent, & iis etiam qui postea superstites forent, atque horum quoque posteris. Hominum autem qui verè homines dici appellariq́; Deo indice & nomenclatore deberent, tantùm octo illi exstabãt, qui in sanctorum disciplina, & in filiorum Dei collegio perstiterant, hoc est, octo animæ à Noahbo educatæ & institutæ. hæc humani generis Ecclesia digna fuit, hæc & ante diluuium, & in diluuio, & post diluuium viguit; atque adeò vna hæc ex Setho deducta & prognata familia humanum genus repræsentabat: ex qua, vt ex primo quondam Adamo mortalium soboles omnes propagatæ fuerant, posteritatem etiam omnem, atque in varias familias diducendam hominum gentem sufficere, diuina prouidentia decreuerat. itaq; non vnum tantùm caput, sed integrum, eisdemq́; studiis deditum collegium; non singula seorsum, sed omnia sensu consensuq́; vno atque eodem fidei & obsequij periculo comprobata, in eandemq́; arcam conclusa, seruanda susceperat Deus.* Ingredieris in arcam tu, & filij tui, & vxor tua, & vxores

Psal. 132. filiorum tuorum tecum. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum, hoc est,* tecum. *Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem & vitam vsque in seculum. Cæteros verò totius orbis incolas mortales omnes vno terræ siue carnis nomine Deus notauit; quippe quorum sensus affectusq́; omnes in carnis tantùm, hoc est, exterioris hominis, ac femineæ portionis, eiusdémque contaminatissimæ, vitium degenerassent.* Cumque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam) ait: Ecce ego adducam aquas diluuij super terram,

ram, vt interficiam omnem carnem. *Quæ verò natura, qualis vita, qualiaq́ studia carnis nomine arguantur, Paulus luculenter notauit: Manifesta, inquit, sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem spiritus sunt, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Hæc verò posteriora adeò cum prioribus pugnant, vt vna esse, vel commisceri atque seruari non possint. id quod Deum prædixisse antea referebamus: Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Noahhi verò iusti atque innocentis viri fides multis modis examinata probatur: tum quòd certam ac decretam de orbe aquis obruendo sententiam credidit, & promissam sibi salutem optauit, atque obsequio adhibito capessiuit, eodem quo ingredi iussus est die arcam subiens, cum familia domoq́ sua; quamquam nullum vel cæli color, vel aëris tempestas, vel temporis hora futuri imbris minitarentur aut portenderent indicium; tum etiam quòd quamquam arctum, & angustum, atque etiam mæstum pro humani sensus infirmitudine sibi suisq́ carcerem illum futurum præuidebat, & mortis imaginem se subiturum meditabatur, præstare tamen idem hoc intelligebat, & ferendum potiùs atque optandum arbitrabatur, quàm in diluuij aquis perpetuò dissolui ac deleri, præsertim cùm laborem illum, pro successuræ vitæ ac libertatis tempore, duratione atque lætitia breuem fore ipsa fide sperare doctus fuisset, vel ex eo vno argumento, quòd sibi, animantiumq́ vnà coactorum generibus ac multitudini omni tantum cibi, alimentorum, & pabuli comparare iubebatur, quantum animantibus vacuus in illa certis modulis ac spaciis definita arca locus, qui supererat, caperet, quantumq́ ipsa varia alimentorum natura intra aquas, aëreq́ non libero durare vtilis posset, quod anni aut ad summum sesquianni tempus esse videbatur. Verùm enimuero illud in præcipua fidei laude ponitur, quòd illud arcani propositi de hominũ genere seruando instaurandòque cum Adamo quondam primum pactum fœdus secum redintegrandum audiens crediderat. Quamobrem comparatis curatisq́ iis omnibus rebus, quæcumque expedire imperatus fuerat, nihil omnino cunctatus, totum se vocantis atque iubentis Dei verbis permisit ac tradidit.* Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te enim vidi iustum coram me in generatione hac. Fecit ergo Noë omnia quæ mandauerat ei Dominus. *Atque hoc modo constantem ac diuturnam fidem, & longo tempore spectatam pietatem, & graue virtutis propositum probauit: non qui vno aut altero vel die, vel mense, vel anno specimen dedisset sui, & à cæteris mortalibus alienum instituisset vitæ iter; sed qui totis sexcentis annis contra omne aliorum consilium & exemplum religione, probitate, & morum integritate perpetua perseuerasset incorruptus, & iudiciũ Dei, quod*

Galat. 5.

publicè contemptum videbat, & metueret, obseruaretq́ ipse, & suis, vxori,
liberis, ac nuribus obseruandum prædicaret, interímque irrisiones omnium
aliorum ferret, quos ipse pietatis doctrina instruere satagebat, nihil omnino
metuentes, & patientia Dei, quam ad pœnitentiæ exspectationem referebat,
abusos; vt qui vel illam viuendi formam, quam ipsi publicè seruarent, supe-
ris gratam, vel non inuisam, vel, vt ex temporum & seculorum interuallis
arguere videbantur, neglectam prorsus putarent. Hæc omnia illa significan-
tur ætatis adnotatione: Eratque sexcentorum annorum quando diluuij
aquæ inundauerunt super terram. Quibus omnibus in virtutis veræ stu-
dia incubuerat; & de pietate, vitæ innocentia, probitate, atque de prouiden-
tia iustitiaq́ Dei disseruerat & egerat, non doctrina ac sermone tantùm, sed
moribus iustis, integris, religiosis, timidis, iniuriarum perferentibus, dom
atque foris perpetuò constantibus. Huic igitur viro firma illa ac viua fide
certam salutis reddidit spem, cæteris verò omnibus contemptio fiduciaq́ su
audaciam atque insolentiam auxit; atque hæc demum iudicij Dei maturau-
re exemplum. Ingressus est Noë, & filij eius, & vxores filiorum eius cum
eo in arcam, propter aquas diluuij. quas ille certas fore, & illo in ligno
tantùm sese euasurum credebat, nusquam aliàs tutum futurum, aut incolu-
mem saluumq́ duraturum, quod etiam iis, à quibus causam rogaretur, &
antea dum fabricaretur arca, & eo etiam tempore quo adibatur, prædicens,
obtestatus est. Namque hoc ipsa causæ expositione indicatur, Propter aqua
diluuij. Nec verò hactenus tantùm misericordia patientiaq́ diuina, &
Noahhi fides & pertinacia, atque hominum aliorum publica & importuna
contumacia spectatæ sunt, sed ab hac etiam luce septem diebus continuis, ad
vsque ipsum inundationis inferendæ articulum, quibus & ille arcam fre-
quentatus cum domo sua iam mæstus ac tristis aliorum miserabatur inter-
itum, & isti cachinnis atque irrisionibus, clamoribus & sibilis sapientiam,
prudentiam, fidemq́ senis, fatuitatem dictitantes, consectabantur & expl-
debant. Cumque transissent septem dies, aquę diluuij [illi formidatæ at-
que vitatæ, istis irrisæ & contemptæ] inundauerunt super terram. Septe-
hos dies, ab eo quo primùm Noahhus cum suis victum & pabulum infer-
cœpit, ad eum quo coactis in arcam animantium omnium generibus, ipse de-
mum nihil de cætero exteriùs acturus, cum tota familia commigrauit. In ar-
ticulo diei illius ingressus est Noë, & Sem, & Cham, & Iaphet fil-
eius; & vxor illius, & vxores filiorum eius cum eis in arcam, ipsi
omne animal secundùm genus suum: & inclusit eum Dominus de
foris. Nam tametsi quispiam alius alia ratione aut intra domum quam
firmissimam, vel intra paratum aut fortè oblatum nauigiū, aut quouis com-
mento atque inuento remedio vel præsidio, salutem sibi consulere studuisse
frustra tamen omne aliud peteretur ac tentaretur perfugium, superioru a
que inferiorum natura omni rerum ad Dei voluntatem & efficacitat
redacta. Quippe in vna tantùm arca à Deo instituta ac dicata, eademq́

*ipso Deo exterius conclusa & obserata, seruari oportuit, quemcumque suæ salutis vera cogitatio curaq; ageret. Vt enim diluuij iudicium vnius Dei authoritate exercebatur; ita etiam seruandorum exceptio, iustitia, prouidentia, ac misericordia, efficientiaq; Dei constituenda fuit. Atque hoc pacto interitus, & vitæ arcana ratio omnis, quæ illa figura significabatur, ad vnicum authorem Deum referenda fuerat. Quippe illam originalis mundi causam, rationem, iudicationémque omnem cunctis partibus & exemplis publicæ olim salutis hominum Verbo virtutéque Dei efficiendæ mysterium signúmque fuisse expressum, D. Petrus declarauit.* 1 Pet. 4.

*Excepta autem & procurata familia Noahbi, quem vnum Deus iustum in toto terrarum orbe sibi repertũ nominauerat, perpetuis quadraginta dierum imbribus cælo demissis, & eluuionibus è mari atque ex abysso erumpentibus, terra omnis inundata & obruta vsque adeò fuit, vt editissimos etiam totius orbis montes altiùs demersos aqua occultauerit; eáque res argumento fuerit certissimo, nullam esse posse in toto terrarum orbe potentiã, nullas opes, nullam quamuis superbissimam arrogantiam, quam diuinæ iræ atque iustitiæ vis non opprimat, subitoq; exstinguat ac deleat; nullam porrò industriam, artem, calliditatem, aut facultatem idoneam esse ad diuinum iudicium euadendum, neque vllam vitæ, salutis, libertatisq; opportunitatem, aut viam, nisi quam Deus ipse munierit & parauerit. Vero namque simillimum est, crescente atque exuperante inundatione, alios alia quæsiisse, vel ad latendum, vel ad enatandum, vel ad innatandum remedia; cuiusmodi multa in mari atque terra, in lacubus & fluminibus, paludibusq; reperta quõdam fuere, hodieq; reperire vsus cogit ac docet. Verùm illa tempestate, præter vnicam arcam, Dei consilio, instituto, decreto, & artificio comparatam, nihil præterea exstitit, quod vel imbrium vim ferre, vel inundationis impetum frangere, vel vndis & fluctibus superesse atque innatare valeret: nec verò intra aquas ipsas, quouis loco conclusas, auram ad animantum respirationes commodas reperire fuit, penetrante atque dissipante compagem omnem, immo & corpora ipsa lignorum & vasorum vehemente humoris vi, vtpote qui & cataractas cæli & terrarum abditos angustos meatus iam disruptos peruaserat.* Factumque est diluuium quadraginta diebus super terram: & multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra. Vehementer enim inundauerunt, & omnia repleuerunt in superficie terræ: porrò arca ferebatur super aquas. Et aquæ præualuerunt nimis super terram: opertique sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cælo, quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat. *Nullum montem non obrutum & opertum, atq; editissimos omnium quindecim, hoc est, ter quinis cubitis exuperatos, atque ita terram omnem diluuij illius in horas ad quadragesimum diem crescentibus primùm aquis, deinde verò diutius stagnantibus, occultatã ac demersam, vitaq; omnis atq; spiritus expertem latuisse, vnicamq; orbe toto exstitisse aquarum superficiẽ, quæ mortis*

*atque exstinctionis exprimebat imaginem, eam verò centũ & quinquagi*
*id est, ter quinquagenis diebus nihilo decrescentem aut imminutam*
*rasse dicitur, quod tempus, ad omnia animantum corpora dissoluenda ac*
*sipanda, satis spatij attulit, vt totidem additis decrementi aquarum die*
*nullum præterea seculi ac vitæ prioris monumentum aut vestigium app*
*ret, &* MYSTERIVM *interim describeretur alterius diluuij, cuius*
*imago erat, ad publicam mundi damnationem & exstinctionem, & ad*
*sequentem orbis terrarum salutem & instaurationem referendi, cuius*
*ræ paulo antè mentionem faciebamus. Omnia verò hæc ter quinario rep*
*effecta videmus, quod præter alias arcanas rationes, Dei nomen* ELOH
*ad tres personas relatum indicat, quarum indiuisa prouidentia & effic*
*tia mors ac vita, & quidquid in omni mundo agitur, constat. Nulla verò*
*maña, nulla belluina, quamuis procerißima statura, quocunque modo, atq*
*genio, & inuento in altißimos etiã euadere potuisset montes, quindecim*
*bitorum modum attingere nedum excedere valuerit. Nec verò tam du*
*solidè compactũ, aut natura exsiccatum animãtis corpus fuit, quod aqua*
*mor, atq; natiui halitus tepor centum quinquaginta dierum spatio non n*
*rauerit atq; dissoluerit, & in aquas resolutum dißiparit.* Consumpta é
omnis caro quæ mouebatur super terram, volucrum, animantiũ
stiarum, omniumq; reptilium quæ reptant super terram. Vniuersi
mines, & cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua
Et deleuit omnem substantiam quæ erat super terram, ab homin
que ad pecus, tam reptile quàm volucres cæli, & deleta sunt de t
remansit autem solus Noë, & qui cum eo erant IN ARCA. *cuim*
*teria, fabrica, & vsus, quòd consilio voluntateq; Dei instituta essent,*
*ac singulariter valere & prodesse comprobata sunt, quamquam illam h*
*na sapientia, dum parari conficiq; videret, contempsisset, & vel super*
*neam, vel inutilem censuisset, vel si veram inundationis calamitatem*
*metueret, præstãtius & validius, ac firmius præsidium se sibi prospect*
*putaret. Atque hanc rem omnem sermone breui significabat Sapientia*
Sap. 10. *scriptor: Propter quod cùm aqua deleret terram, sanauit iterum Sapie*
33 *per contemptibile lignum iustum gubernans. Atque ita mundus ille q*
*sacro sermone originalis dicitur, hoc est, homines omnes qui Caini gen*
*sanguine conseruauerant, vel disciplina, studiis, ac moribus referebant,*
*totum orbem multiplici prole occupauerant, vt iniuriarum ac sceleri*
*sensu communicantes, publicæq; peruersitatis ad extremũ tenaces, vno*
*rum inundantium iudicio ac supplicio deleuit Deus. Idem tamen pro*
*memor, & misericordiæ consilio constans, paucis illis, qui ex publica*
*rum clade superstites fuerant, fidelibus conseruatis, humanæ gentis stirp*
*ziam de integro instaurare, & promißi sui rationem persequi voluit.*

LIB

# LIBER TERTIVS.

## De hominum inſtauratione, & ſalutis publicæ curatione.

### CAPVT I.



ARIVS *ac diſpar hactenus impietatis, ſcelerum, iniuriarum, atque pietatis, innocentiæ, & ſimplicitatis exitus ſpectatus, illis intra aquas obrutis ac deletis, hac verò concluſa, & nihil adhuc exteriùs oſtendente, ſed mortui inſtar intra arcam præferente, arca tamen nihil demerſa, ſed aquis innatante & exſtante: quod interiùs delitescentis vitæ ſpem faceret; quippe cùm arca omni ex parte integra appareret, & ab aquarum cùm penetrantium humore & pondere, tum incidentium ac defluentium vi & plaga inuictam immunemq́ ſeſe præſtans emineret, opusq́ ſuum totum non humano, ſed prorſus diuino conſilio & artificio conſtans probaret; atque id quod in poſterum ſignificabat, vnius Dei virtute & efficientia confectum iri indicaret. A diluuij verò initio ad vſque datam Noahbo loci & quietis opportunitatem, copiamq́ prodeundi factam, quatuordecim præteriere menſes, quorum fine exſiccatæ aquæ nullum præteritæ impietatis in terris, quod videri poſſet, reliquere veſtigium, eaq́ tantùm ſuperfuere animalia, quæ vnà cum Noahbo ſeruanda Deus in arcam egerat, admirando prouidentiæ argumento, tanta concordia & quiete, tot variarum animantium diſsimilia & alia aliis aliàs infeſta genera tam diu durare potuiſſe, nec aëris vitio aut contage, nec vllo alio defectu vel incommodo vllum etiã ex minori numero, aut ex molliſsima & infirmiſsima natura vel vnicum tantùm fuiſſe deſideratum: cuius conſeruationis præcipuam efficientiam Dei voluntati tribui adſcribiq́ oportet, opportunitatem verò loci ipſius diuino iuſſu & præſcripto aptati, accommodati, & comparati ingenio & rationi, ex lignis videlicet ſetim certa bituminis vi obductis & inductis, cui nomen* CHOPHER, *certo modo & opificio cõpactis; quæ omnia Deo authore conſtiterant: cuius etiam fidei & curæ fuit, concluſas in arca animas foris obſerare & obſignare, ac demum conſeruatas, aperto arcæ oſtio, euocare & educere: ita vt eiuſdem voluntate, decreto, & iuſſu imaginem illam vmbramq́ ſubire mortis, & carcerem adire, atq́ etiam rurſus ad vitæ liberiorem auram vſumq́ redire contigerit. Quam rationem omnem animo ac mente perceptam, cogitationéque repetitam, teneri oportuerit, vtpote arcanis argumentis ac documentis pleniſsimam. Igitur* Menſe ſecundo, ſeptimo & viceſimo die menſis, arefacta eſt terra. Locutus eſt autem Deus ad Noë, dicens: Egredere de arca tu, & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum. Cuncta

animantia quæ sunt apud te, ex omni carne, tam in volatilibus quàm in bestiis, & vniuersis reptilibus quæ reptant super terrã, educ tecum, & ingredimini super terram: crescite & multiplicamini super eam. Egressus est ergo Noë, & filij eius, & vxor illius, & vxores filiorũ eius cum eo. Sed & omnia animantia, iumenta, & reptilia quæ reptant super terram secundùm genus suum, egressa sunt de arca. *Manifesto argumento probandæ singulorum generum naturæ, vtpote quæ initio Dei verbo ac iussu facta constiterant, & eiusdem Verbi authoritate postea in arcam conseruationis causâ coacta; demum ad terrarum orbem sua procreandáque sobolis frequentia exornandum & instruendum, rursus reuocata & immissa. Nam quòd his exceptis alia omnia fuerint antea aquis obruta & exstincta, hominum criminis & culpæ fuerat, quos & iniuriarum & rerũ omnium abusus damnatos, vnà cum rebus ipsis perdendos, diuina sententia decreuit:*

Genesis 7. *Finis vniuersæ carnis venit coram me. Repleta est terra iniquitate à facie*
*» eorum, & ego disperdam eos cum terra. Omnis quippe caro corruperat viam*
*» suam super terram. Iisdem itaque generibus, totidémque numeris ex arca in terram reddita animalia omnia vitæ suæ authorem, conseruatorem, atque instauratorem Deum, eo modo quo potuerunt, hoc est, ipsa sui præsentia testata sunt, & obedientia in posterum singulorum generis propagandi, atque hominem, cuius ministerio & officio conclusa, pasta, seruata, & educta fuerant, metu ac pauore, & quæ præstari ab ipsis posset reuerentia, obseruandũ: cui etiam propter positam, rectéque exercitatam erga animantes curam, earum quæ puriores essent, in proprias escas, vsum, & fructum concessit Deus, certis tamen, ad crudelitatem & luxuriem, atque insolentiam & immanitatem vitandam, conditionibus constitutis. Atque Noahbo ipsi in terra exposito prima cura fuit gratulationis seruatori redemptoríque Deo suo, ipsius suórumque nomine, immolatis cæsisque hostiis faciendæ; iis, inquam, hostiis, quæ in animantium puriorum generibus senarium superauerant numerum; id est, septima quaque ex iis, quas mundas nominans septenas reponi Deus iusserat.* Ædificauit Noë altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. *Holocaustum sacrorum genere ea dicitur hostia, quæ certo ritu cæsa, tota incenditur, nulli nec ministris, neque iis pro quibus immolatur, portione reseruata. Significat verò, eos à quibus præbetur, deberi se totos Deo, siue de peccatis damnatos, siue de beneficiis, ac vitæ salutisque munere confitentes: id quod Noahbus pie ac sanctè agens, pro se, liberis, posterisque suis, pro mundo restituto, atque adeo pro animantibus omnibus ad hominum vsus seruatis, factitauit: quo animo atque officio propitium ita habuit Deum, vt non sibi, suisque tantùm, sed humano generi omni deinceps ad finem vsque mundi conseruando, atque mundi ipsius fœderibus, temporum opportunitatibus, atque horarum tempestatúmque commoditatibus, hominum causa gubernandis litauerit.* Odoratusque est Dominus odorem suauitatis, & ait ad eum: Nequa-

quam vltrà maledicam terræ propter homines : ſenſus enim & cogitatio humani cordis ad malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua: non igitur vltrà percutiam omnem animam ſicut feci. Cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hiems, nox & dies non requieſcent. *Quo reſponſo aliam ſibi naturæ hominum corrigendæ initam rationem, alium ex miſericordiæ conſilio tenendum modum ſignificabat Deus. Quandoquidem huiuſmodi caſtigationibus ac pœnis nullus futurus eſſet finis, vbi pro meritis ageretur hominum; qui cùm ſtatim ab ipſis naturæ ſuæ primordiis in prauitatem ſeſe detorſerint, quoad homines fuerint, & Adamum patrem omnino retulerint, ob concepta, vel ſuſcepta, & explicata paſſim, auctáque in dies peccata ac ſcelera, continuis diluuionibus, atque huiuſmodi pœnis ſeſe ipſi dignos damnandóſque exhibituri erant. Aliam verò diluuionis formam ſibi proſpectam eſſe, aliquando emittendam, quæ expiando ſcelere non mortem, ſed vitam hominibus afferat; terrámque ipſam non obruat & perdat, ſed beet potiùs. Huius illuuionis felix exitus, aliàs Vati ſacro indicandus mandabatur: Aquæ inundabunt, & delebitur* Iſaiæ 28.
*fœdus veſtrũ cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit. Itaq; huiuſmodi publica & communi plaga humanã vitam non ſibi deinceps puniendam, ſed alio pacto emendatum atq; inſtauratũ amplificatumq; iri Deus recepit: vt quemadmodum terra hæc, quæ oculis cernitur, animaliumq; vitã excipit ac tuetur, vnà cum rebus cæteris quæ in ipſa gignuntur, ſua cum tẽporibus fœdera legesq; ſeruat ab initio poſitas, atq; ita fœtus fructusq; profert & maturat proprios, datq; ſemen ſerenti, & panem comedenti; ſic etiã natura ipſa hominum, quæ, qua parte terrã refert, abuſque primis temporibus ingratã & ſterilem ſeſe reddiderat, certo arcanoq; Dei beneficio ad magnã felicitatem ac fœcunditatem, atque adeò ad formam primã meliorem redigenda eſſe prædicitur: quale diuinum promiſſum aliquando contemplatus, animoq; volutans, & fide atq; ſpe concipiens Vates ſibi atq; orbi omni gratulabundus celebrabat. Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra no-* Pſal. 84.
*ſtra dabit fructum ſuũ. Hoc verò ſuum promiſſum, à ſeq; præſtandum beneficium, quãquam ex donantis voluntate ac benignitate publicum cõmuneq; fuerit, non ſecus atque temporum conſtitutiones, cælorum atq; aëris vices in terræ vſum inſtitutæ & conceſſæ, tamen illis certum fore, qui, quo nomine atq; munere valent, ſeſe ad excipiendum aptauerint, nec propriam ſterilitatem diuinæ gratiæ donis, & monitis, atque culturis antetulerint. Nam quæ tellus ſalſedinem amaritudinemq; ſuam, aut aliàs innatum & conceptum vitium non exſpuit, nec eluendum cæleſtibus imbribus præbet, frugibus ac fructibus ferendis inepta manet, eadem, quòd ſæpius irrigata ingratior perſtitit, dignior exſecratione ac deteſtatione euadit. Terra enim ſæpe veniẽtem* Hebr. 6.
*ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autẽ ſpinas ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem.*

# De diuinis institutionibus post diluuium, ac maximi promissi instauratione.

## CAPVT II.

NATVRÆ *humanæ ingenium, quod antea ad maxima & optim cognoscenda atque agenda idoneum exstitisse docebamus, post ad missam femineæ portionis insolentiam, eò imbecillitatis inertiaq traductum notabamus, vt ad maiora & spiritualia capessenda a tenenda, minoribus, externis, ac sensui peruiis rebus deduci postulet, & ima ginibus potiùs quàm rerum veritate ipsarum à principio instituendum si interim dum illam pueritiam, siue potiùs femineam infirmitudinem exce dit: cum quo vt hoc pacto agendum sit, clementia ac prouidentia Dei cura*

1 Cor. 13. *tum dispensatumq́ est. S. S. E. Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulu*

*» sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Huc etiam illud eiusdem Do*

1 Cor. 3. *ctoris spectat: Ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed qua*

*» carnalibus. Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam*

*» nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis; adhuc enim carnale*

*» estis. Hæc itaque ratio est quamobrem in conditionis huiusmodi instruend homine, ea adhibenda curauerit Deus, quæ pro sui ordinis modulo excipir tineriq́ possint: qualia sunt, ab externis & corporeis naturis petitæ imag nes, & præcepta quædam, quæ singula audiri, cognosci, & intelligi, atq́ etia præstari possunt. Vnde similitudinum, parabolarum, exemplorum, atque translationum omnium copia petita est, quæ rem primùm quandam ex natu ræ definitione atque vsu sensibus cognoscendam obyciat, atque inde interio homini, hoc est, meliori hominis parti, id quod pro tempore opportunum insinuetur. Quod in omnem huius animalis vitæ ætatem, siue in omnẽ ha hominum pueritiam identidem recoluisse ac meminisse valde retulerit, qu ad id quod perfectum est, diuino dono aduenerit, id omne euacuaturum qu*

1 Cor. 13. *ex parte esse Apostolus ait.*

*Igitur propositum suum de hominis salute promouens Deus, id quod Ad mo pollicitus indicarat, Noabbi etiam familiæ, quæ instaurandi terrar orbis caput erat, significare ac benignè polliceri pergit: lege tamen data, q cum promißi fide obsequium & studium præstandum commendaret & im peraret. Ea verò certis præceptis distincta explicatáque fuit. Namque memoriam huiusmodi, quem describimus, hominis iuuandam atque ad ra cinationem illustrandam, numerorum natura magnas habere dicitur opp tunitates, ideoq́ soli homini vsui esse existimatur. Nec enim qui hominis cedunt ordinem cælestes spiritus, numerandi aut calculos subducendi p tia indigent: nec quæ infra humanum sensum animalia viuunt, vllam n meri aut comparationis attingunt partem. Omnis autem filiis Noabbi, at*

*adeò gentibus omnibus Dei sermone tradita disciplina, septem siue præceptis, siue membris comprehendebatur. Quorum primum erat, Nullum præter* I.
*vnicum Dei cælorum ac terræ conditoris numen aut animo & cogitatione concipere, aut colendum suscipere. quippe cùm id vnicum esset quod & originali orbi exitium ob noxas attulisset, & iis qui superstites fuerant, salutem præstitisset, quodq́ nunc præsens & fauens verba faceret, & felicitatis veræ promissum daret, ac leges imponeret. Secundum verò, Huic vni sup-* II.
*plicare, atque gratulationem pro bonis beneficiisq́ omnibus facere. Atque duo hæc hominum erga Deum spectabant reuerentiam & cultum. Tertium* III.
*erat, Innocentiæ custodia & obseruantia, abstinentiaq́ ab iniuria cuiquam mortalium facienda; hoc est, ab homicidio, vulnere, aut plaga. Quartum,* IV.
*Incestus omnis vetitum : quod antiquorum sermone turpitudinum siue verendorum reuelatio dicitur. Quintum, Alienarum rerum per vim aut frau-* V.
*dem rapinæ aut vsurpationis declinatio. Sextum, Iudiciorum atque Iudi-* VI.
*cum institutio, ad iniuriarum & sanguinis cognoscenda & vlciscenda crimina, atque ad ciuilis vitæ institutionem, tutelam, & securitatem. Atque sex hæc & pietatem erga Deum, & hominum inter se coniunctionem & societatem in officio, honestate, atque decoro continendam complectebantur, ac naturæ ipsi hominum, hoc est, rationi ei cuius humanum ingenium compos euaserat, apprimè consentanea fuerunt, eademq́ Adamo antè tradita, & præcepta ferebantur: quorum violatio & profanatio diluuionis aquis vindicata expiatáque fuerat. Porrò Noahho carnium ex viuenti animali interdictus esus, septimum numeratur mandatum : quod & breui definitione* VII.
*priuatam singulorum continentiam præciperet; & crudelitatem, feritatem, atque sæuitiam omnem, etiam in animalia muta, tanquam alienam ab humanitate vetaret. His itaque septem capitibus, omnis quondam gentibus ac nationibus cunctus diuino munere atque oraculo tradita institutio ac doctrina contenta fuit: quam etiam naturæ legem dictitatam nouimus, vtpote iis constantem partibus, quas ipsa in animis innata intellectio, atque ex intellectione profecta ratio non probare solùm, sed dictare etiam videatur, præter singulare illud de abstinentia ab esu membri ex viuente animali detracti, quod, tametsi quòd causam spectat, naturæ consentaneum sit, non ita sua sponte distinctum apparere poterat, maximè hominibus cuncta sibi alia permissa constare, & quocumque modo in vsum cedere putantibus, dummodo nulli alij noceretur mortali. Cuiusmodi opinio illis, vti apparet, ante diluuium insederat, qui ob rerum & animantium abusum, cùm ipsis animantibus damnati & exstincti fuêre, eo quòd omnis caro viam corrupisset suam. Itaque legis illius capitum summa huiusmodi fuit.*

NIHIL PRO DEO HABETO AVT COLITO NISI VNICVM MVNDI OPIFICEM. I.
VNI HVIC GVBERNATORI AC SALVTARI SVPPLICATO. II.
SANGVINEM NE FVNDITO. III.

 TVR-

IV. TVRPITVDINEM NE DETEGITO.
V. A RAPINA ABSTINETO.
VI. IVDICIA PVRE CONSTITVITO.
VII. CARNEM CVM SANGVINE SVO NE COMEDITO.

*Omnis autem quæ secundùm naturam in animis mentibusq; hominum nondum peruersa opinioné corruptis inscripta est piæ, honestæ, & ciuilis vitæ forma, omnis etiam domestica atque familiaris institutio his septem membris aptè concinnatur. Nam quod pietatem, Deiq; amorem, metum, & cultum singulariter spectat, primis duobus breuiter ac significanter traditur. Altero notitia ac fides vnici Dei, altero verò eiusdem prouidentiæ, atq; conciliandæ procurandæq; gratiæ doctrina, in qua sacrorum ac rituum continetur opportuna ratio, & humanæ etiam egestatis agnitio, cum diuini auxilij petitione ac spe. Tribus verò proximis scelera & maleficia vetantur & præciduntur omnia, quæcunque ex tribus humanæ mentis vitiis, ira, libidine, & auaritia, proficisci solent. Sexto iuris inter homines exercendi, & iustitiæ siue æquitatis conseruandæ, atque publicæ rei instituendæ summa præscribitur. Septimo demum humani ac mitis animi, misericordisq; etiam in inferiora se genera, commendantur ac præcipiuntur mores, & immodicæ voluptatis cupiditas & studium restinguitur, atque rerum cauetur abusibus, ac omnium naturas cognoscendi, tractandi, & pro ratione singularum vsurpandi cura excitatur, cum significatione non exigua mysteriorum, in ipsis rebus ita cognoscendis abditorum. Quamobrem postremo huic, vtpote ad rituum & ceremoniarum quoque definitionem & religionem referendo, ratio adiuncta & explicata fuit, quæ animam omnem, etiam brutorum, corpori suo longè præstantem, in vsum hominum concedere non debere doceret: vtpote quæ quandam quasi cognationem cum spiritu haberet, & Deo authori tantùm reddenda esset, siue ad sacrificium, siue alio quouis pacto animal occidi eueniret. quòd si in brutorum anima, quæ in sanguine continetur, & cum ipso fusa perit, quiduis cuilibet licere religio erat; longè maximæ obseruantiæ, reuerentiæ, atque custodiæ, tutelæq; dignam eam esse animam qua homo viuit, quippe quàm excellentissima prærogatiua sacram author voluerit, immortalem videlicet, & verè spiritualem atque diuinam naturam singulari imagine ac similitudine referentem, adeò vt nulla in rebus omnibus conditis alia exstet, quæ Deum ipsum habitaturum in se excipere possit, prater hanc vnam. Hæc autem, quæ hoc loco indicauimus omnia, quæq; longiùs deducta magnum ad sese explicandum & campum, & otium postularent, subiunctis versibus comprehensa & conclusa Spiritus sanctus dictauit.*

II. Benedixitque Deus Noë & filiis eius. Et dixit ad eos: Crescite, &
I. multiplicamini, & replete terram. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis
V. quæ mouentur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt. Et omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera

olera virentia tradidi vobis omnia. Excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis: sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: & de manu hominis, de manu viri, & de manu fratris eius requiram animam hominis. Quicumque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius per hominem: ad imaginem quippe Dei factus est homo. Vos autē crescite, & multiplicamini, & ingredimini super terram, & implete eam. *Cuius oraculi fine suam de instaurando & colendo terrarum orbe voluntatem abunde satis Deus declarauit, atque omni regioni, loco, ac nationi prouidentiam suam vltro adhibiturū pollicitus est; vtpote cuius consilium fuerit semper ea, quæ hominum causa cōdiderat, hominibus ipsis benignè sufficere. Itaq. omnis honesti, atque iusti omnis cum pietate coniuncti, prima ac summa capita non ex hominum sententiis, sed ex vero Dei oraculo declarata, cunctisque orbis terræ nationibus tradita & posita, paucis his versibus comprehensa sunt, à quibus neminem hominem immunem Deus author esse voluit: id quod Moyses præcisè indicauit, dum Noahho & filiis eius dicta fuisse scribit. Cætera verò quæ ad familiarum necessitudines, ad beneficiorum gratiam, ad modestiam, pudorem, atque ad ciuilis & vrbanæ consuetudinis officia pertinent, omnia ex iis veluti fontibus sua sponte manantia deriuantur, vt reuerentia & honor parentibus & maioribus debitus, ex naturæ ipsius impulsu, ac domestica disciplina, atque etiam ex iudicum authoritate, in qua ministrorum, administrationumq́; disponuntur ordines: ex præcepto etiam quo incestus omnis prohibetur, in quo libidinosè tangendis etiam propinquorum propinquarumq́; vestibus cautio adhibita est: quam vel per risum & iocum contemptam & violatam pœna, vt postea docebimur, consecuta fuit grauissima. Igitur illius benedictionis (namque hoc verbo, tamquam sacro & arcano, posthac, vbi opus fuerit, vti commodum duximus) quæ reconciliatam hominibus Dei voluntatem, & copiam benignè factam orbem terrarum replendi ac possidendi declarabat, illa conditio lexq́; fuit perpetuò obseruanda, & moribus præstanda, quoad illa maxima afferretur Benedictio salutis animorum publicæ à Deo ipso perficiendæ, quæ maiore ac sanctiore lege in humano corde conscribenda, hæc iam tum non obseruaretur modò, sed cumulatissimè etiam præstaretur, & infantiam illam priscam hominum, valida virtute ac virilitate mutaret. Quam benedictionem, quia non minùs communē, quàm priorem illam de hominum genere ac terrarum orbe instaurando, Deus esse decreuerat; Noahho Noahhiq́; filiis, qui tum supererant, cunctis, atq; horum posteritati omni pollicitus est, promisso illo antiquo, cuius in fide Adamus vixerat ac decesserat, cum his aperto & expresso fœderis nomine repetito:*

Hæc quoque dixit Deus ad Noë, & ad filios eius cum eo: Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos; & ad omnem animam viuentem quæ est vobiscum, tam in volucribus quàm in iumentis & pecudibus terræ, cunctisque quæ egressa sunt de

arca,

VII.
III.
VI.

arca,& vniuersis bestiis terræ. STATVAM pactum meum vobiscum, & nequaquam vltrà interficietur omnis caro aquis diluuij,neque erit deinceps diluuium dissipans terrã. *Cuius responsi ac promissi hominibus notanter & expressè facti ac repetiti arcanam rationem indicat vox ipsa diuina,* STATVAM pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos. *& iterum* : Statuam pactum meum vobiscum, *cui etiam, mutata sermonis formula, aliarum ab homine animantium, & cum homine ipso tamen terram occupantium, cura suscepta adiungitur, non sine arcana significatione facultatum, virtutum, & affectuum omnium, quæ in humanæ naturæ orbe hoc exiguo versantur ac degunt, quæ omnia nunquam de cætero diluuij aquis perditum prorsus iri satisdedit Deus : atque hac imagine illud significauit, fore, vt cõseruato in terris arce beneficio homine, cætera ita componantur, vt viuere etiam in terra apud hominem poßint : quam etiam interpretationem, vt arcani magni pro tempore maiestas ferebat, nos arcanè magis quàm palàm adiungimus, aliàs, vbi Deus ipse cõcesserit, aperiendam. Atque ita pactum & promissum illud omnibus hominibus commune fuit, quibus propria culpa non fuerit repudiatum, iis videlicet qui ante diluuium, hoc est, octo capitibus, & ijsdem diluuij tempestate durante, & his etiam qui à diluuio superstites fuêre, horumq; posteritati omni: quam rem cum primis obseruatam, ac memoria sæpiùs repetitam oportuerit.*

# De gentium propagatione, atque diuersorum morum causa.

CAPVT III.



ERRARVM *orbis, qui variis hominum familiis, variorúmque morum disciplina, consuetudine, atque exemplo notandis, nempe ijs qui Dei, & iis qui hominum filij, ac deinde gigantibus & impiis & crudelibus incolebatur, ad vnam Noahhi domum & sobolem redactus fuit: ex qua tres familiæ ortæ, quæ ad mundi seminarium exceptæ & reseruatæ fuerant, cùm ijsdem parentibus natæ educatæq; essent, quod ad viros attinet, eadem pietatis doctrina imbutæ, iisdem domesticis exemplis auctæ, vno eodemq; diuino promisso pariter comprehensæ; tamen in varia ingenia, varia studia, ac diuersos mores diductæ sunt, siue hoc ex fœminarum consuetudine atque neceßitudine profectum, contagione vel exemplo in posteros dimanauerit, siue magis ex illo exsucto primi sceleris vario ac multiplici veneno, atque ex neglecta aliis, aliis verò curata suiipsius cultura prouenerit: namque hactenus ex illa humanarum rerum inuersione, quæ primæ culpæ crimen consecuta est, duplicia tantùm exempla fuerant in vitæ huius mortalis theatro spectata, duplici in scena, Cainitarum altera, id est,*

est, eorum qui aperte mali, sibique tantùm, ac suarum rerum amantes & propugnatores, aliarum inuasores violenti essent; altera verò Abeliarum, qui Sethi Vatis disciplinam amplexati, probitatem ac simplicitatem, cum pietatis notitia obseruabant: vtrisque verò confusis, & in amicitiam coeuntibus partibus, immanissima gens prodierat eorum qui sese pro diis haberi, adorari, ac metui voluerunt, quiq; nullam potestatis authoritatisq; diuinæ, aut humanæ, præterquam suæ ipsorum rationem haberi patiebantur. Gigantes, vt accepimus, ab antiquis appellati viri, nominis atque famæ præcipuæ & celeberrimæ, quibus, vt nullum aliud nomen non anteferretur modò, sed vt neq; compararetur, cura negotiumq; fuit. Hos autē longè aliis etiam improbis hominum filiis nequiores, multoq; importuniores & perniciosos magis euasisse intelleximus, atq; adeò hos fuisse, qui cælestem vltionem accelerauere, quorumq; operà atq; malignitate factum, vt, præterquā in vnica Noahbi domo, nulla priscæ illius probitatis apparerent vestigia. Namque antea & simpliciter probi, & apertè mali in terris vixerant, & vtraque factio palàm partes agebat suas. Vnde videmus ante diluuium hominum genus in tres veluti factiones diductum, filiorum videlicet Dei, & filiorum hominum, & deinde quos Latini pariter atque Græci Gigantes nominant, Sacer verò sermo NEPHILIM vocat. Quippe enim dum istis ætas, & numerus, & robur accederet, duæ aliæ partes adhuc vigebant, quæ postea demum in istorū turbam vel vi impulsi, vel exemplo inducti, concesserunt. Hæc verò omnia diluuij aquis exstincta quidem, verùm non penitus ex orbe terrarum excisa & consumpta fuerunt. Namque in iis, qui superstites euaserant, hominibus, antiqui illius insiti mali vitia nondum exstirpata ac sublata funditus fuerant, quæ altè actis fundamentis & radicibus propagata deinceps fuere: id verò quemadmodum euenerit, operæpretium est cognoscere.

Interim dum hominum crescebat soboles illa, quæ terrarum cultus habitationesq; initura esset, trium tantùm fratrum Noahbi filiorum, siue domibus, siue casis ac tentoriis consuetudine & societate paterna ciuilis vita familiariter agebatur. Quorum nomina, vti iam cognouimus, fuêre SEM, CHAM, IAPHETH. Vt ex lectione apparet, primus, maximúsque natu SEM fuit, IAPHET verò secundus, postremus autem CHAM, qui, quod carminis ordini ac numeris aptiùs conuenit, secūdus recenseri solet, & quòd vt minimus, ita parentibus charior, indulgentiùs tractaretur, atque licentiùs ageret, id quod patri opprobrio, ipsi exitio, ipsiusq; posteris & imitatoribus damno dedecoriq; fuit: tanti est indulgenter ac remissè, vel seuerè, pudicè, & grauiter liberos fuisse educatos.

Placuit verò Noahbo agriculturæ studium, vtpote innocenti atq; pio ingenio animoq; digna, & omnium, quæ ad hanc mortalem vitam iuuandam & propagandam exercentur, artium vtilissima, atque ipsa sui contemplatione etiam iucundissima: in qua tractanda ipse omnium peritissimus fuisse dicitur, ob eamq; rem sua ipsius lingua AIX ADAMAH, hoc est, TELLVRIS

VIR, *appellatus, celebratúsque est. Is autem consitarum ac diligentiùs quàm antea cultarum vitium fructum percepit omnibus aliis, quos varia arborum genera præbere possunt, præferendum, hoc est, vuarum varias & multiplices formas, ex quibus vinum expressit, cuius ante hunc inuentorem nulla in sacris historiis reperitur mentio. Huius verò largiùs aliquando hausti vim propter ætatis insuetudinem, & noui potus tentationes, vehementem idem ipse magister expertus, ebrius factus, intra proprium tentorium parum decorè, vestibus nimirum resolutis ac turbatis, penè nudus totus, incompositóque corporis membrorumq́ habitu stratus humi temere iacebat: quem primùm fortè domum ingressus Chamus, spectatum non modò non erubuit ac doluit, verùm risus ac ioci materiam esse volens, appellatis duobus fratribus, prodidit: verùm illos cùm melior ac verecundior pientiorq́ mens instruxisset, honestißimo auxit consilio prospiciendi ac ferendi repentinam patris sui infirmitudinē, & ignominiam turpitudinemq́ non solùm dißimulandi, verùm auertendi vitandiq́ etiam suis ipsorum palliis pro velamine & stragulo reiectis, eo modo ac temperamento, ea cautione, vt nulla in posterum superesse posset eiusmodi spectaculi nunquam ipsis visi testificatio aut recordatio, quo minùs patris obseruantia sancta integraq́ maneret. Historiam ex sacro volumine repetere legenti cuiuis licebit; exitum verò varium, & diuersô bonorum ac malorum fine adnotandum, retulerit cognoscere. Siquidem tribus filiis propter varium sensum, atque diuersum facinus, tria legimus prænunciata responsa, eaq́ varia, & diuersis formulis ac verbis prolata, quorum certißima euenta omnibus porrò deinde ætatibus non significata modò, sed manifestis exemplis ostensa declarataq́ sunt.* Euigilans autem Noë ex vino, cùm didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit fratribus suis. *Cur verò prædictio hæc atque dira denunciatio Chanaghanum ex omnibus Chami filiis potißimùm nominauerit, culpam notare videtur historia, quòd is nimirum vel patri primus aui sui morbum & habitum indicauerit, vel vnà ingressus quoque irriserit, ita enim legimus:* Quod cùm vidisset Cham pater Chanaam, verenda scilicet patris sui esse nudata, nunciauit duobus fratribus suis foras. *Hunc itaque nepotem, patris nomen quodammodo referentem, & mores expreßiùs imitatum, atque in filio, etiam parentem ipsum, huiusmodi denunciatione & omine Noahhus potißimùm prosecutus est, adeoq́ semper cum posteritate sua impium & insolentem, atque iniuriæ faciendæ studiis aßpetum præuidit, vt aßiduæ ac perpetuæ seruituti deuouerit; cæterorumq́ fratrum posteris prædam, & seruos & mancipia esse voluerit. Atque ita ad vsque postremas nationum confusiones euenisse obseruatum est, vt maxima seruitiorum pars ex Chananæorum regionibus (quæ postea communi nomine Syriæ dictæ sunt) peteretur, nomenque ipsum Syri seruum simpliciter significaret. Duobus verò aliis filiis, quos pietate atque obseruantia, meliori sorte ac laude dignos probauerat, fausta & prospera omnia tribuens prædixit,*

*dixit, aliter tamen alteri & alteri præfatus ac precatus. Nam Semo natu maximo filio quasi propriam, familiarem, & constantem diuini numinis notitiam, atque sacram de generis humani salute disciplinam appellato singulariter nomine illo arcano, fore nunciauit, & potestatem authoritatemq; dominationis in Chanagani posteros arrogauit; Dominum Deum omnibus in rebus actionibusq; nationis huius perpetuò laudatum, prædicatum, ac declaratum, appellatumq; iri præcinens. ita quidquid in illa gente magnum ac pulchrum egregiumq; præter cæteros populos spectatum commendatumq; de cætero fuerit, id vni Domino Deo acceptum referendum sit.* Benedictus IEHVEH Deus Sem: sit Chanaan seruus eius. *Quidquid itaque vel disciplinæ, vel doctrinæ, vel alio nomine magnum, faustum ac felix Semi soboli contigerit, id omne ex vno* IEHVEHH, *Deo patrono prouidente, atque sua mysteria aperiente & credente, profectum credere est; cuius promissi vti responsi planè diuini formula adnotanda, & arcana ratio obseruanda fuerit.*

*At verò Iaphetum, cuius honestum decorumq; nomen gratiam ipsa sui significatione promereri ac poscere videbatur, longiore oratione, & duplici etiam munere beatum auctúmque voluit pater: quorum vnum quidem ex* ELOHIM *nomine, & authoritate, atque benigna efficientia constiturum prædixit; alterum verò posterius ex altero nomine exspectandum, quod apud Semitas fuerat consecratum. Vt verò responsi huius arcana verba meliùs teneantur, & cum euentis ipsis postea collata, & planiùs exposita, apertiùs explicentur, argumenti summa in breue cogenda est. Prædicti totius duæ obseruantur partes: altera est, fore vt Iapheth, cuius nomen pulchritudinem, formam, speciem, atq; decorem appellando significat, omnibus decoris ac pulchritudinis generibus, quæ ex* ELOHIM *conditoris gubernatorisque mundi authoritate ac munere mortalibus donari solent, auctissimus ac præstantissimus euadat. Nihil autem hominibus in vita pulchrius, aptius, & in omnem vitæ partem vtilius, opportuniusq; optari posse quàm sapientiam, hoc est, rerum diuinarum & humanarum cognitionē, in huius operis exordio declarabamus, & omnium nationum consensu confirmare possumus, præterquam quod idem hoc, vt maximum, maximeq; expetendum in terris bonum omnibus ferè sanctorum scriptorum paginis commendatur. Atqui sapientiæ pulcherrimi, atque vtilissimi opportunissimiq; in omne tempus boni ea vis & facultas est, vt non tantùm eum, quem informat, animum decorare & ornare; sed huius etiam operâ aliis sese commendare, insinuare, communicareq; possit: hoc verò posterius orationis atque sermonis vi & persuasione faciat. Nam quæ à sapientibus rectè ac pulchrè cognita percipiuntur, eadem aptæ, concinnæ, & ornatæ orationis officio declarata & exposita, commendatáque traduntur: neque enim ad sapientis exactam definitionem satis fuerit sapere, nisi etiam sapienter dicere adiungatur: ita vt quæ bene sentita & cognita summopere delectant, bene etiam & pulchre dicta & enunciata audientes iuuent & instruant. S.S.E. Ad scientiam, sapientiam, & disciplinam ad* Prou. 1.

 *intelli-*

*intelligenda verba prudentiæ, & ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ, iuſti-
tiam, & iudicium, & æquitatẽ, vt detur paruulis aſtutia, adoleſcenti ſcien-
tia & intellectus, audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula
poßidebit, animaduertet parabolam & interpretationem verba ſapientum,
& ænigmata eorum. Huiuſmodi autem duplici ſcientiæ & eloquentiæ mu-
nere Iaphetum non donandum modò, ſed amplificandum ac dilatandum,
Noahhus pater vaticinatus eſt, eoq́ priuilegio auctum, vt quæ de mundi ac
cæli rebus, deq́ opificio Dei* ELOHIM, *de huius circa orbem cura & guber-
natione ſub hoc nomine* ELOHIM *cognoſci, dici, diſputari, tradiq́ poſſent, hic
vnus cæterarum nationum pleniùs teneret, & vberiùs elegantiusq́ doceret,
ac traderet. Atque ita in ſapientia mundi huius, atque in dicendi facultate,
ingenio, & ſermone aliis omnibus antecelleret gentibus. Verùm enimuero
quamquam huiuſmodi ſapientiæ facultate & copia Iaphethus ſingulari Dei
beneficio auctior euaſerit, illius tamẽ arcanæ ſcientiæ, qua diuinum de publi-
ca mundi ſalute conſilium & propoſitum hominibus indicabatur, theſauros
non poterat ſuo ipſius ingenio atque ſtudio inuenire: maioris enim hoc & re-
conditioris naturæ erat, quàm vt humano ſenſu & labore excogitatóve ar-
gumento effodi, atque in lucem erui poſſet: quippe quòd Deum ipſum,* IE-
HVEH *nomine, magiſtrum & indicem poſtulabat, nec ratione & intelli-
gentia comprehendi ac teneri, ſed alterius virtutis, cui Fides nomẽ eſt, ſinu,
Deo communicante ac tradente, repoſitum cuſtodiri & ſeruari: id quod hoc
pacto contingere vnus ex præſtantißimis Gentium ſapientibus confeſſus eſt,
dum arcani huius argumenti ſummam breuibus carminibus complexus ita*
Iob 19. *canebat: Quis mihi tribuat vt ſcribantur ſermones mei? quis mihi det vt*
» *exarentur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel certè ſculpantur in ſi-*
» *lice? Scio enim quòd redemptor meus viuit, & in nouißimo die de terra ſur-*
» *recturus ſum, & rurſus circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deũ;*
» *quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius.*
» REPOSITA EST HÆC SPES MEA IN SINV MEO. *Et Paulus Gentium
doctor hoc idem ſalutis publicæ ſacroſanctum myſterium gentibus omnibus,
niſi Deus, aut quiſpiam alius Deo authore miſſus, enunciauerit, & admoto
diuinæ doctrinæ lumine indicauerit, tenebris occultatum & circumfuſum*
Rom. 10. *eſſe ait. Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini* [IEHVEH] *ſaluus*
» *erit. Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo cre-*
» *dent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?*
» *Quomodo verò prædicabunt niſi mittantur? Sicut ſcriptum eſt, Quàm ſpe-*
» *cioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona! Ex his autẽ, plu-
rimisq́ aliis ſacrorum librorum locis, reſponſisq́ diuinis, & ſanctorum do-
ctorum ſententiis ac præiudiciis, longè diuerſam eſſe ſapientiam eam quæ ex
naturæ ac mundi partium cognitione & contemplatione comparatur, ab ea
quam Deus ipſe, præceptorem magiſtrumq́ ſeſe præbens, oraculis documen-
tisq́ propriis tradit & communicat, manifeſtum fit. Quamquam enim nec*

*illa*

*illa altera, quatenus sapientiæ & scientiæ nomine digna est, absque Dei dono & beneficio mortaliū cuiquam contingat; S.S.E. Quid habes quod non acce-* 1 Cor.4.
*pisti? si autē accepisti, quare gloriaris quasi non acceperis? tamen alia atq; alia* ‹‹
*vtriusque doctrinæ & facultatis ratio, alia percipiendæ forma est. Prior illa Deo, vt naturæ humanæ authore, ingenij atq; iudicij amplificatore efficitur, non sine cognoscentis animi opera & labore, studio & industria, sicut scriptū est: Dediq; cor meū vt scirem prudentiam atq; doctrinā, erroresq; & stulti-* Eccle. 1.
*tiam, & agnoui quòd in his quoque esset labor & afflictio spiritus, eo quòd* ‹‹
*in multa sapientia multa sit indignatio; & qui addit scientiam, addit &* ‹‹
*laborem. itaque & animi attentione atque operâ pars hæc & sciendi atque dicendi facultas indiget; neque quisquam eruditus & sapiens natus homo fuit, neque repentè doctus euasit, nisi rarißimo aliquando & singulari Dei beneficio ac priuilegio mirabiliter auctus fuerit, cuius vnicum nobis hactenus exemplum in Salomone exstitit. At verò altera illa doctrinæ via, quæ ad veram atque sinceram certamq; humanæ salutis & felicitatis notitiam deducit, Deo tantùm instructore munitur, eodemq; demonstrāte indicatur, nihilque à discipulis & sectatoribus exigit suis, præter candidam, simplicem, ac docilem fidem, & in rebus, quæ imperantur, agendis obseruantiam, cum summa modestia, agnitioneq; suiipsius, & gratulatione muneris ex diuina liberalitate ac benignitate accepti: qua de re ita legimus: In ipsa hora exulta-* Lucæ 10.
*uit [Iesus] spiritu, & dixit, Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ,* ‹‹
*quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus [mundi] & reuelasti ea* ‹‹
*paruulis. Etiam Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradi-* ‹‹
*ta sunt à Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater; & quis sit Pa-* ‹‹
*ter, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Et conuersus ad discipulos* ‹‹
*suos, dixit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd* ‹‹
*multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non vide-* ‹‹
*runt; & audire quæ vos auditis, & non audierunt. Huius cognitionis ac di-* ‹‹
*sciplinæ facultas vnius Dei munere hominibus constare potuit, ea ratione qua singulare illud arcanumq;* IEHVEH *nomen vni conditori, curatori, gubernatori, ac soli demum* SALVTARI *tribuitur. Atque nominis huius mysterium Semo, Semiq; posteritati primùm credendum Noahhus prædixerat,* Benedictus IEHVEH *Deus Sem; per huius porrò posteros cum Iapheti nepotibus alijsq; nationibus communicandum. Quanquam enim diuina salus Noahho ac filiis tribus, hoc est, terræ incolis omnibus futuris promissa erat, atque ex pacto & promisso diuino præstanda exspectabatur; tamen arcanam rationem, doctrinam, disciplinam, & cognitionem illius apud Sem primùm ponere & statuere decreuit Deus, idq; Patriarchæ & Prophetæ suo Noahho prædicendum firmandumq; dictauerat in præmium officij paternæ dignitatis & obseruantiæ causa piè & honestè facti, atque ab huius consilio primùm profecti: id quod narrationis ordo ac series indicauit;* At verò Sem & Iapheth pallium imposuerunt humeris suis. *Inuentum, & argumen-*

*gumentum primum à Semo excogitatum discimus: nec verò nulla nominum vtriusque filij habenda ratio est, quorum alterum positionem, situm, constitutionem & firmitatem, atque singularem certitudinē significat,* SEM; *alterum verò decorem, dilatationem, siue amplitudinem.* IAPHETH *in illo altero positam iam & firmatā veri Dei nominis notitiam perpetuò conseruatum iri, felix illud faustumq́ omen significabat;* Benedictus IEHVEH Deus Sem. *Huius verò ethymo siue agnominatione vsus Vates, propriæ ex Dei beneficio futuræ felicitatis speciem & formam breui adumbrabat ænigmate:* IEPHTHE ELOHIM IAPHETH; *quod ex verbo sic Latine sonabit,* Decoret, amplificet Deus creator & gubernator decorum & amplum. *id quod interpres noster vetus significante verbo expreßit,* Dilatet Deus Iapheth, *id est, in ea ratione & conditione quam nomen* IAPHETH *significat, dilatet & amplificet, non solùm sobole & gente, verùm etiam pulchritudine, decore, & amplitudine, quæ maximè homines decent; ita vt quidquid ad rerum naturæ cognitionem, & ad orationis splendorē facit, quatenus ad* ELOHIM *rationem hoc spectat, hic vt nemo pleniùs ac feliciùs consequatur. Verùm quod ad nomen* IEHVEH *arcanum attinet, non ipse sibi proprium aut primò concessum, vt alia, vendicet & iactet; sed hospes ac discipulus apud Semum admissus, doceatur ac discat. Sic interpretamur prædictionis partem illam,* Et habitet in tabernaculis Sem.

*Neque verò ex his efficitur aut concluditur, Chamū, siue Chenaghamum, salutis illius publicæ expertem prorsus fore; cui quidem non ita pridem ex arca iam egresso commune cum cæteris fuerat factum promissum.* Hæc quoque dixit Deus ad Noë, & ad filios eius cum eo, Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos. *Sed quoniam horum pater à filij ac liberi ingenuitate ad seruilis ingenij mores degenerauerat, commeritus est, vt illius magnæ misericordiæ à Deo gentibus omnibus olim præstandæ rationem & notitiam, non vt frater, verùm vt seruus doceretur & acciperet; vtq́ ea quoque à Iaphethi posteris acciperet, quæ illi cumulatè tradere Deus decreuerat, hoc est, philosophiæ atque eloquentiæ disciplinas omnes in artem redactas, & compendiaria via perdiscendas. Quamobrem vtriusque responsi, siue vaticinationis carmen eadem verborum atque orationis formula, ijsdem numeris & pedibus concinnata clauditur.* Sitque Chanan seruus eius. *Hæc verò in primæua lingua, qua primùm fusum fuit oraculum, ita sonant:* VAIHI CHENAGHAM GHEBEDLAMO, *quod ex verbo vtcunque sic nobis,* Et erit Chenagham seruus vtrisque. *Nam* LAMO *plurale & singulare pariter significat, illis & illi: vsurpatque hæc formula solet cùm res ita ad plures pertinet, vt singulis etiam tribuatur. Et profectò is qui temporum fastos, ac rerum gentiumq́ historias, & naturæ disciplinas diligenter ac studiosè tractare instituerint, non parum retulerit huius Noahhi prædictionis breuem summam interpretationemq́ subductam mente ac manu tenere, plurimum in omnem lectionis partes

*tem distinctionis atque luminis porrecturam. Itaque diuinarum rerum, & ad humanam felicitatem propriè facientium, arcana Semi posteris credenda & conseruanda fuere: disciplinæ verò omnes quibus hominum vita hæc mortalis decoratur, cùm sermonis atq; eloquentiæ facultate Iaphethi generi & soboli largè concedenda erant, atque huic illa etiam maiora & meliora, non ex humani ingenij virtute & opera, sed ex societate & consuetudine Semi communicanda erant; ab vtrisque demum ad Chanaghanum seruili conditione in familiam receptum profectura, cui etiam, quæ Iaphetho donata fuerant, iisdem conditionibus concedenda.*

*Animaduersione interim atque admiratione dignum fuerit, exsistere nonnunquam, vt quæ vtiliter inuenta primò & producta fuerint, moribus & culpa hominum perniciem afferant, atque probrosa aliquando inuentoribus ipsis euadant, maximè verò cùm præter modum & rationem vsurpantur. Nihil videri potuit ad vitæ & valetudinis opportunitatem vini inuentione aptius, nihil ad mœrorem leuandum vel minuendum præsentius, & tamen Noahho patri malum attulit omni mœstitia grauius, & ad vnius ex huius liberis detestationem causam iustam dedit, & inter fratres, qui tres ex omni hominum gente superstites in eadem domo educati fuerant, odij, dissidij, dissensionum, ac discordiarum ad omnem deinceps posteritatem pertinentium seminarium fuit.*

# De diuisione prima gentium, familiarumque & studiorum varietate.

## CAPVT IIII.

NON *temere ac fortuitò, nec inconsideratè in tres tantùm partes orbis terrarum gentiumq; omnium ab antiquissimis etiam diuisus, ad nostra vsque tempora constat; quamquam diuisionis huius rationem certam & expeditam, præter sacra oracula, nullus alius ex veteribus, tum Græcis, tum Latinis historiarum scriptoribus explicuerit, confusam quidem illi ac perturbatam vel ex vulgari antiqua fama traditionem consecuti sunt, quam ipsorum deinde poëtæ commentitiis fabulis cantandis obscurauerunt. Solus autem Moyses, quem præteritorũ, præsentium, ac futurorum temporum Vatem Deus instituerat & instruxerat, rem ipsam à principio repetitam persecutus est: quippe qui regiones omnes terræ in tres maximas cogens partes, trium, quos iam commemorauimus, Noahhi filiorum familiis & posteris, vt primis occupantibus, adscripsit. Harum verò familiarum numeros & nomina exactâ ac diligente recensione indicauit.*

Hæ sunt generationes filiorum Noë: Sem, Cham, & Iapheth: natique sunt eis filij post diluuium. Filij Iapheth: Gomer, & Magog, & Madai,

Madai,& Iauan,& Thubal,& Mosoch,& Thiras. Porrò filij Gomer: Aschenes,& Riphath,& Thogarma. Filij autem Iauan: Elisa & Tharsis, Kethim & Dodanim. *Quæ nomina cùm seculorum vi, ac linguarum varia vsurpatione & pronunciatione variata ac mutata postea fuerint, demumq́ transmigrationibus variis gentium obscurata, aut prorsus antiquata obsoleuerint, si cuipiam nosse placuerit quibúsnam terrarū locis restitui possint, Apparatus sacri voluminibus relegendis facilè præstabitur, atque idem quoque continget exspectato huius operis commentario, cui Siluæ, siue Magni operis inscriptio fuerit. Nunc satis erit monuisse, earum regionū, quæ à Babylone per Septentrionem ad Occasum vsque iacent, situs tractusq́ omnes, cum interiectis Mediterranei maris insulis, Iaphethi filiis in vsum concessisse, in quibus fuère qui postea à Latinis Græci dicti sunt, quiq́ etiam, quamquam fabulosis imaginibus, gentilitatem suam ab vsque Iapeto reuocarunt: his etiam Latini & Itali agnati sunt, quorum omniū linguæ magnam hactenus iis, quibus capiuntur, affinitatem probant, id quod alio fortassis loco opportuniùs indicabimus. Hanc verò Iapeti domum, ad quam Philosophorū antiquissimi Scythæ & Thraces primùm, deinde verò Græci, quamquam iuniores, referuntur, humanarum disciplinarum ac scientiæ sapientiæq́ naturalis laudibus, & sermonis facultate præstantissimam, seseq́ cæterarum omnium gentium præbuisse ac iactasse magistram, præterquam quòd scriptorum ab ipsis relicta monumenta nimio plus prædicant, sacra etiam testimonia confirmant. Quoniam Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt, inquit Paulus, qui Græcos eosdem sapientes scribas, & seculi huius conquisitores nominat: & quod ad dicendi facultatem & elegantiam illis maximè affectatam attinet, ita excipit: Et ego cùm venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuncians vobis testimonium Christi. Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos: & sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: vt fides vestra non in sapientia hominum, sed in virtute Dei.*

Lib. Phaleg.

1 Cor. 1.

Ibidem.

1 Cor. 2.

*Loca à filiis Iauan occupata aut maritima, aut in ipso mari sita fuisse indicat Moyses.* Filij Iauan: Elisa & Tharsis, Kethim & Dodanim. Ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundùm linguam suam,& familias suas, in regionibus suis.

*Chami verò familiæ, cùm multæ fuerint, totam terram ab Euphrate amne ad oram vsque Mediterranei maris Occasum versus, & eam quoque omnem quæ ad Meridiem vergit, mariq́ alluitur Meridiano, contiguis regionibus vsurparunt: quas postera secula Ægyptum & Æthiopias duas, atq́ Chananæam, siue Palæstinam Assyriamq́ vocarūt. Cætera verò loca omnia, à Mysia adusque Orientalis maris prima littora, in filiorum Semi potestatem concesserunt. Atque ita terrarum orbis omnis tribus primùm nationibus*

*bus ex eadem domo & familia oriundis, eodem Dei promisso comprehensis, vnaq́; septem præceptorum doctrina instructis, habitatus cultusq́; fuit, nec mortalium quispiam diuersam ab his familiis generis originem vel moliri, vel reperire vnquam verè potuit.* Hæ familiæ Noë iuxta populos & nationes suas. Ab his diuisæ sunt gentes in terra post diluuium. *Quid autem in causa fuerit quamobrem tanta postea inter homines dissidia, tanta opinionum, studiorum atque partium diuortia facta fuerint, e uestigio declarabimus. Hominum à tribus illis familiis oriundorum iam vberiùs crescenti, ac propagato numero cum diuino responso de occupandis & colendis terris, atque relinquendo ob eam rem natali solo decretum iam factum instauraretur, illud videlicet,* replete terram. *Ab Orientali regione, quæ vltra Euphratem iacet, profectæ, in latissimum campum, quem flumen illud alluebat, deuentum est multitudini, cui Senaghar antiquum nomen fuisse legimus: ibidemq́; iam de diuisione itinerum acturæ, ambitiosum incidit consilium, ex gloriæ ac famæ cupiditate natum, cuius vitij radix ex illo fraudulento monitu altiùs hæserat, Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. Summa verò consilij fuit communi studio & collatis continuatisq́; operis turrim ædificare immanis atque incomparabilis altitudinis, cui nulla aliàs in omni terrarum orbe æqualis visi posset, cuique quidquid vsquam præterea quamuis maxima mole strueretur, tamen primas concederet, & antiquitatis & authoritatis ius ac decus tribueret. Turri verò proximam construere vrbem collibebat, quæ propriam singularum familiarum contineret ostentarétque domum, atque ita singularum nomina maiestatem authoritatemq́; tueretur, vt, quamquam diuisis per terras gentibus, tamen ipsa principatum teneret, ferret ac deferret: ita vt nihil ab vllius familiæ posteris deinceps ageretur, citra suæ gentis capitis, quod in ciuitate illa mansurum erat, consilium, decretum, atque edictum. Si quid verò incommodi accideret, huius præsidium patrociniumq́; capitis peteretur, quod tum ad familiæ & generis tuitionem, tum multo magis etiam ad authoritatem, splendorem, & amplitudinem, quo præcipuè omnia reuocanda censebantur iis, quibus illa conditio perplacuit.* Eritis sicut Dij. *aliàs namque verendum, ne si nullum tantæ antiquitatis atque dignitatis superesset monumentum, illorum, qui primi habitandi orbis authores & parentes fuerant, exstinguerentur perirentq́; nomina. Neque satis videbatur intelligi in posterum Dei beneficio orbem terrarũ fuisse restitutum atque renouatum & amplificatum, cui vni laus & gratia omnis deberetur, nisi etiam eorum, per quos mundi soboles propagata fuerat, recenserentur ac celebrarentur nomina, & authoritas atque decus illa in ciuitate constaret, cum imperio ac prærogatiua iuris vnicuique domui in familias ex se profectas vel dicundi, vel exercendi, vel defendendi ac vindicandi. Nemo enim quicquam tentare ausurus videbatur aduersus eos, quorum in illa communi totius orbis patria, in illa, inquam, amplissima metropoli patrocinium cum potentia ac maiestate constaret. Hoc igitur omnium*

*illorum commune deliberatum, & rogatis ac dictis sententiis decretum, vno eodemq́ sermone pronunciatum fuit.* Erat autem terra labij vnius, & sermonum eorundem. Cumque proficiscerentur de Oriente, inuenerunt campum in terra Senaar, & habitauerunt in eo. Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento: & dixerunt, Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen nostrum, ante quàm diuidamur in vniuersas terras. *Nouam Gigantum factionem nimium illud studium laudis, & celebris nominis cupiditas moliebatur, communi omnium consensu, & consilio, argumentoq́ omni, quod ad propositi facilitatē & opportunitatem faceret, prudenter atque ex animi sententia excogitato & comparato. Quippe loci cumprimis natura ac situs, nobilem, capacem, & adspectu præclaram promittebat ciuitatem; cuius atque turris visendi auiditas, omnes ex omni terrarum orbe nationes pertractura putabatur. Artis verò ædificatoriæ peritia, & humani ingenij ad huiusmodi inuentiones intenti acumen & sagacitas, quemadmodum ex loci ipsius natura ædificiorum materia compararetur, collatis & communicatis cogitationibus reperit. Nemo autem in tanta hominum turba & copia fuit, qui à cæterorum consilio ac voluntate dissentiret, eaq́ res mortalium omnium animos gloria duci facilè arguebat: ad eam verò capiendā aliis alios adiumento esse, quàm diu vnusquisque suam eo pacto consecuturum se splendoris partem, atque apud suos obtenturum, & inter alios conseruaturum speraret: ita verò singuli suis ipsorum rebus præcipuè ac maximè prospicientes, in commune consulebant; aliosq́ iuuabant, à quibus iuuari etiam se intelligerent. Nullius itaque vel vox, vel ratio ab isto communi ac publico omnium instituto discrepauerat. Nam qui & viribus, & ingenio præstaret, facilè partem gloriæ eo tempore minoribus concedebat, quorum adhibita & coniuncta operâ meliùs ac pleniùs optatis propriis responsum iri præuiderat. Rursus qui rudiores inferioriq́ conditione essent, libenter sese præstantioribus addebant socios, opinione atque spe paris atque similis cum cæteris authoritatis & gloriæ sempiternæ. Quamobrem aduersus monitum, oraculum, & iussum Dei (quo omnes pariter vno consensu, eodemq́ studio terrarum orbem quàm primùm partiri, & ex illius à Deo promulgati iuris legibus colere iubebantur) ad comparandum sibi otium, cum splendore etiam nominis, atque ad amplitudinem authoritatemq́ in cæteras regiones propagandam sese totos dediderunt.* habitauerunt in eo, *in quo hærere ipsi manereq́ decreuerant, ac deinde ciuitate et rebus suis, tam priuatis quàm publicis, ex animi sententia compositis & constabilitis, tū demum eorum, quos interim produxissent, filiorum examina in omnes terræ partes, tanquam colonias nouas, primùm mitterent; deinde cùm temporis postularet opportunitas, renouarent veteres, quibus etiam certa colonaria ad ciuitatis illius metropolis amplitudinem & maiestatem conseruandam imperarentur.*

*Hæc*

*Hanc hominum aduersus voluntatem suam conspirationem, siue coniurationem potiùs, contrario argumēto, hoc est, dissensionibus, varietatibus, & contentionibus, ac discordiis ex eorundem ipsorum ingenio profecturis, euertere decreuit Deus, nimirum difficultate expeditioni illi & festinationi allata, quæ natura sua nec mala, nec damnanda esset, tamen menti mortaliumq́; hominum dissidia, & incommoda, atque impedimenta obijceret satis idonea ad id, quod institutum erat, perturbandum, & confundendum, ac demum dissipandum. Prouidentia itaque ac misericordia Dei vetuit ne ipsi sese homines impietatis criminibus ac sceleribus magis ac magis indies adstringerent. Siquidem vt nulla certa homini ad felicitatem via est, præter eam quæ diuino consilio, ac decreto, iussuq́; munita constiterit: ita rursus nulla ad miseriam & calamitatem magis prona ac præceps, quàm electio & voluntas ex proprio consilio profecta: hæc enim quia liberè, & nullo cogente initur, ad culpam recto tramite ducit; deinde verò ad scelus progressa, demū in interitum desinit. Hanc Adamus primus primam vituperationem subiit, volens nimirum aliud eligere & sequi, præter ea quæ ex Dei iussu cognouerat, & ipse sibi, quemadmodum diuinam mentem ex minoris partis consilio, sententia, & libidine interpretaretur, inuentā rationem faciliùs ac libentiùs admittens, quàm simplicem præceptionē eius, quo authore & ipse cōstabat, & quidquid haberet, acceperat. Hæc eadē quoque mens hisce Adami posteris fuit, nō quibus apertè Dei consiliū ac mandatū repudiari videretur, sed quibus ratio iniretur, quemadmodū cum maiore ipsorum cōmodo & splendore, quod cum primis curandum censebatur, obiri & perfici demum illud posset ex temporis, ac loci, atq; rerū præsentium copia, quæ omnia non temere sibi oblata fuisse interpretabantur: ideoq́; illorum vox non refertur huiusmodi,* Ne dispergamur, *aut,* Ne diuidamur prorsus *(namque hactenus humana sapientia cauta astutaq́; est, vt sese Deo apertè obiectam dissimulet) sed illa fuit quæ descripta iam superiùs recensetur :* Celebremus nomen nostrum antequam diuidamur in vniuersas terras. *Illud prius studiosè ac diligenter, deinde posterius hoc porrò cùm cætera iam constituta fuerint, agendum decreuerant. Priores autem partes illæ ex ipsorum consilio ac voluntate suscipiebantur, quibus demum, quæ à Deo dictatæ ac mandatæ fuerant, subiungerentur. Qui habet aures audiendi, audiat; atque hac humani ingenij imagine propiùs attentiusq́; spectata in seipso, quidnam ex se, quid verò ex Deo profectum fuerit, agendo secernat & internoscat. Idem intelligat proprij commodi studium, priuatæ electionis fontē; hanc verò errorum, flagitiorum, ac scelerum, omnisq́; improbitatis & impietatis esse officinam.* Descendit autem Dominus [*misericors ac salutis publicæ author*] vt videret ciuitatem & turrim quam ædificabant filij Adam [*parētis proprij in hoc etiam consilio & ausu imitatores*] & dixit: Ecce, vnus est populus, & vnum est labium omnium: cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis [*ad malum intentis ab adolescentia sua*] donec eas opere compleant

pleant [*Adami parentis exemplo*] Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam illorum, vt nō audiat vnusquisque vocem proximi sui. Atque ita diuisit eos Dominus in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem. *Non qui consilium mutauerint suum; quod vt spontè ac deliberatè ex priuati singulorum commodi cogitatione, spe, & persuasione cœptum fuerat, ita singulorum animo fixum immotumq; sedebat faciendi ciuitatem ac turrim, & nomen sibi comparandi ac propagandi, sed qui eius partis, qua potissimùm homines ad societatem & communionem vtuntur, hoc est, sermonis dissimilitudine ac varietate adeò discreparent, vt mutuo sibi officerent magis, quàm ad agendum opitularentur & inseruirēt. Qualis verò & cuiusmodi illa labiorum confusio fuerit, cùm non huius instituti sit explicare, aliàs opportunè nobis indicabitur, præsertim in volumine quo communem linguis omnibus meditamur artem. Vnum verò hoc loco attentè ac sanctè obseruandum constat: Quidquid ab hominibus contra Dei propositum suscipitur, quamuis maxima concordia, summa potentia, intentoq; agatur studio, apparere quidem aliquantulum posse, quantum nimirum ad manifestandam arguendamq; audaciam, temeritatem, & culpam satis fuerit; procedere verò & succedere ex ipsorum animi sententia, vel diuino consilio impedimentum afferre non posse, quo minùs opportunus & certus constet euentus.* Et idcirco vocatum est nomē eius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terrę: & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum. *Labium quidem confusum legimus, tamen institutum & consilium illorum non propterea legimus mutatum. Nemo enim fuit qui à studio & voluntate ædificandæ turris ob aliam causam destiterit, nisi quòd propter sermonis confusionem mutuo sibi obstabant, ædificij opus promouere desitum est: atque eadem perturbatio linguæ, quod habitationis communionem incommodis ac difficultatibus quamplurimis afficiebat, disiunctionem, diuisionem, & discessionem effecit; ita tamen, vt qui ex Semo prognati fuerant, partim in eadem regione, totóque tractu illo secundùm Euphratem manerent, atque inde terras ad ortum iacentes succrescenti sobole ac familiis prosemimatis occuparent, quorum omnium primæ sedes à Moyse indicantur: reliqui verò duo fratres, alter sinistram orbis partem à primi finibus inchoatam, cum interiectis mari insulis; alter maritimam illius continentis oram, cum dextera orbis portione ortum atque occasus versus tenerent. Verùm enimuero discessionem illam corporum, & consuetudinis mutuæ, non solùm varia soli ac cæli vsurpatio cōsecuta est; sed, quod multorum malorum in hominum animis ad malum procliuibus causa semper fuit, odia, inimicitiæ, ac simultates perpetuæ inter fratres ita diuisos, quæ ad postera etiam secula perdurarent. Nam cùm singulis eadem primùm fuisset mens ædificandi turrim cælo æmulam, ac domum sibi & nomen comparandi, idq; per aliorum importunum sibiq; ignotum sermonem, quo minùs consequi posset, impeditum videret, grauiter & iniquo ferens animo indignabatur*

atque

*atque inuidiosè interpretatus iacturæ ſuæ culpam in alium transferebat, vt quem commodi ſui interturbatorem exiſtimauerat, atque inde perpetuis ſuſceptis ſimultatibus bellorum, iniuriarum, direptionis, & præliorum, atque etiam contumeliarum, & probrorum, quæ mutuò exercerentur, concepta ſemina arbitramur: quibus etiam rebus antiquior illa, atque inter ipſos etiam poſteros nouis offenſionibus identidem renouata rixa acceſsit, ob impietatis à Chamo in patrem notatæ exemplum, & variam illi ac fratribus dictam ſortem, quos interim dum vita teneret, dumq́ temporis illius acerba recordatio moueret, contentionibus & opprobriis mutuis non rarò exarſiſſe, humanos mores expendenti veroſimillimum ſit. Certè nos, veteribus hiſtoriis aliquando lectis, obſeruare meminimus perpetua quarundam nationum odia & bella aduerſus alias, rurſum ſemper aliarum ab aliis petita & lata auxilia, ad illam Noahbi filiorum primam diſcordiam, ſi principium altiùs repetatur, eſſe referendam, poſt orbis terræ partitionem in trium tãtùm partium affinitates & familiaritates, atque deinde commodorũ & incommodorum ſocietates vocationem: id quod ad multa loca cognoſcenda apud Vates omnes, præcipuè verò apud Hieremiam & Ezechielem adnotaſſe operæpretiũ fuerit. Voluit autem Deus loco illi, in quo humanum conſilium, quod aduerſus voluntatem ſuam cœptum fuerat, irritum ipſe reddiderat, æterni opprobrij exemplum, nomine impoſito, poſteris omnibus eſſe, atq́ documentum perpetuum temeritatis hominum, iudiciiq́ ſui, ne quis in poſterum in eiuſmodi inſaniam incidere pararet.* Idcirco vocatum eſt nomen eius Babel, quia ibi confuſum eſt labium vniuerſæ terræ. *Nihilominus tamen improba illa animi libido, & furioſa cupiditas priuati tum commodi, tum nominis, nulli ex his quibus illud acciderat diuortium, atque adeò nulli ex illorum poſteris, quamquam multis regionibus ac locis mutatis, multis tranſactis ſeculis non modò coercita, ſed nec valde imminuta ac debilitata fuiſſe arguitur: quippe ſingulis pro ingenij proprij modo incẽſa manſit, ſuam vrbem, ſuámque turrim ſtruendi, atque opinionis & gloriæ ſibi ex ſtudio ſuo comparandæ, quamquam id diuerſis artibus & argumentis, diuerſa reperienda & comportanda materia, quæ nimirum pro temporis ac loci opportunitate commodior viſa fuerit. Singulis quoque eadem ratio inita & firmata eſt amandi ac probandi eos, quos inuento ac propoſito ſuo fauentes, ac partium ſuarum ſtudioſos eſſe conſtiterit, tanquam eiuſdem & mentis & linguæ compotes, contrà verò eos improbandi, & inimiciſsimè excipiendi, qui vel à ſe non rebus modò, ſed ſermone, atque verborum vſurpatione, vel tantillum diſſentire videantur. Certè, ſi non hæc ſiue comœdia, ſiue tragœdia ad noſtram vſque memoriam ſæpiſsime acta & ſpectata fuit, at ipſis patrum temporibus frequentiſsima fuit, atque vbique locorum ſua habuit theatra, quorum non ruinæ modò, verùm integra ædificia nobis peregrinantibus in mediis viarum compitis, in vrbibus, oppidis, atque etiam in vicis viſenda ſeſe oſtentabant: quæ an nunc etiam frequententur, non eſt noſtri conſilij diſputare; verùm illud*

*illud quod diximus propositum cunctis nationibus mansisse, ipsa diuina oracula declarant; dum singulas, quæ labio tantùm turbato disiunctæ fuerant, propriam sibi linguam confinxisse, terras vsurpatas nominibus indigetasse suis, atque certis familiarum distinctionibus celebres perdurare curasse indicat. De Iaphethi genere*: Ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundùm linguam suam, & familias suas, in nationibus suis. *De Chamitis verò*: Hi sunt filij Cham in cognationibus, linguis, & generationibus, terrisque, & gentibus suis. *De Semitis autem*: Isti sunt filij Sem secundùm cognationes, & linguas, & regiones in gentibus suis.

# De variis gentium studiis & moribus.

## CAPVT V.



QVAMQVAM *septem illa Noahbi domui ac soboli omni tradita præcepta, & quòd sua sponte omnia ferè rectæ hominum rationi & intellectioni consona essent, & quòd verè à Deo fuerant data, omnium gentium studiis constare, & moribus etiam præstari oportuit; tamen propter illud inhærens animo vitium, deligendi nimirum non semper quæ Deus præscripserit, vel non eodem, quo ille statuerit, modo excipiendi, explicandi, atque agendi, & propter ardentem libidinē celebritatis ac nominis priuatè comparandi, ac singulariter constituendi, euenit certè vt diuisis ac diductis primùm in varia loca nationibus, domesticæ illius, & communis antea disciplinæ grauitas & authoritas paulatim neglecta remitteretur, ac indies contempta, & propter vetustatem relicta, exolesceret: dum vel potentissimus, vel ingenio præstantissimus quisque pro ratione commodi, vsusq́ sui atque suorum, pro opinionis de se constituendæ, pro captandæ gloriæ cupiditate, à veteri & communi orbita diuertens, alias atque alias viuendi, agendi, atque docendi vias munire tentauerit, & vel gratia, vel persuasione, vel viribus, potentia atque opibus in opinionem sententiámque suam, aliorum partem aliquam induxerit, partē etiam pertraxerit. Qua in re authoritati cum primis propriæ, non apud præsentes modò, & eiusdem æui homines, sed apud absentes & posteros constituendæ & stabiliendæ opera industriaq́ adhibita fuit. Atque primus error in rerum omnium caput, hoc est, in veri Dei cognitionem & cultum inuectus fuit; dum frigente paulatim nominis* IEHVEH *(cuius ratio humanæ salutis continet summam) celebritate ac splendore, nomen tantum quoddam commune in vnaquaque lingua exstiterit, quod pro sermonis vsu, & imponentium iudicio, eam significaret naturam, quæ vel mortalibus omnibus, vel alicui singulariter familiæ, nationi, genti, aut populo, cum authoritate & maiestate prodesse vel obesse posse æstimaretur, cuique ob eam rem timor & reuerentia animi, atque etiam*

*etiam huic affectioni professio consona, quæ cultus dici posset, publicè dedicaretur. Duo autem hominum collegia fuisse intelligimus, quorum authoritate & industria hæc de diuinis rebus peruersa disciplina instituta & stabilita est. Alterum principum & potentiorum, qui vt maiestati, rebus nominibúsque suis consulerent, vel sese, vel parentes maioresq́; suos, vel filios ac nepotes, vxores, & alia cara desiderataq́; capita, Deos esse vel fuisse dictitauere, ac pro diis haberi & coli, populorum adulantium vel metuentium acclamatione & confirmatione sanciri curauere. Huiusmodi verò sanctiones, aut genere ipso, aut obtestatione, aut consecratione legis, aut pœna sacrabantur, eius nimirum capite, qui contrà vel fecisset, vel docuisset, aut dixisset, consecrato ac damnato. Alterum verò collegium eorum fuit, qui sese non viribus, nec opibus, aut potentiæ metu, sed sapientiæ doctrinæq́; opinione populo venditantes, mirabiles præbere studebant, ob eam rem longè pestilentiores, quod eleganti specie, ac verborum lenocinio naturalem rerum nitorem figmentis fucoq́; puerili occultantes, falsis diuinitatis nominibus indigitauerunt, & mysteriorum suo ingenio repertorum traditionibus inuolutissimis vniuersam naturam rerum transformantes, suis tantùm discipulis & sectatoribus crediderunt, cæteris verò rudioribus, & ad deceptionem habilibus, atque adeò pronis mortalibus adoranda, atque ex ipsorum præscripto colenda exhibuerunt, certis picturis & coloribus simulata, quæ spectantiũ oculos iuuarent primùm, sed propiùs attendere volentium protinus maiestatis ac numinis præconio & religione præstringerent. Vtrisque autem his authoribus consilij inuentiq́; sui fundamentum iactum fuit in fiducia ingenij hominum, quos exteriorum, atque sensibus magis peruiarum imaginibus rerum detineri potiùs ac faciliùs capi, quàm earum quæ non videntur vestigatione & contemplatione affici ac delectari intellexerant. Quam cognoscẽdi peruersitatem ab illa prima generis hominum calamitate vitiosè conflatam, iam antea cognouimus. Itaque alteri ex inuentoribus istis, vel propter beneficia sui temporis gentibus præstita, vel propter vim in impotentes illatam, sese cæteris hominibus ac posteris, etiam seculis admirandos & suspiciendos, demumq́; diuinis honoribus afficiendos contenderunt. Alteri verò, propter vsurpatam diuinarum humanarumq́; rerum scientiam ac doctrinam, non tam sese deos credi, quàm deorum authores, parentes, & assertores haberi & laudari studuerunt. Vtrique verò commentorum suorum asseclas non raros nacti, suos Deos in scenam missos, vulgari spectatorum theatro nõ modò plausu exceptos, sed probatos, sed acclamatos adoratósque obtinuerunt. Magnam verò opportunamq́; istorum proposito & consilio operam, commodúmque studium, & efficax, assentatorum genus quoddam nauauit, qui vel auaritia & cupiditate ducti, vel principum aut vulgi gratiolæ aucupio illecti, artibus iis diligenter sese dedidere, quæ in naturæ rerum confingendis ac simulandis versatur imaginibus, cuius generis pictura & sculptura sunt, sed omnium callidissima & ad afficiendum, ducendum, atque adeò pertrahendum*

*dum hominum animos præcipuè efficax Poësis, quæ, cùm pictura etiam ipsa sit, res ita simulare & conformare didicit, vt non modò picturæ & sculpturæ instar mutas & immobiles imagines oculis spectandas obijciat, sed res ipsas, cùm quæ sub cælo continentur, tum etiam quæ cælestes habentur, verisimillimas, viuentes, motu præditas, ac dicendi copia, & agendi efficiendiq; facultate præstantes, inducere nouerit; & non lumina tantùm spectantium afficere & fallere, quod duæ illæ valent; sed oculos, aures, atque adeò animũ mentemq; rapere, & quæ minimè credenda sint, credibilia probare valeat. Horum itaque artificum adulatione & principes, & sapientiæ illius insanæ professores, ad suam apud vulgus hominum obtinendam causam, plurimum profecerunt: cùm tamen vtrique, cum fautoribus & ministris pariter suis, mendacij ac fraudis à se pro veritate venditatæ conscij sibi essent. De vtroq; istorum magistrorum collegio cùm multa & varia compluribus in sacrorum voluminum capitibus, tum verò illa longè perspicua legimus: Vani autẽ sunt*

Sap. 13.

» *omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; & de his quæ videntur*
» *bona, non potuerunt intelligere eum qui est; neque operibus attendẽtes, agno-*
» *uerunt quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut*
» *gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & lunam, rectores orbis*
» *terrarum deos putauerunt. Quorum si specie delectati, deos putauerunt:*
» *sciant quanto his dominator eorum speciosior est. speciei enim generator hæc*
» *omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt; intelligant*
» *ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis: à magnitudine enim speciei &*
» *creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri. sed tamen adhuc in*
» *his minor est querela. Et hi enim fortasse errant, Deum quærentes, & vo-*
» *lentes inuenire. Etenim cùm in operibus illius conuersentur, inquirunt: &*
» *persuasum habent quoniam bona sunt quæ videntur. Iterum autem neq; his*
» *debet ignosci. Si enim tantum potuerunt scire, vt possent æstimare seculum:*
» *quomodo huius Dominum non faciliùs inuenerunt? Infelices autem sunt,*
» *& inter mortuos spes illorum est, qui appellauerunt deos opera manuum ho-*
» *minum, aurum & argentum, artis inuentionem, & similitudines anima-*
» *lium, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ. Aut, si quis artifex faber,*
» *de silua lignum rectum secuerit, & huius doctè eradat omnem corticem, &*
» *arte sua vsus, diligenter fabricet vas vtile in conuersationem vitæ, reliquiis*
» *autem eius operis ad præparationem escæ abutatur: & reliquum horũ, quod*
» *ad nullos est vsus, faciat lignum curuum, & verticibus plenum, sculpat di-*
» *ligenter per vacuitatem suam, & per scientiam suæ artis figuret illud, &*
» *assimilet illud imagini hominis, aut alicui ex animalibus illud comparet,*
» *perliniens rubrica, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem*
» *maculam quæ in illo est perliniens. & faciat ei dignam habitationem, & in*
» *pariete ponens illud, & confirmans ferro, ne fortè cadat, prospiciens illi,*
» *sciens quoniam non potest adiuuare se: imago enim est, & opus illi adiutoriũ.*
» *Et de substantia sua, & de filiis suis, & de nuptiis votum faciens inquirit.*

*Non*

*Non erubescit loqui cum illo qui sine anima est: & pro sanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vita rogat mortuum, & in adiutorium inutilem inuocat: & pro itinere petit ab eo qui ambulare non potest: & de acquirendo, & de operando, & de omni rerum euentu petit ab eo qui in omnibus est inutilis.* Atque eodem loco aliquanto inferius: *Initium enim fornicationis, est exquisitio idolorum: & adinuentio illorum, corruptio vitæ est. neq; enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum. Superuacuitas enim hominū hæc adinuenit in orbem terrarum: ideo breuis illorum finis est adinuentus. Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem: & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia. Deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta. Et hos quos in palam homines honorare non poterant, propter hoc quòd longè essent, è longinquo figura eorum allata, euidentem imaginem Regis, quem honorare volebant, fecerunt: vti illum qui aberat, tanquam præsentem colerent sua solicitudine. Prouexit autem ad horum culturam & hos qui ignorabant, artificis nimia diligentia. Ille enim volens placere ei qui se assumpsit, elaborauit arte sua, vt similitudinem in melius figuraret. Multitudo autem hominum abducta per speciem operis, eum qui ante tempus tamquam homo honoratus fuerat, nunc Deum æstimauerunt. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui aut regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt.* Vt autem materiam omnem, ex qua sua isti sibi signa confingebant, præstringamus; & quantum ad huiusmodi deceptiones & præstigias ars cōtendendo valuerit, edoceamur, idem Sapiens nobis est rursus audiēdus. Sap. 15.

*Sed & figulus mollem terram premens, laboriosè fingit ad vsus nostros vnumquodque vas, & de eodem luto fingit quæ munda sunt in vsum vasa, & similiter quæ his sunt contraria. horum autem vasorum quis sit vsus, iudex est figulus. Et cum labore vano Deum fingit de eodem luto, ille qui paulo antè de terra factus fuerat, & post pusillum reducit se vnde assumptus est, repetitus animæ debitum quam habebat. Sed cura est illi, non quia laboraturus est, nec quoniam breuis illi vita est, sed concertatur aurificibus & argentariis: sed & ærarios imitatur, & gloriam præfert, quoniam res superuacuas fingit. Cinis est enim cor eius, & terra superuacua spes illius, & luto vilior vita eius: quoniam ignorauit qui se finxit, & qui inspirauit illi animam quæ operatur, & qui insufflauit ei spiritum vitalem. Sed & æstimauerunt lusum esse vitam nostram, & conuersationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere vnumquemque etiam ex malo acquirere. Hic enim scit se super omnes delinquere, qui ex terræ materia fragilia vasa, & sculptilia fingit. Omnes enim insipientes, & infelices supra modum animæ superbi, sunt inimici populi tui, & imperantes illi: quoniam omnia idola nationum deos æstimauerunt, quibus nec oculorum visus est ad videndum, neque nares*

» *ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendũ, neque digiti manuum*
» *ad tractandum, sed & pedes eorum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit*
» *illos: & qui spiritum mutuatus est, is finxit illos. Nemo enim sibi similem ho-*
» *mo poterit Deum fingere. Cùm enim sit mortalis, mortuum fingit manibus*
» *iniquis. Melior enim est ipse iis quos colit: quia ipse quidem vixit, cùm esset*
» *mortalis; ille autem nunquam. Sed & animalia miserrima colunt: insensata*
» *enim comparata his, illis sunt deteriora. Sed neq; adspectu aliquis ex his ani-*
» *malibus bona potest conspicere. Effugerunt autem Dei laudem, & benedi-*
» *ctionem eius.* Quam eandem peruersitatem tum principum tyrannidi, tum eorũ culpæ diuus Paulus attribuit, qui sapientiam professi, hominum vulgo, quasi præstigiis quibusdam & captionibus ab illis quæ clara sunt, pulso, ad veritatem diuinam cognoscendam, &, vti fas fuerat, quærendam, tene-

Rom. 1. bras offuderunt. *Reuelatur ira Dei de cælo, super omnem impietatem & in-*
» *iustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniustitia detinent: quia*
» *quod notum est Dei, manifestum est illis. Deus enim illis manifestauit* [di-*uina videlicet per humana insinuans.*] *Inuisibilia enim ipsius, à creatura*
» *mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque*
» *eius virtus & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles. Quia cùm cognouissent*
» *Deum; non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerũt*
» *in cogitationibus* [*opinionibus*] *suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.*
» *dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam in-*
» *corruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volu-*
» *crum, & quadrupedum, & serpentium.* Atque Poëtarum carmina & commenta plurimum in huiusmodi creando errore, & in falsis animorum opinionibus atque superstitionibus gignendis confecisse, præterquam quod sua ipsorum insolente gloriatione deprehensum est, Apostolorum quoque de vera

2 Pet. 1. Dei natura & virtute testimonium dantium expositione confirmatur. *Non*
» *enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Chri-*
» *sti virtutem & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. Ac-*
» *cipiens enim* [*non ab hominibus poëtis, vt cæteri qui apud nationes vocãtur*
» *Dij, sed*] *à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa à Deo huiusmodi à*
» *magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum*
» *audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm essemus cum ipso*
» *in monte sancto.* Ita igitur euenit, vt cum dispertitis nationibus, linguarum formæ etiam variæ mutarentur, & opinionum de humanis diuinisq; rebus interea innumera & varia orirentur succrescerentq; monstra, aliis aliud, aliis nullum mundo principium aßignantibus, atque inde etiam pro ingeniorum luxurie, pro principum atque doctorum libidine, vsu, atque interdum contentione, infinita ferè portenta pro numinibus tradita colerentur: & cùm duo tantùm antea nomina essent, quibus sacrosancta illa maiestas mortalium generi appellanda esset; alterum ELOHIM, quod ad creationem, prouidentiam, & gubernationem significandam celebre fuerat; alterũ IEHVEH, cuius

*cuius arcana significatio ad publicam salutem, hominúmque felicitatem credendam, optandam, & sperandam tradita erat: huius quidem, præterquam in Semi familia & posteritate, nulla relinqueretur notitia; illius verò alterius vox quidem in Chananæorum lingua & gente maneret, non tamen vni vero atque soli Deo sanctum ac integrum seruatum, sed veritate mendaciis contaminata, compluribus rebus, vel vanis prorsus, vel à diuinitate alienis, commune factum decantaretur; cæteræ verò terrarum orbis incolæ, pari laborantes insania, nominis cuiuspiam, ad significandam diuinam naturā impositi, sanctitatem variis rebus, quibus vim ac numen esse cōfinxissent, arrogarent; ac demum temeritatis istius furore in hominum mentibus & moribus indies crescente, veri numinis, quo cuncta reguntur, notitia turbaretur. Huius autem superstitionis altissimas stirpes iam olim in gentiū variarum animis natas & auctas eiicere studentes Paulus & Barnabas, ab initio iacti seminis arguebāt, præsenti rei exemplo commoti. S.S.E. Turbæ autem cùm vidissent quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem suam Lycaonicè dicentes,* Actor. 14.
« *Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam,* «
*Iouem: Paulum verò, Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi. Sacerdos* «
*quoque Iouis qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas afferēs,* «
*cum populis volebat sacrificare. Quod vbi audierunt Apostoli Barnabas* «
*& Paulus, conscissis tunicis suis, exilierunt in turbas, clamantes & dicen-* «
*tes: Viri, quid hæc facitis? & nos mortales sumus, similes vobis homines, an-* «
*nunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cælum &* «
*terram, mare, & omnia quæ in eis sunt: qui in præteritis generationibus di-* «
*misit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semet-* «
*ipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera,* «
*implens cibo & lætitia corda nostra.*

# De posteritate Semi.

## CAPVT VI.

ILLVD *itaque superstitionis multiplex malum à primæ disiunctionis hominum temporibus natum, toto terrarum orbe per ducentûm quinquaginta quinque annorum spatia peruagatum est, vnaquaque natione, ciuitate, familia, & interdum etiam singulis capitibus proprios sibi errores & furores optantibus, atque deorum numine nomineq; indigitantibus vario: qua in re æmulatio quoque plurimum valuit, dum quisque gentem rempublicamq; suam non paucioribus aut minoribus quàm alii numinibus celebrem ornatamq; euadere contendit: id quod sigillatim ostendere & persequi, infiniti penè ac planè ingrati esset operis. Sanè eò vsque pestilentia ista grassata est, vt eorum quoque, quibus salutis publicæ mysterium ac nomen creditum fuerat, gentem & populos non leuiter*

*attigerit: nec verò vulgus tantùm ac plebem ille morbus oppreßit, sed eos af fecit quoque, quibus paternæ Semi disciplinæ, continuata primogenitorum serie, traditæ erant: namque ab Arphaxado primo Semi filio, ad Abrahamum vsque, octo numerantur ætates, proprio singulæ generis ac familiæ hæredi primario adscriptæ, Hebero, Phalego, Regur, Sarugo, Nahbori, Tarebo, & Abrahamo. Phaleghi verò tempestate disiunctionem factam legimus, qui cæteris omnibus alias atque alias, vti iam accepimus, terræ ac cæli plagas petentibus, & varia occupantibus loca, solus eam regionẽ optauit, in qua facta fuerat linguarum perturbatio, hoc est, Euphrati flumini vicinos agros, CHASDIM, siue Chaldæorum, deinceps appellatos, in quibus celeberrima, vt apparet, vrbium omnium VR dicta fuerat. His autem non primæua, sed primæuæ valde affinis lingua vsurpata fuit, quam Chaldaicam, siue Babylonicam, vel Arameam dicunt, in qua nominis IEHVEH, aut verbi etiam ex quo deductio fit, nullum exemplum exstat: nam Chaldæi interpretes illud sacrosanctum nomen quoties ex primæua lingua indicare volunt, triplici iota & vocali longa significant potiùs quàm exprimunt, in hunc modum, iii. Quamobrem nomen illud arcanum apud Semi posteros non ex materni sermonis vsu, sed ex arcanæ doctrinæ traditione mansisse censetur, à primæua & communi antea omnibus lingua conseruatum. Verùm enimuero inualescente inter cæteras nationes vani cultus & falsorum numinum superstitione, hæc natio etiam, vti dicebamus, siue inscitia, siue temeritate, siue mala æmulatione, idem vitij fecit: id quod aliquando Iosue dux populi celeberrimo ac frequentißimo concilio ex Dei mandato confessus est. Congregauitq; Iosue omnes tribus Israel in Sichem, & vocauit maiores natu, ac principes, & iudices, & magistros, steteruntq; in conspectu Domini; & ad populum sic locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israel; Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor; seruierúntque diis alienis. Atqui quemadmodũ cæteri omnes in varios diducti fuerint errores, iam indicauimus. Certè verò quæ præcipuam & maximè faustam paterni ominis ac benedicti partẽ sortita fuerat Semi familia, sicuti diximus, habuit.*

Hæ sunt generationes Sem: Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluuium. Vixitque Sem postquam genuit Arphaxad, quingentis annis: & genuit filios & filias. Porrò Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale. Vixitque Arphaxad postquam genuit Sale, trecentis tribus annis: & genuit filios & filias. Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber. Vixitque Sale postquã genuit Heber, quadringẽtis tribus annis: & genuit filios & filias. Vixit autem Heber triginta quatuor annis, & genuit Phaleg. Et vixit Heber postquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis: & genuit filios & filias. Vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reghu. Et vixit Phaleg postquam genuit Reghu, ducentis nouem annis: & genuit filios & filias. Vixit autem Reghu triginta duobus annis:

nis, & genuit Sarug. Et vixit Reghu postquam genuit Sarug, ducentis septem annis: & genuit filios & filias. Vixit verò Sarug triginta annis, & genuit Nachor. Vixitque Sarug postquam genuit Nachor, ducẽtis annis: & genuit filios & filias. Vixit autem Nachor viginti nouem annis, & genuit Thare. Et vixit Nachor postquam genuit Thare, cẽtum decem & nouem annis: & genuit filios & filias. Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran. Porrò Aran genuit Lot. Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum, in terra natiuitatis suæ in VR Chaldæorum. Duxerunt autem Abram & Nachor vxores: nomen vxoris Abram, Sarai: & nomen vxoris Nachor, Melcha, filia Aran patris Melchæ, & patris Ieschæ. Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos. Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filij sui, & Sarai nurum suam, vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de VR Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan: veneruntq; vsque Haran, & habitauerunt ibi. Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran.

## De Abrami euocatione.

### CAPVT VII.

*VBI iam terrarum orbis omnis & hominibus, & erroribus plenus ac frequens esset, ita vt veri Dei & gubernatoris mundi notitia vel turbata, vel ad paucos redacta, magis in dies vel nouis superstitionibus permixta confunderetur, vel obliuione obscuraretur; illa verò, quæ ad publicam salutem exspectandam pertinebat, disciplina etiam in Semi posteris, quibus præcipuè credita erat, vulgi consuetudine, & impiorum ac mendacium opinionibus ac doctrinis penè exolesceret: propositi sui semper memor ac tenax Deus, consilium suum arcanum non solùm commemorando ac repetendo, denunciando ac prædicendo docere, sed parare iam, adornare atque instruere cœpit, viro quodam primùm delecto, atq; nominatim excepto, ex illa pij quondam filij stirpe, cui Noahbus pater hanc præcipuè sortem in reuerentiæ ac pietatis præmium eduxerat,* BENEDICTVS IEHVEH DEVS SEM. *quam sortem planè diuinam euentu ipso confirmatam volens Deus, in maximæ ignorationis atque superstitionis turbida tempestate, luculentum sui nominis vexillum in medio terrarum tollere, atque promissi antiqui fidem apud homines instaurare decreuit: id verò arcani Abramo iam explicatiùs quàm antehac aperire, & negotium eidem dare salutaris illius nominis celebrandi, ac non posteris tantummodo suis, verùm & aliis nationibus, terrarumq; cultoribus opportunè patefaciendi & communicandi iisdem legibus antiquis repetitis, quas ab exordio mundi omnibus propriæ salutis cupidis atque studiosis sanctas obseruandasq; constitue-*

*rat, fidei videlicet & obsequij; quasq; non sermone atq; oratione modò commendatas, sed viuis exemplis ab hoc, quem vnicum ex omni orbe secernebat, mandati sui ministro præstari voluit, ac demum abunde præstitas laudauit. Fuit autem vir ille Abramus natu maximus, ex Tarahi filiis, quem, quamquam inter superstitiosos natum & educatum, tamen ob sanæ mentis animiq; candoris indicium, ad eam quam parabat rem idoneum optauerat Deus; & propter antiquæ benedictionis rationem primum excipiendum, rerū atq; consiliorum continuata series probabat: is verò ab ipso primùm actionū initio examinatus, solidæ virtutis atque pietatis singulare atque graue de se dedit specimen, magnamq; exspectationem concitauit fidei omnibus periculis comprobandæ; concitauit verò non Deo solùm, cui interna externaq; cuiusq; hominum cogitata & facta manifesta sunt, sed sociis comitibusq; suis, quos etiam pietatis ac doctrinæ veræ discipulos habuit, quosq; secum vnà peregrinaturos eduxit. Nam nullum solum mortalibus omnibus, aut carius, aut iucundius patria censetur, modò id liberè & commodè teneri, atque coli, habitariq; possit; vbi sacra, vbi genus, vbi maiorum vestigia & exempla multa, affines præterea, amici, atque conciues, quorum nota ingenia, & examinata explorataq; studia, commoda, ac suffragia: nihil verò contrà incommodius, aut importunius existimatur exsilio, nihil peregrinatione incertius ac durius, maximè quæ perpetua fore putetur; vbi omnia ferè desiderantur, quæ patriam liberè ac placidè incolentibus constant; quod & illa diuina lege significatum est: Peregrino molestus non eris; scitis enim aduenarum animas,*

Exodi 23. » *quia & ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti. Primum autem in Abrami fide atque obsequio periculum factum, primum illius delecti ad pietatem militis tyrocinium hoc in genere huiusmodi fuit:* Dixit autem IEHVEH ad Abram, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. *Quídnam relictu ac desertu tristius, nisi certa atque explorata melioris cùm soli, tum commodi constiterit antea opportunitas & copia? qualis tamen nulla huic exercitando tyroni constitit initiò, sed illud tantùm imperatum officium fuit,* Et veni in terram quam monstrauero tibi. *Id quod summum & grauissimum exemplum commendans Paulus, non sine admi-*

Hebr. 11. *ratione ad imitationis normam describebat: Fide qui vocatur Abraham,* » *obediuit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit, ne-* » *sciens quò iret. Quod verò tamquam præmij nomine adiunctum est, nō minorem tentandæ fidei materiam dedit:* Faciamq; te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Et benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ. *Senex homo, qui iam septuagesimum quartum excesserat vitæ annum, hactenus nulla auctus prole, atque adeò mulieri non solùm ætatis vltra modum prouectæ, sed planè sterilis coniugio addictus, in magnam gentem futurum se audit, quod nulli nec principum terræ, nec sapientum eorum, qui naturam vim, & op-*

*portunitatem efficacitatémque rerum, ac plagas cæli scrutantur, persuaderi poterat: ita vt propriæ patriæ, & cognationis, atque ciuitatis commoditas, certaq; vtilitas relinquenda esset. Attamen vir ille & sensu & iudicio magnus, magna prudentia & rerum cognitione & vsu præditus, nihil in iis, quæ indicauimus, cogitandis cunctatus, vnum illud sibi animo percipiendum agendumq; persuasit, quisnam is, à quo euocabatur, esset, nempe,* IEHVEH *illius quondam princeps & author promissi,* Benedictus IEHVEH Deus Sem, *qui nunc rursus idem promissum non renouare modò, sed iam fouere, adornare, atque in se instruere vellet, quiq; nulla vi, nullo obice impediri detineriq; posset, quo minùs, quidquid vellet, promitteret; quidquid autem promisisset, præstaret; modò ij, quibus promissa facta fuerint, vel minore fide, vel negato aut lento obsequio sibi non deessent ipsi.* Egressus est itaq. Abram sicut pręceperat ei Dominus. *non qui solus ac singularis locum priùs, quo migrare iussus fuerat, exploraret, atque gratum opportunumq; sibi nactus, euocata aut repetita familia, gente, & re sua, demum adiret, & habitaret: imò simulatque vocatus fuit, patriæ, cognationi, domui, commodisq; omnibus æternùm valedicens,* Egressus est sicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Lot, *quem bonorum sibi promissorum, tanquam certissimorũ, participem ac socium, secum educere studuit: adeò nihil prorsus in vllo sese vocantis hæserat verbo.* Septuaginta quinque annorũ erat Abram cùm egrederetur de Haran. *nec verò iam migraturus quicquã ex eo domus suæ, quo tunc erat, statu & ordine mutauit; nec relicta seniore ac sterili vxore, aliam sibi optandam duxit, cuius nota vel sperata fœcunditas opportunitatem haberet promisso idoneam illi,* Faciam te in gentem magnam; *sed eadẽ conditione, qua se euocatum audiebat, vtendum sibi intelligens, promissi euẽtum cum apparatu instructioneq; omni authori suo permittendum statuit; suarum verò partium esse, fidem promissis, obsequiumq; iussis, cum multa diligentia, constantia, ac seueritate seruare.* Tulitque Sarai vxorem suam, & Lot filium fratris sui, vniuersamque substantiam quam possederant, & animas quas fecerant in Haran: & egressi sunt vt irent in terrã Canaan. *quam gentibus ac populis, iisdemq; potentibus & opulentis, frequentissimam & famæ celebritate acceperant, & ipsi quamprimùm peragrare cœperunt, manifestò comperere.* Cumque venissent in eam, pertransiuit Abram terram vsque ad locum Sichem, & vsque ad conuallem illustrem: Cananæus autem tunc erat in terra. *Natio nimirum non acris modò, verùm opulentissima etiam, vtpote quæ duodecim Regibus ac gentibus celebraretur, tanta singulorum concordia, ac mutua ope & opera, vt omnibus idem antiquum gentis nomen à diuisione vsque populorum conseruaretur ac retineretur adhuc: in media autem gentis illius prosperitate peregrinus & hospes ille terram ingressus, neque vel minima ex parte possidens, tamen nunc hunc, nunc illum in agrum, sæpius mutatis tentoriis, commigrans, qui nuper se in gentem magnam futurũ exceperat, rursus illud sibi declaratum audiit.*

*audiit.* Apparuit autem Dominus Abram,& dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. *Iam non viuenti ac sentienti sibi, non iis quos vnà secum è patria abduxerat, quibus gratior vsus fructusq́ ac possessio videri posset, sed soboli, posteritatiq́ suæ, promissi euentum seruandum audit, cùm tamen ipsi nulla proles esset, nec ex naturæ exemplo ac virtute sibi, atq́ vxori illi quam habebat, sperari posset. Nimis longa profectò censeri posset felicitatis, vel conditionis illius exspectatio, cuius causa patriis ac domesticis commodis, & propria ciuitate quis abductus esset: id quod attentè obseruandum, ac diligenter*
Actor. 7. *expendendum diuinus ille concionator commendabat: Deus gloriæ apparuit*
» *patri nostro Abrahæ cùm esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in*
» *Charam; & dixit ad illum, Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni*
» *in terram quam monstrauero tibi. Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater eius, transtulit illum*
» *in terram istam, in qua nunc vos habitatis, & non dedit illi hæreditatem in*
» *ea, nec passum pedis, & repromisit dare illi eam in possessionem, & semini*
» *eius post ipsum, cùm non haberet filium. Et tamen sorte illa quam à Deo sibi parari intellexerat, contentus ac lætus, nihil sibi præterea aut alio pacto quærendum & petendum arbitratus, nisi quòd & quemadmodum ex consilio voluntateq́ Dei proficisceretur, non modò non respondit, aut excepit, aut requisiuit quicquam, sed responsum illud vltro redditum gratulatione & supplicatione suscipiendum sibi statuit.* Ædificauitque ibi altare Domino, qui apparuit ei. *vt qui satis pro tempore beatum sese putaret, quē* IEHVEH *ille humanæ felicitatis author & promotor, illud publicæ salutis negotium iam iam adornans, allocutione dignatus esset, certioremq́ fecisset promissi sui diuini, apud ipsius posteritatem primùm præstandi, atque locum illū in quo hospes tum peregrinabatur, edendorum à se munerum publicum theatrum fore, se verò, quamquam multis pòst annis, tamen illius maximæ felicitatis gratia, largitione, & communione quoque vsurum: quam viri, atque illius imitatorum mentem & consolationem in exemplum citatam, Apostolus admiratus*
Hebr. 11. *commendauit: Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis*
» *repromissionibus, sed à longè eas adspicientes & salutantes, & confitentes,*
» *quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et siquidem si ipsius meminissent de qua exierant,*
» *habebant vtique tempus reuertendi, nunc autem meliorem appetunt, id est,*
» *cælestem: ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: parauit enim illis*
» *ciuitatem. Sui ergo officij esse, illum Deum colere, & colendum prædicare, à quo tantum beneficium terrarum orbi efficiendum tribuendumq́ erat, ratus, toto peregrinationis suæ tempore ei negotio ac muneri, quocunque loci diuerteret, assiduum & flagrans studium, magnámque dedit operam.* Et inde transgrediens ad montem qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab Occidente habens Bethel, & ab Oriente Hai: ædificauitque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius.

eius. Perrexítque Abram vadens, & vltrà progrediens ad Meridiem. *Ita vero constans, ita certum diuinum crediderat promissum, vt religiosis altaribus erectis, & fidem suam, & promittentis Dei nomen, ad posterorum etiam memoriam testaretur, interim verò ipse ignotum iam illis regionibus* IEHVEH, *nomen & numen celebraret, & cognoscendum colendumq́ promulgaret. Hoc enim significant verba illa:* Et inuocauit nomen eius. *Variarum verò tum cæli ac terræ tempestatum, tum etiam rerum humanarum occasionibus oblatis, cùm solùm vertere vel iuberetur, vel vltro decerneret, duo perpetuò antiqua obtinuit, hoc est, suam in officio faciendo, & pietate colenda atque suadenda constantiam, & singularem erga se Dei prouidentiam frequenti ac multiplici periculo declaratam, cum admiratione tam inuidentium, quàm beneuolorum Regum, principum, populorum, ac priuatorũ, quibus partim metuendus ac suspiciendus cum reuerentia, partim verò diligendus, ornandus, atque opibus & honore afficiendus euasit, apud Ægyptios, in omniq́ Chananæorum, quam peragrabat, regione. id quod perpulchre à Vate decantatum, ac doctrinæ causa litterarum monimentis mandatum est, dicens: Tibi dabo terram Chanaan funiculum hæreditatis vestræ. Cùm essent* Psal. 104.
*numero breui, paucissimi & incolæ eius. Et pertransierunt de gente in gen-* "
*tem, & de regno ad populum alterum. Non reliquit hominem nocere eis, &* "
*corripuit pro eis Reges. Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis* "
*nolite malignari.* "

*Nec verò Abramus, quamquam tot modis exornatus, clarus ac celebris, aut ab humanitatis officiis, aut à vita modestia, comitate, facilitate, & morũ simplicitate vel minima ex parte deductus vnquam fuit, nec ad iniuriam cuiquam ex mortalibus inferendam, aut ad eas, quæ sæpè sibi factæ fuerant, vlciscendas animum retulit, sed aliorum cupiditati cedendo, ambitioni ac potestati nihil repugnando, suorum domesticorum ac familiarium affiniúmque importunitati, quæ sine numinis offensa esset, conniuendo non modò integer, fortis, ac sui semper similis constitit, sed omnibus, quibus cum illi res aliquando fuit, etiam vicinis quoque, atque adeò remotioribus, vel admirabilis vel formidolosus euasit, efficiente videlicet Deo, & Vatis, concionatoris, atq́ ministri sui vitam, dignitatem, famam, atque familiam, atq́ res omnes perpetua tuitione prosecuto. Quid multa? cùm hoc vnico præsidio virum vnum exigua trecentorum decem & octo seruorum manu, & paucissimorum sociorum copia, quatuor potentes Reges & victoria atque exspoliis prædáque regnorum quinque superbos intra vnius noctis atque posteræ lucis tempus vicisse, fudisse, fugasse, atque præda omni, & propriis etiam ipsorum manubiis despoliasse, & illatam nepoti suo iniuriam eadem operâ vltum fuisse, non modò principes victi nuper ab ipsoq́ restituti admirati fuerint, sed metropolis etiam vrbis Ierosolymorum Rex, atque totius Chananææ regionis præcipuum caput, idémque Dei summi Sacerdos sacro munere donatum, illo æterno rei gestæ, & victoriæ ex diuino præsidio reportatæ, laudauerit.*

Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. *Verùm ante hanc, quam commemorauimus expeditionem, vbi primùm à Loto nepote, propter pascuorum angustias non nihil turbato, discesserat; idem quod antea diuinum promissum clariùs modò atque apertiùs explicatũ, rursúsq; firmatum percepit, eodemq; fidei testimonio, hoc est, consecratis ac dedicatis* IEHVEH *suo aris, & gratulationibus decretis, sibi exceptũ professus est.* Dixitque IEHVEH ad Abram postquam diuisus est ab eo Lot: Leua oculos tuos, & vide à loco in quo nunc es ad Aquilonẽ & Meridiem, ad Orientem & Occidentem. Omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum. Faciamque semen tuum sicut puluerem terræ: si quis potest hominum numerare puluerem, semen quoque tuum numerare poterit. Surge ergo, & perambula terram in longitudine & latitudine sua: quia tibi daturus sum eam. Mouens igitur tabernaculũ suum Abram, venit, & habitauit iuxta conuallem Mambre, quæ est in Hebron: ædificauitq; ibi altare IEHVEH. *In quantam verò tum apud alios authoritatem, tum apud alios gratiã eximiæ illæ humanitatis, innocentiæ, comitatis, modestiæ, ac patientiæ, præcipuè verò fidei constantissimæ virtutes Abramum, paulo pòst Abrahamum dictum, posuerint, præter Aneri, Escolis, & Mamberi societatem, aliorumq; amicitias & consuetudines, Abimelechi Regis, illiusq; exercitibus præfecti Phicolis confessio declarauit, & fœderis ab istis procurati, ambiti, initi, atq; sanciti monumentum perpetuum posteritati relictum adhuc testatur.* Eodem tempore dixit Abimelech, & Phicol princeps exercitus eius ad Abraham: Deus tecum est in vniuersis quæ agis. Iura ergo per Deum, ne noceas mihi, & posteris meis, stirpique meæ: sed iuxta misericordiam quam feci tibi, facies mihi, & terræ in qua versatus es aduena. Dixitque Abraham: Ego iurabo. Et increpauit Abimelech propter puteum aquæ quem vi abstulerant serui eius. Respondítque Abimelech: Nesciui quis fecerit hanc rem: sed & tu non indicasti mihi, & ego non audiui præter hodie. Tulit itaque Abraham oues & boues, & dedit Abimelech: percusserúntque ambo fœdus. Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum. Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septẽ agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum? At ille, Septem, inquit, agnas accipies de manu mea: vt sint mihi in testimoniũ, quoniam ego fodi puteum istum. Idcirco vocatus est locus ille Bersabee: quoniam ibi vterque iurauit. Et inierunt fœdus pro puteo iuramenti. Surrexit autem Abimelech, & Phicol princeps exercitus eius, reuersique sunt in terram Palęstinorum. Abraham verò plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni, & fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis. *Quo luco atque altari ibidem erecto* IEHVEH *nomen declaratum & celebratum, atque eidem numini*

*æterna*

*æterno (cui* ELOHIM *vera atque diuina maiestas illa in lingua arrogabatur) Abrahamo prædicante atque celebrante, tributum intelligimus.*

*At verò dum vir ille peregrinationibus vagatur multis, nec vna diutius commoratur sede, diuini alloquij consolationibus, & nouis atque arcanis magni illius promissi repetitionibus, indiesq́ auctioribus, nō caruit, & singularium Dei consiliorum arbiter & conscius appellatus conuentusq́ fuit. Nam post gloriosam illam à quatuor Regibus reportatam victoriā, post vindicatum in libertatem nepotem, in fidem atque spem prolis ac sobolis diuino responso inductus est, quod tamen sibi naturæ vi contingere iam posse non putabat, & merito, vtpote grandæuus admodum, & optimæ quidem atque charissimæ, verùm sterilis vxoris coniugio fideliter semper vsus, nihilque aliud præterea cogitans.* His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem, dicens: Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Dixítque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis: & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer. Addidítque Abram: Mihi autem non dedisti semen: & ecce vernaculus meus, hæres meus erit. Statímque sermo Domini factus est ad eum, dicens: Non erit hic hæres tuus: sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem. Eduxítque eum foras, & ait illi: Suspice cælum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum. *Quo responso planè sapientissimus vir ille intellexit, posteritatem sibi diuino consilio ac munere sufficiendam, non numero tantùm, verùm etiam qualitatum similitudine ac natura ad eas res, quas obseruare iubebatur, esse referendam. Nam cùm antea audisset, terræ pulueri æqualem fore, terrenam quoque, cæterorumq́ mortalium instar habituram putauerat. Nunc verò quòd à terra in cælum sensu ac mente intendere, & stellarum numerum & nomina cognoscere iubetur, prudentissima cogitatione cælestem sobolem habiturum sese interpretatur, eamq́ lucidam, efficacem, & mortali ac terrena sorte superiorem, atque ita eandem terrenam & cælestem simul futuram, hoc est, mortalem & immortalem, humanam & diuinam, humanis oculis, quatenus fas sinat, spectandam, quem propter humanæ naturæ communionem sensibus comprehendere liceat, propter diuinæ verò naturæ præstantiam ex luce & virtute, vti stellas, magis quàm ex rei ipsius penetratione cognoscere contingat.* Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. *Eam iustitiam intelligimus, quam semen illud promissum mundo allaturum erat: in eiusdem codicem hoc probatæ fidei nomen Abramo relatum reputatúmque fuisse legimus. Huius verò promissi mysterium ipsa promissa Abrami soboles de generibus posteris aliquando indicabat: Abraham pater vester exsultauit vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est. &, Antequam Abraham fieret, ego sum.* Ioan. 8. *Quemadmodū verò promissum illud adornandum, expediendum, ac demum præstandum esset, cognoscere auens Abramus, admirandis arcanisq́ spectris per propheticam*

*quietem visis instructus fuit, simúlque temporum atque seculorum, quæ ad eam vsque expeditionem numeranda & obseruanda erant, seriem edoctus euasit.* Dixitque ad eum: Ego IEHVEH qui eduxi te de VR Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam. At ille ait: IEHVEH Deus, vnde scire possum quòd possessurus sum eam? Et respondens Dominus, Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit: aues autem non diuisit. Descenderuntque volucres super cadauera, & abigebat eas Abram. Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum. Dictumque est ad eum: Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua: & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Verumtamē gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo: & post hæc egredientur cum magna substantia. *Huius autem oraculi imagine, non modò posteritatis secundùm carnem sibi futuræ, humana ac terrena negotia primùm, deinde otia didicit Abramus, verùm etiam amplioris & frequentioris generis ad se fidei professione tanquam ad patrem referendi, hoc est, orbis terræ gentium omnium publicos labores sub antiqui Serpentis tyrannide perferendos, & publicæ deinde salutis, diuino munere afferendæ, mysterium cognouit, cuius arcanæ rationes & actiones apud gentem à se deducendam & procreandam expediendæ essent: id verò post suum è viuis excessum perficiendum fore; ita vt ipse huius magni ac publici beneficij non iam spectator in terris viuens, sed sperator etiam mortuus futurus esset, vnà cum iis à quibus prognatus erat: qui omnes in fide atque spe promissi huius vita functi fuerāt, quamquam non ita clarè, ac plenè arcani illius consilij ac negotij figuram prænouissent. Hoc enim ipsi beatioris contigisse doni, vt viuenti & sentienti huius rei iam à mundi initio promissæ notitia cæteris inuoluta, magis iam aperta esset; proinde morienti lætior extremus accederet dies, propter fidem & spem certam ex rei definitione & imagine confirmatam.* Hebr. 11. *Est enim fides sperandarum substantia rerum argumentū non apparentium. Hanc monitionis explicationem illa oraculi continebat pars:* Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. *Atque ita quid sibi, quid posteris suis tam ex humanis, quàm ex diuinis rebus expectandum esset, hoc oraculo arcanis verbis edito cognouit Abramus, & rationem quoque audiit, quamobrem vtriusque salutis expeditiones ad certas postea differendæ essent ætates.* Generatione autem quarta, reuertentur huc: necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus. *Atque hactenus mysterij illius maximi descriptionem certis lineis ductam, atque suis vmbris & eminentiis auctam, verbotenus, tamquam prologum vel argumentum percepit; euestigio verò ipsius rei gerendæ imaginem, siue actionem potiùs, velut in theatro quodam à Deo admissus,*

*missus, spectauit.* Cùm ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas. *Quo in spectaculo amicitiæ inter Deum & homines resarciendæ imaginem & simulachrum intuitus Abramus, magno cùm sibi ac suis, tum præsertim Deo gratulationis debitæ plausu probauit, atque integra & solida spe apud sese condita seruauit perpetuò; & suas agens partes, fidei professione gratam acceptamq; habuit: atque ita non promisso tantùm, verùm fœdere etiam ferito, admirandum illud negotium vtrinque, ex donantis videlicet & ex accipientis personis, confirmatum fuit.* In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti vsque ad fluuium magnum Euphratem, Cinæos, & Cenæzæos, Cedmonæos, & Hethæos, & Pherezæos, Rephaim quoque, & Amorrhæos, & Cananæos, & Gergesæos, & Iebusæos. *Ex hoc responso & colloquio non modò doctior prodiit Abrahamus, verùm muneris ac beneficij singularis magnitudine ornatior, vtpote certus iam cùm posteritatis sibi sufficiendæ, tum publicæ salutis apud gentem suam olim diuina virtute efficiendæ. quemadmodum verò prolem suscepturus esset, hoc diuinæ prouidētiæ integrum relictū, occasione per vxorem legitimam procurata, ac demum oblata, aliter quàm Deus instituerat, interpretabatur. Namque ille filiū quempiam sibi fore sperabat, non vltra naturæ communia exempla susceptum, sed qualem & sterilis vxor, conscia iam facta consilij diuini viro suo declarati, & ipsa euentum eo pacto quo exspectari posse intelligebat, & exspectans curabat: nimirum quam sibi ad conceptus facultatem natura negatam pernouerat, substituta pro se ancilla, & Abramo tradita, corrigendàm putans: tantum illi diuinorum promissorum pro sua parte adornandorum studium erat. Cuius rei causa Ægyptiam, quam caram habebat, ancillam Hagaram vocatam in locum suum, viro suffectam voluit, ex eaq; Ismaghelem filium susceptum sibi adoptandum decreuit. Verùm enimuero vel hoc vno exemplo doceri potuit in magnis Dei promissis & consiliis nihil ex humano ingenio vel inuento miscere fas esse: quippe quam etiam ante natum puerum intempestiuè ab ancilla contemptam, & facti, & voti pœnituerit; adeò vt sibi ipsi, ac viro, demúmque prægnanti puellæ grauem ac duram se præbere ira contumeliæ impatiens coegerit: illius verò inclementiam cùm ferendam sibi iam non arbitraretur ancilla, fuga declinandam constituit, donec Angeli, à Deo missi, voce correpta, sese sibi ac dominæ restituit, & obsequio deinceps tractatu faciliorem præstitit. Natam autem prolem, atque à matre Ismaghelis nomine indigitatam, vterque coniugum cùm foueret, & filium illum promissæ sibi gentis initiū fore existimaret; aliter habituram rem ex diuino oraculo intellexerunt: idq; cum primus edocti sunt, videlicet nullam illius maximi consilij, quod à Deo parabatur, partem humanæ virtuti acceptam ferendam, aut aliàs tribuendam esse, adeò vt neque ipsam eiusdem consilij imaginem ex naturæ consuetudine aut modo profectam quisquam ostendere aut*

 *dicere*

*dicere posset. Sed vt arcanum illud, quò hæc omnia referebantur, negotium totum prorsus ex Dei misericordia, voluntate, promisso, & efficacitate expectandum erat; ita & ipsa, quo id priùs tanquã pignore repræsentabatur, species omnis Dei singulari dono, & nunquam antea in natura rerum viso, exciperetur exemplo: ad cuius excipiendi copiam, præter fidẽ & obsequium sibi se præstitum, humana vis indicare posset nihil.* Postquam verò nonaginta & nouem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: Ego Dominus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus. Ponamque fœdus meum inter me & te: & multiplicabo te vehementer nimis. Cecidit Abram pronus in faciem. Dixitque ei Deus: Ego sum, & pactum meum tecum, erísque pater multarum gentium. Nec vltrà vocabitur nomen tuũ Abram: sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te. Faciamque te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus, Regésque ex te egredientur. Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuũ post te in generationibus suis fœdere sempiterno: vt sim Deus tuus, & seminis tui post te. Daboque tibi & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Canaan in possessionem æternam, eróque Deus eorum. *Atqui responsi huius partibus ac verbis diligenter inspectis & comparatis, diuina cum primis benignitas, & erga hominum genus ac publicum communeq́ salutis bonum perpetua voluntas & cura quædam etiam* Boni *illius iam clarior significatio ac descriptio, clarius iam & explicatius apparere incipiunt. Magnum enim quiddam, & humana sorte ac vice præstantius, illa expositione indicatur*, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te: *& illa rursus*, Eróque Deus eorum. *Atque pacti sæpius repetiti, siue fœderis identidem vltro promissi nomina id ipsum hoc indicant: ad quod fœdus ex diuina liberalitate obtinendum, simplex ac sincerus pietatis cultus ab Abrahamo, Abrahamiq́ filiis exactus & postulatus auditur, quem cultum fide & obsequio exhibendũ iam sæpissime audiuimus, & hîc breuibus verbis repetitum adnotauimus*, Ambula coram me, & esto perfectus.

Iacobi 1. *Maximi & optimi dati, & perfectissimi doni Abrahami posteritati, hoc est, hominum generi Abrahami fidem & pietatem imitato parati symbolum & arcanum argumentum illo promisso exceptum est*: Dabóque tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam. EROQVE DEVS EORVM. *Et quisquis arcanorum verborum diuino beneficio notitiam habet, facilè intelligit, quid nomina illa significent*, TERRAM CHANAAN,

De

# De circuncisionis fœdere.

## CAPVT VIII.



*B ipso mundi constituti tempore primo salutis publicæ beneficium verbis ac promissis Adamo primùm, deinde aliis piis viris, ad Abrahamum vsque promissum fuerat, idemq; Abrahamo hactenus variis modis repetitum & instauratum, nusquam tamen signo aliquo aut monimenti pignore vel tessera significatum. Quemadmodum hoc eodem oraculi tempore Abrahamo significatum, arcanoq; ritu commendatum Deus voluit, idq; ex opportunitate promissi illius,* ERO DEVS EORVM, *celebrari cœptum est: namque promisso illo id arcanè significabatur, fore videlicet, vt Deus gentem sibi pararet sanctam, & adeò gratam, vt perpetua gratia, beneficentia, & communicatione suorum donorum dignam effectam, multis partibus augeret ac donaret, quarum causa sese illi perpetuò Deum singulariter prouidentem & fauentem præberet, vt cæteris Adami filiis non secus quàm luminaria cæli tenebris, præstantem, peculiari modo ac iure, præ reliquis hominibus, Dei populum, nec non Dei filios esse dicendam & appellandam: cuius cognoscendæ signa interna, manifesta, certaq; forent, propter inditam diuino munere virtutem & sanctitatem: interea verò dum tempus illud consilio Dei destinatũ exspectaretur, rem ipsam promissam imagine quadam oculis sensibusq; cognoscenda significatam, ac omni terrarum orbi monstratam & spectatam Deus voluit; nempe delecta sibi gente, atque certis legibus & conditionibus deuincta, ac veræ virtutis doctrinis erudita, quam ipse singulariter ornatam, partibus auctam, multis cæteris nationibus antecellentem, admirandam prorsus redderet, tum propter optimè constitutæ reipublicæ exemplũ vnicum, tum verò propter manifesta diuinæ curæ, & singularis erga se prouidentiæ ac benignitatis aßidua & perpetua, omniq; ex parte comprobanda argumenta, ita vt si quæpiam mortalis natio Deo immortali grata & familiaris peculiarisq; esse posse existimaretur, hæc vna ac præcipua esset: vtpote quæ, quod ad vitæ disciplinam attinet, omnium esset sapientißima; quod ad consuetudinem, mores, & officia, omnium videretur innocentißima & optima; quod ad Dei cultum, religiosißima; denique quod ad diuinæ benignitatis, gratiæ, & custodiæ, ac tutelæ vsum, cunctarum beatißima censeretur. Atque his omnibus partibus ac rebus id interim significaretur, & credendum sperandumq; susciperetur, quod de vero atque gratißimo illo populo diuina virtute congregando, comparando, atque in proprium æternumq; regnũ sibi dicando & sacrando Deus apud se constituerat, & piis viris ac Vatibus indicauerat. Huius rei symbolum, siue signum externum, in ea humani corporis membrorum parte Deus notari iußit, quæ cordis imaginem repræsentat, quæq; præcipua appetentiæ ministra est. Hanc enim nudam & simplicem porrò deinceps manere, & hominem*

*ipsum*

*ipsum id characteris præferentem frænandæ compescendæq́; libidinis perpetuò admonere voluit; ea lege, vt quisquis huiusmodi signo professionem suam testari vel negligeret vel recusaret, is nec Deo, nec hominibus in illius delecti populi ac nominis communione censendus esset. Huius autem, de quo agimus, externi signi ritus ratioq́; omnis ab Angelo Dei interprete in hunc institutus sunt modum.* Dixit iterum Deus ad Abraham: Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est pactum quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te: Circuncidetur ex vobis omne masculinum: & circuncidetis carnem præputij vestri, VT SIT IN SIGNVM FOEDERIS inter me & vos. Infans octo dierum circuncidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus quàm emptitius circuncidetur, & quicunque non fuerit de stirpe vestra: eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. MASCVLVS CVIUS PRÆPVTII CARO CIRCVNCISA NON FVERIT, DELEBITVR ANIMA ILLA DE POPVLO SVO: QVIA PACTVM MEVM IRRITVM FECIT. *Quo in præcepto complura adnotanda obseruandaq́; sese offerunt; ac præter tempus infantibus definitum, præter sexum quem lex hæc appellabat, præter locum & modum, quæ omnia certa significatione & causa non carent, illa nunc ad institutum nostrum propiùs accedunt, nempe circuncisionem illam in carne factam, non propriè fœdus, verùm* FOEDERIS *dici* SIGNVM. *Namque fœderis efficientiam & authoritatem Deo adscribi, acceptamq́; referri oportuit; cuius negligens aut contemptor esse iudicabatur, quicunque signi professione non sibi optatā ostenderet: deinde verò nec hac prærogatiua populi Dei, nec dignitate & communicatione quempiam ex omnibus terræ nationibus excludi modò optantem & expetentem, atque adeò suscepta lege, & fœderis signo accepto professum: ex eo enim consequebatur, eiusmodi populi ius ac decus, non in vnius tantùm Abrami domus ac posteritatis naturali propagatione sufficiendæ angustiis tenendum, sed patefacta petentibus cunctis ianua, terrarum orbi omni communicandum esse. Huius verò diuinæ copiæ ac liberalitatis imagine illud indicabatur, regnum illud, quod in hominum animis instituere, sibiq́; ponere Deus parabat, mortalium nemini, quamuis secundùm carnem remotissimo, negādum esse, modò eo pacto ac modo, iisdemq́; legibus accipiendis diligenti studio quæreretur. Quanquam verò circuncisio, aliàs fœdus dicatur, quod ex elocutionis ac sermonis compendio & figura magis quàm ex re explicandum fuerit; tamen fœderis esse signum Deus ipse declarauit. Namque fœdus propriè mutuum consensum dicimus de pace, amicitia, societate, imperio, regno, vel dominatione, aliáve vitæ cōmunione. Atque hoc loco ac tempore octauum præceptum, septem illis à Noahho acceptis Abramo additum, adnotare est; quod vt naturæ atque humanæ rationis communia elementa non adeò clarè spectare videbatur, ita religiosam magis arcanamq́; occultarum rerum significationem portendebat. Atque ita salutis publicæ*

publicæ diuinum consilium contemplantis animum à communi naturæ sapientia ad maiora & sublimiora cogitanda certis gradibus prouehebat, &, quorsum mysteria hæc euasura essent, iubebat attendere; cùm iam maius quippiam, quàm naturæ vis vsusq; præstare poßit, ad publicæ salutis authoritatem & expeditionem exspectandum videretur: id verò vt ita habere pluribus iisdemq; admirandis obseruari posset signis, negotium illud maximum qua parte humanæ quoque naturæ communicatione conficiendum erat, singulari atque nouo, planeq; diuino modo vnicus tantæ rei author Deus adornauit & inchoauit. Antiqui serpentis caput mulieris conterendum semine prædictum fuerat, ex quo responsó fides hominibus fuerat facta, victoria illius virtutem & efficientiam homini cuidam fore olim tribuendam: sed quis nam qualisve homo is futurus esset, nondum hactenus fuerat promulgatum & cognitum; quod interim dum conficiendum iam esset, celari oportere, diuino consilio iudicatum fuit: iis verò, quibus promißi illius maximi notitia erat, homo quispiam ex viro atque muliere genitus, & communi ac vulgato naturæ modo & exemplo editus, maximo illi conficiendo operi à Deo instruendus & præficiendus esse credebatur: ex eoq; factum est, vt primo sibi genito ac nato filio antiquißima viuentium mater, cui hanc prouinciam deferendam arbitrabatur, compendij, & lucri, atque emptionis nomen imponeret, CAIN, dicens, Possedi hominem per Deum; siue, vt verborum germana significat vis, Possedi virum singularem apud IEHVEH: eadem verò secundum, veluti ad eiusmodi rem præstandam nec idoneum, nec natum, ABEL, vocaret, quæ vox vel luctum, vel interitum, vel his affinem frustrationem significat. Cùm verò res illa omnis ex animi sententia non succeßisset, sed qui parentibus potior visus erat & melior, deterior euadens, fratrem, qui verè bonus, sanctus, iustusq; exstiterat, interfecisset, seseq; vltro & obstinatè à Dei gratia & misericordia alienasset; mutata iam sententia, tertium filium, quem probum fore optabat & præsagiebat, cū magnæ virtutis opinione, atque etiam beneficij diuini exspectatione, SETH nominauit, dicens: Posuit mihi Deus SEMEN aliud pro Abel quem occidit Cain. Atque ita porrò spes & exspectatio huiusmodi à maioribus accepta, piis hominibus, tanquam hæreditas quædam diligenter & accuratè fouebatur adusque Noahhi tempus, cui quamprimum nato mater nomen illud fecit, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum Genesis 5.
nostrarum in terra cui maledixit Dominus. Quin etiam & huc spectans Noahhus exspectationem illam à patribus acceptam in Semum translatā voluit, BENEDICTVS IEHVEH DEVS SEM. Quicunque enim illius arcani consilij ac propositi Dei cognitionem habebant, euentum quidem sperabant certißimum: tempus autem cùm ignorarent, singuli quam proximum optabant & expetebant, quibusq; modis poterant, fidem atq; spem professi suam, sollicitabant, &, quantū fas esset, vrgebant. Sicut scriptum est: Et conuersus Iesus ad discipulos suos, dixit: Beati oculi qui vident quæ vos Lucæ 10.

*videtis: dico enim vobis, quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ vos auditis, & non audierunt. & Petrus ait, Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum; de*
1 Petri 1. *„ qua salute exquisier unt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis „ gratia prophetauerunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in „ eis Spiritus Christi: prænuncians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores „ glorias: quibus reuelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem mi„ nistrabant ea quæ nunc nunciata sunt vobis, Spiritu sancto misso de cælo, in „ quem desiderant Angeli prospicere. Atqui vt cætera post Semum primogenitorum nomina (quæ ab huius arcani ratione non aliena sunt) omittamus, ipsum viro, de quo agimus, factum à parentibus nomen* ABRAM, *diuinum beneficium planè spectasse videtur, vt quod patrem sublimem significet. itaque, vt diximus, antiqui omnes, quibus arcana consilij Dei notitia, vel ex inspiratione Dei, vel ex recta & hæreditaria maiorum disciplina contigerat, cùm rem per hominem conficiendā crederent, sua quisque pro parte exoptatam atque expectatam colere, fouere, & celebrare studebant: id quod Abraham diligenter etiam agens, quemadmodū ad se pertinere intelligere posset, oraculo iam superiùs citato quærebat: Domine Deus, quid dabis mihi? Ego*
Genesis 15. *„ vadam absque liberis: & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Elie„ zer. Addiditq́ Abram, Mihi autem non dedisti semen. Statimq́ sermo Do„ mini factus est ad eum, dicens: Non erit hic hæres tuus: sed qui egredietur de „ vtero tuo, ipsum habebis hæredem. Cui quidem promisso proxima fuit Saræ solicitudo, sedulitas, & cura de suscipiendo ex ancilla filio, eodemq́ sibi adoptando: qui cùm iam natus, educatus, & circuncisione, hoc est, diuini fœderis signo adnotatus fuisset, fortassis Abrahamo videbatur hic idem fore, cuius ad posteritatem illud pertineret, Et benedicentur in semine tuo omnes familiæ terræ. Sed vt beneficium illud prorsus diuinum, atque ex vnius Dei virtute profecturum erat, in quo nihil carni & sanguini iuris & authoritatis arrogaretur; ita & eius, per quem conficiendum erat, ortum Dei altissimi virtute edendum olim parabatur. Atque eius etiam à quo stirps illa propaganda erat, hoc est, filij & seminis Abrahamo promissi exemplum nō vulgare ac naturale prorsus, cæterisq́ natalibus hominum persimile, sed vltra naturæ vires & vsum singulari Dei efficientia edendum parabatur, in quo perspiceretur quid quantumq́ fides diuinis dictis & pollicitis habita impetrare ac reportare posset, & quatenus eadem omnē, quæ naturæ viribus præstari possit, humanam operam & facultatem excelleret. Quamobrem ea omnia quæ ad hoc institutum suum comparanda delegerat, noua inauditaq́ in rerum natura hactenus, & non solùm rebus ipsis, verùm nominibus etiā ac verbis, titulis atque definitionibus de integro promouenda & perficienda esse declarauit oraculum.*
Genesis 17. Dixit quoque Deus ad Abraham, Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, CVI BENEDICTVRVS SVM, eritque in nationes, & Reges

Reges populorum orientur ex eo. Cecidit Abraham in faciem suam, & risit; in corde suo dicens: Putásne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet? Dixítque ad Deum: Vtinam Ismael viuat coram te. Et ait Deus ad Abraham: Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabísq. nomen eius Isaac, & constituam pactum meum illi IN FOEDVS SEMPITERNVM, ET SEMINI EIVS POST EVM. Super Ismaël quoque exaudiui te. ecce benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valde: duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam. PACTVM VERO MEVM STATVAM AD ISAAC, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero. Cúmque finitus esset sermo loquentis cum eo, adscendit Deus ab Abraham.

*Sarai nomen à parentibus factum, singularem quandam authoritatem significabat, quod Latinis auribus dominam siue heram meam sonaret: quod ab illis singularitatis angustiis ad generalis & communis principatus definitionem traducens Deus, plurimorum credentium sobole & prærogatiua augendam mulierem declarabat; vt quæ vix antea vnius familiæ mater erat, de cætero nullo cohiberetur aut arctaretur termino, nullo certo numero definiretur eorum quibus mater princepsq́ dicenda esset: nam non tam iis quos naturali propagatione ex se orituros sperare posset, quàm iis quos fidei imitatione eodem quo ipsa modo conceptura & paritura erat, in populi Dei familia adnumerandos diuinum portendebat responsum, hoc est, ex promisso Dei, cuius singulari ac propria virtute & efficientia filius ille, qui iam desperatis naturæ viribus promittebatur, suscipiendus erat.* Dabo ex illa tibi filium. *Ex vxore vetula, ac pluribus de causis sterili, filium sese centenario homini daturum promittit; quem si maximè illo ætatis parentibus natura concedere posset (vt verè non poterat) tamen diu victurum atque ipsis superstitem negaret, cùm vsu venire videamus, vt ij qui longæua matre & patre nascũtur, vel vitales non sint, vel, si supersunt, imbecilli & valetudinarij semper viuant. Atqui vt omni ex parte huius prolis & copia, & vita, & ratio omnis suæ singulari virtuti ac voluntati tribueretur, non vitalem modò, verùm beatum, felicem, atque sobole procreanda prosperrimum suo beneficio fore Deus pollicetur ac declarat:* Cui benedicturus sum, erítque in nationes, & Reges populorum orientur ex eo. *Quod promissum cùm magna fide exciperet Abraham; quin præ gaudio cum ingenti risu prosequeretur, temperare non potuit, vtpote qui contra spem in spem crederet, se multarum gentium futurum patrem, non quidem ex naturæ facultate, sed ante Deum cui crediderat. Illius verò fidei atque lætitiæ tum monumentum æternum, tum omen optimum ipso nasciturì infantis nomine publicè declarare & statuere iussus est Abrahamus.* Vocabísque nomẽ eius Isaac. *Risus perpetui significationem verbum ipsum præfert: atque publicæ calamitatis luctũ veterem cum æterna lætitia se authore permutandum, Deus portendebat. Hæc verò fidei constantia, hæc certitudo, atque adeò efficacitas est, vt nondum natus*

 *puer,*

*puer, sed promissus tantùm, vtrique tamen parenti lætitiam risúmq; fecerit. Namque & mater ipsa auditum inter virum & Angelos hospites de conceptu partúq; suo sermonem gaudio ac risu prosecuta fuit.* Cúmque comedissent, dixerunt ad eum: Vbi est Sara vxor tua? Ille dixit: Ecce in tabernaculo est. Cui dixit: Reuertens veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium Sara vxor tua. Quo audito Sara risit post ostium tabernaculi. *Cui risui diuinum promissum opportunitatem ac materiam dedisse narratur.* Erant enim ambo senes, prouectæque ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria. Quæ risit, occultè dicens: Postquam consenui, & dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? *Nec verò ambigentis feminæ risus hic fuit, sed præ insperati iam antea gaudij copia & magnitudine gestientis, ac sibi maritóq; gratulantis: id verò gaudium diuinæ virtuti acceptum prorsus referri debere, illa cum viro pariter repetito, atque certis terminis definito promisso edocta est.* Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare risit Sara, dicens, Num verè paritura sum anus? Nunquid Deo quicquam est difficile? Iuxta condictum reuertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium. Negauit Sara, dicens, Non risi, timore perterrita. Dominus autem, Non est ita, inquit, sed risisti. *Vtriusque parentis risus diuino promisso motus, & fide excussus, lætum ac beatum futuri filij natalem, & planè cum imperato nomine conuenientem præmonstrabat: quæ res felici euentu confirmata, atque publicis tum matris, tum patris gratulationibus celebrata fuit, cum magna vicinorum omnium admiratione & lætitia.* Visitauit enim Dominus Saram sicut promiserat: & impleuit quæ locutus est. Concepítque, & peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus. Vocauítque Abraham nomen filij sui quem genuit illi Sara, Isaac. & circuncidit eum octauo die, sicut præceperat ei Deus, cùm centum esset annorum: hac quippe ætate patris, natus est Isaac. Dixitque Sara: Risum fecit mihi Deus: quicunque audierit, corridebit mihi. Rursúmq; ait: Quis auditurus crederet Abraham quòd Sara lactaret filiú quem peperit ei iam seni? Creuit igitur puer [*tantum virtutis effœto iam matris corpori fides auxerat*] & ablactatus est: fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.

*Igitur Abrahami non ita pridem sterilis domus duplici prole iam beata & celebris erat, ita vt de hærede nulla superesset solicitudo aut cura. Verùm enimuero quia præcipua & maxima atque optima hæreditas ijs bonis definiebatur, quæ ex diuino proposito ac promisso profectura, nullum alium præter Deum authorem laudatura erant; is tantùm qui ex promisso per fidem susceptus erat, filius illius diuini doni ex asse hæres Dei sententia ac voce declaratus est; cuius in posteritate illud toties repetitum præstandum esset.* IN SEMINE TVO BENEDICENTVR VNIVERSÆ COGNATIONES TERRÆ. *Et quidem Ismaghelus, qui non singulari promisso ac dono,*

*dono, sed communi cum cæteris exemplo Abrahamo fuerat ortus filius, & quia natu maior, & quia vnicus ante hac, & ancillæ matris indulgentia, patre sene, vt fit, interdum conniuente, insolentior fortaßis euaserat (quales Adami filij sua sponte, nisi compescantur, esse solent) certè viribus editior cùm esset, in puerilibus lusionibus molestiorem ac duriorem sese minori atq; naturâ modestiori liberalioris q; indolis fraterculo præbebat, primus ipse ad ludendum prouocans, & facilè, vt fit, verberans, ac flere lugereque cogens. S. S. E. Qui secundùm carnem natus erat, persequebatur eum qui secundùm spiritum.* Galat. 4. Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem « cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eiice ancillam, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Durè accepit hoc Abraham pro filio suo. Cui dixit Deus: Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua: omnia quę dixerit tibi Sara, audi vocem eius: quia IN ISAAC VOCABITVR TIBI SEMEN, *id est, non qui filius est carnis, hic filius Dei; sed qui filius est promißionis, æstimatur in semine.* Rom. 9. *Igitur Abrahamus commigrare iusso filio qui secundùm* « *carnem fuerat natus; cum coniuge, & nato illo in quo promissa acceperat, id est, cum Isaaco, ipse post compositum cum Palæstinis fœdus, in optato sibi sæpius loco consedit: vbi concionatoris ac magistri officium faciens, pietatis religionis q; veræ disciplina tum familiam suam, quam frequentem habuit, tum verò vicinos, & quotquot cognoscere & erudiri velle intelligebat, instruxit.* Abraham verò plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomen IEHVEH Dei æterni: Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

# De tentatione Abrahami.

## CAPVT IX.

MAXIMA & *pretiosißima dona hominibus à se parata declarare, promittere, & repetitis promißis identidem in memoriam reuocare ac denunciare, benignitatis & magnificentiæ quoque Dei fuit, & curæ planè diuinæ ac paternæ simul; eiusdem quoque fuit iudicij, consilij, & prouidẽtiæ, prospicere & cauere, ne homines ipsi in tantæ felicitatis studio sibi deessent, sed ea præstarent quæ ad pacti ac promißi illius veritatem & constantiam exigebantur, hoc est, fidem & obsequium, ab ipso mundi initio tanquam lex & conditiones postulata. Hæc enim & antiquis omnibus, quibus promissum illud denunciatum fuerat, & Abrahamo etiam, qui cum de eadem re apertiùs & familiariùs, vt ita loquamur, agebatur, prædicta erat conditio: nam non multo ante natum Isaacum, consilium suum de exercendo in Sodomam & Gomorrham iudicio Abrahamo declaraturus Deus, in hũc modum deliberasse narratur:* Num celare potero Abraham Genesis 18. quæ gesturus sum: cùm futurus sit in gentem magnam ac robustissimam,

mam, & BENEDICENDÆ SINT IN ILLO OMNES NATIONES TERRÆ: Scio enim quòd præcepturus sit filiis suis, & omni domui suæ post se, vt custodiant viam IEHVEH, & faciant iudicium & iustitiam, vt adducat IEHVEH propter Abraham omnia quę locutus est ad eum. *Igitur ipsum primò delectum virum, quem ex cæterorum hominum gregibus vnicum credentium atque peculiaris populi sui patrem futurum secreuerat, omnibus examinatum ponderibus, in medio terrarum orbe sistere & proponere Deus voluit, virum, vnde fidei & obsequij veri, atque verè pij exempla peterentur, iis quibus ad eandem salutem à Deo impetrandam animatis cuiuscunque virtutis periculum fieret, longè minus ac lætius futurum*
1 Cor. 10. *eo quod in hoc præstantißimo viro factum est. S.S.E. Fidelis est Deus, qui ,, non patietur vos tentari vltra id quòd potestis, sed faciet cum tẽtatione prouentũ: Vt probatio vestræ fidei multo pretiosior auro, quod examinatur igni,*
1 Petr. 1. *,, inuen. & c. Nemo enim esse potest homo vel paterni affectus amorisq́ cõscius, vel etiã humani sensus compos, qui tantæ viri huius fidei & constantiæ, tantæq́ obedientiæ spectacula vel cogitando non solùm non admiretur, sed non etiã stupefactus intueatur, præcipuè verò cuius ita acriter examinãdi primi in omnibus mundi ætatibus exemplum fuerit: nam quæ postea cõsecuta sunt omnia (præter vnum Iesu Christi, de quo suo dicetur tempore) & minus dura fuere, & monstrata ex Abrahami vestigiis via expediri faciliùs posse, & ad felicem perferri exitum credita sunt, idq́ fuit euentis certis comprobatum. Quemadmodum verò res omnis hæc acta fuerit, ipsum Dei Vatem diligentißimè narrantem audire est operæpretium.*

Genesis 22. Quæ postquam gesta sunt, tentauit Deus Abraham, & dixit ad eũ: Abraham, Abraham. At ille respondit: Adsum. Ait illi: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium quem monstrauero tibi. Igitur Abraham de nocte consurgens, strauit asinum suum; ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum: cumq; concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus. Die autem tertio, eleuatis oculis, vidit locum procul. Dixitq; ad pueros suos: Exspectate hîc cum asino: ego autem & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos. Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem & gladium. Cúmque duo pergerent simul, dixit Isaac patri suo: Pater mi. At ille respondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna: vbi est victima holocausti? Dixit autem Abraham: Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter: & venerunt ad locum quem ostenderat ei Deus, in quo ædificauit altare, & desuper ligna composuit: cúmque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum. Extendítque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.

Hæc

*Hactenus Abrahami officium constitit, cuius fuerat simul diuinis promissis credere, & iussis prorsus absque exceptione cunctatione've vlla studiosè pariter ac diligenter obtemperare, imperatisq; rebus operam dare sedulam, quamuis alia aliis pugnare, & non modò non cohærentia, sed maximè disiuncta atque contraria viderentur: id quod de hoc eodem exemplo disserens Apostolus opportunissimè adnotauit: Fide obtulit Abraham Isaac cùm tentaretur; & vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones (ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen) arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus: vnde eum & in parabolam accepit.* Hebr. 11.

*Iam verò, vt institutum nobis repetamus opus, in humanæ felicitatis negotio duplices esse agendas partes indicabamus: alteras Dei benignè polliciti, alteras hominis ad felicitatem vocati, & contendentis: in his nihil vel ingenij, vel propriæ industriæ oportere poni, sed intellectu in fidei obsequium tanquam in seruitutem addicto, cæteras animæ virtutes & facultates omnes, memoriam, voluntatem, appetentiam, operam, solertiam, quidquid denique propriæ facultatis censeri possit, in iis, quæ iussa fuerint, facessendis, consecrare ac ponere; diuini verò consilij ac muneris esse, rerum omnium fines & exitus reperire, aliarum breuiùs, aliarum verò longiùs modos ac terminos constituere, omnia autem felicissimis demum euentis absoluere & perficere, atque gratiæ benignitatisq; suæ elogio & præconio exornare: id quod & in hac Abrahami tentati imagine ostendit: cuius quod efficere potuerat studiosè præstantis fidem & obsequium orbi omni perspecta, & sibi probata, excepto primùm ab instanti cæde filio, promissi maximi instauratione, & iam singulari magis arcani felicitatis humanæ futuri antistitis insinuatione prosecutus est: nam cùm ille mitissimum & obsequentissimum iuuenem filium ad victimæ ritus vitis ligatum mactabundus cultro iam peteret:* Ecce Angelus Domini de cælo clamauit, dicens: Abraham, Abraham. Qui [*nihil omnino turbatus, verùm totus sibi constans, ac maximæ fidei efficientia in omnem partem integer*] respondit: Adsum. Dixitque ei: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam: nunc cognoui quòd timeas Dominum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me. Leuauit Abraham oculos suos, viditque post tergũ arietem inter vepres hærentem cornibus: quem assumens, obtulit holocaustum pro filio. Appellauitq; nomen loci illius, Dominus videbit. Vnde vsque hodie dicitur, In monte Dominus videbit. Vocauit autem Angelus Domini Abraham secundò de cælo, dicens: Per memetipsum iuraui, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cęli, & velut arenam quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & BENEDICENTVR in semine tuo omnes gẽtes terræ, quia obedisti voci meæ. *quia nullius præterquam iussi mei rationem tibi habendam duxisti, idq; fidelissimè*

*ſimè ac fortiſsimè nihil præterea moratus faceſsiſti. Antehac Abrahamu
nationes omnes terræ in ſe benedictum iri audiebat, cùm tamen ſe hominem
eſſe agnoſceret, nec maledictionem illam antiquam delere, humanæ opus eſſe
intelligeret: verùm ille, promiſsi fidem tenens & colens, rationem & modum
omnem Dei conſilio permittebat. Nunc verò iam accipit ſemen quoddam ſibi
à Deo paratum, idem quod ab initio hominum generi, hoc eſt, Heuæ poſteri-
tati promiſſum fuerat, in quo omnes gentes terræ, hoc eſt, ab Adamo oriun-
dæ nationes omnes, ad felicitatis communionē vocandæ admittendæq; eſſent.*

*Iſaci in illa pietatis diſciplina educati ætas ad triceſimum ſeptimum ado-
leuit annum, in quo Sara mater vita defuncta, filio piiſsimo deſiderium ſui
maximum reliquit, cuius corpus in agri empti ſepulchro condendum ſtudio-
ſiſsimè curauit Abrahamus. Namque illi quamuis dominorum ac principum
terræ liberalitate inemptæ ſepulturæ conditio offerretur, benignè tamen re-
cuſata eſt; quippe cui terra illa in poſſeſsionem promiſſa eſſet, quæ ſi viuenti-
bus vxori ac ſibi nondum contigiſſet (quia nondum completa erat Amor-
rhæorum iniquitas) tamen vita functis perpetuæ hæreditatis iure firmanda
credebatur, eodemq; nomine poſteris relinquenda ſuis optabatur, veluti pro-
miſsi terreni pignus certiſsimum, à quo illi propter emptionis veræ celebra-
tionem publicam nullo iudicio pelli poſſent, vtpote qui poſſeſsionem teneren
omnium quæ in terris vſurpari poſſunt ſtabiliſsimam; qualem ſepulchro-
rum ac monumentorum antiquitas omnis eſſe voluit, non ſolùm certam ac
propriam, ſed religionum etiam authoritate vendicatam: adeò vt ſi obla-
gratis conditio Abrahamo placuiſſet, ſemel iam admiſſa, & conditi corpor
vſu conſtituta, vel hoc vno nomine perpetuò manſura eſſet, nedum ſi iuſta
legitimi pretij indicatione atque exſolutione, mutuoq; venditoris & empto-
ris conſenſu, ac teſtium præſentium frequentia & celebritate, communi
comprobatione, nulliusq; interceſsione rem actam tranſactamq; publicè con-
ſtaret. Hoc enim pacto emptorem, emptorisq; hæredes, quod partem illam ſ
ctabat, non tam hoſpites aut adſcriptos, quàm ciues iuſtos ac legitimos habe-
ius ratioq; poſtulabat.* Vixit autem Sara centum viginti ſeptem ann

Geneſis 23. & mortua eſt in ciuitate Arbee, quæ eſt Hebron, in terra-Chanaan
venitque Abraham vt plangeret & fleret eam. Cumque ſurrexiſſe
ab officio funeris, locutus eſt ad filios Heth, dicens: Aduena ſum
peregrinus apud vos: date mihi ius ſepulchri vobiſcum, vt ſepeliam
mortuum meum. Reſponderunt filij Heth, dicentes: Audi nos do-
mine, princeps Dei es apud nos: in electis ſepulchris noſtris ſepe-
mortuum tuum, nullusque te prohibere poterit; quin in monume-
eius ſepelias mortuum tuum. Surrexit Abraham, & adorauit pop-
lum terræ, filios videlicet Heth: dixitque ad eos: Si placet animæ
ſtræ vt ſepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro
apud Ephron filium Seor, vt det mihi ſpeluncam duplicem, qu
habet in extrema parte agri ſui: pecunia digna tradat eā mihi co-

vobis in possessionem sepulchri. Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. Respondítque Ephron ad Abraham cunctis audientibus qui ingrediebantur portam ciuitatis illius, dicens: Nequaquam ita fiet, domine mi; sed tu magis ausculta quod loquor: Agrum trado tibi, & speluncam quæ in eo est, præsentibus filiis populi mei, sepeli mortuum tuum. Adorauit Abraham coram populo terræ, & locutus est ad Ephron circunstante plebe eius, Quæso, vt audias me: Dabo pecuniam pro agro: suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum in agro. Respondítque Ephron, Domine mi, audi me: Terra quam postulas, quadringentos siclos argenti valet: istud est pretium inter me & te: sed quantum est hoc? sepeli mortuum tuum. Quod cùm audisset Abraham, appendit pecuniam quam Ephron postulauerat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ. Confirmatúsque est ager, quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex, respiciens Mambre; tam ipse, quàm spelunca, & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum, Abrahæ in possessionem vendentibus filiis Heth, & cunctis qui intrabant portam ciuitatis illius. Atque ita sepeliuit Abraham Saram vxorẽ suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mambre, hæc est Hebron in terra Chanaan. Et confirmatus est ager, & antrum quod erat in eo, Abrahę in possessionem monumenti à filiis Heth. *Quo exemplo Abrahamus vltra illam studiosè, accuratè, & legitimè quæsitam & obtentam possessionem; vnde nunquam ampliùs in Chaldæam reuerti, in animum induxerat suum; duo etiam cogitasse, & posteris suis agitanda & retinenda reliquisse obseruatur: Alterum fuit, certissimã fidem atque spem profiteri de terreno promisso regionis illius, à sobole genteq́ sua obtinendæ ac possidẽdæ, vbi sibi atque vxori & agrum emeret, & sepulchrum strueret, quod procreandis à se familiis, vt paternum monumentum indicandum visendumq́ constaret, & vitæ ac peregrinationis suæ ex diuinæ prouidentiæ consiliis ac monitis peractæ, memoriã visentibus audientibusq́ renouaret: Alterum, vt terrenæ illius possessionis, qua ipsi tunc vterentur, quaq́ ipse mortuus eatenus vsus esset, imago veritatem & constantiã cælestis illius alterius promissi, cuius velut vmbra terrenum hoc fuerat, exspectandam recolendamq́ doceret ac moneret: quippe cùm ipse adeò certam credidisset, vt vel hoc pacto ac modo professus declararet, videlicet, quòd vxorem, quamquã ad vitæ extremum hospitem, tamen post mortem ciuem sepulchri ac cippi, atque adeò agri possessione auctam videret, & se ipsum pari iure vsurum iam constitueret. quamobrem & alterius illius promissi, quamquam nondum maturati, nec viuenti tunc ac sentienti præstiti, tamen post has mortalis vitæ peregrinationes, copiam ab illius principe atque authore iis demum, quæ indicata fuerãt, nempe fide & obsequio, purè expensis, exsolutis, ac probatis, liberalissimè tandem sibi esse faciendam. Vxore autem iam honestissimè & liberalissimè*

X *compo-*

*composita ad rem illam quam præcipuam & maximam animo ac votis omnibus agebat; nihil priùs faciendum sibi putauit, quàm filio, ad quem diuini promissi promouendi ratio attinebat, vxorem parare non vulgarē, nec qualem hominum consuetudo commendaret, verùm quam Dei consilium, iudicium, atque authoritas deligeret & approbaret. Poterat quidem tam diues, tamq; celebris, qui iam apud omnes illarum regionum incolas in magna erat gratia, vir vel opulentissimæ cuiusque, aut potentissimæ in terris illis familiæ affinitates, si expetisset, obtinere nullo negotio, imò magno etiam cū emolumento & plausu: nam nemo princeps filiam suam negaret iuueni ornatissimo, atque ab ipsis vsque natalibus admirabili, tantæq; pecuariæ rei & locupletis domus hæredi vnico futuro, atque viuentis quoque patris participi. Verùm cur in huiusmodi cogitationem nunquam Abrahamus animum induxerit suum, complura in causa fuere, illudq; cum primis, nempe totam filij sui vitam, omnemq; agendi rationem ad institutum & propositum Dei referenda sibi esse, atque illius consilio, voluntati, & prouidentiæ committenda; quippe cuius matrem etiam antequam suscepisset, non ex alia, quàm ex gente sua, sibiq; maximè affinem & cognatam, imò propè germanā sororem esse Deus voluerat, cuius naturam & ætatem quamlibet impedientem, obstantem, & abnuentem, vel potiùs desperantem, tamen promissi efficientia & virtus non refecerat vel correxerat modò, verùm immutauerat, & ex sterilitate multiplici in admirandam inauditamq; fœcunditatem conuerterat.* Genesis 17. *Pactum meum, ait, statuam ad Isaac quem pariet tibi Sara in tempore isto, in anno altero. Ex huius autem consilij ac promissi felicissimo euentu, Abramus totum illud à Deo paratum de publica hominum salute negotium apud Semi gentem & sobolem, atque adeò suam ipsius cognationem, expeditum confectumq; iri intellexit. Namq; hoc Deus viro fidei disciplina disertissimo cognoscendum obijciens, curandumq; committens, filium ex cognatione sua, nec tamen ex noua aliqua illinc repetenda, ac pro vxore sterili suscipienda muliere, verùm ex ipsa propria ac legitima coniuge Sara & pollicitus fuerat, & reapse præstitit: ex cuius beneficij tempore & exemplo sapienter ipse argumentatus est, primùm nolle Deum quidquam ad illam rem ex Chananæorum gente, quamquam vicina, peti aut comparari, sed suam tantùm ipsius cognationem delectam indicare. Deinde nullam tantam apud cognatos propinquosq; suos in huiusmodi petitione difficultatem oriturā esse, quam prouidentia Dei, cui vni propositi ac promissi sui cura esset, non emolliat & corrigat, ac demum componat eadem vi & efficientia qua nonagenariæ mulieris natiua infœcunditas in nouam admirabilemq; fœcunditatem subitò euaserat. Præterea cùm sibi ac posteris suis Chananæorū terram illam ex diuina liberalitate fide iam exceptam teneret ex promisso illo,* Ibidem. *Daboq; tibi & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternā; nulla ex parte, nulloq; alio nomine, quàm diuini promissi veritate, authoritate, & efficientia possessionis illius ius in posterum cōstare debere*

*debere intellexit & voluit: neque vllam affinitatis aut cognationis cum Chananæis initæ vel dari, vel allegari posse exceptionem passus est, quo minus diuino promisso atque dono facultas copiaq́; omnis & ius hæreditatis accepta prorsus referenda essent. Hanc verò cogitationem illud quoque firmauit, non sibi frustra paulo post illam tentationem nunciatum de numerosa prole Nachori fratri suo apud Mesopotamiam nata, cum nominum etiam catalogo studiosè recensito.*

*Nec verò Abrahami optatum & votum fefellit euentus, immo potiùs non tam animi sententiam, quàm singularem Dei prouidentiam voluntatémque probauit, non ei modò qui curauerat, sed illis ad quos de aduocanda sponsa legatus missus est, cum præfatione diuini illius nominis* IEHVEH, *cuius notitia & religio apud Semitas nondum fuerat exstincta. Huius verò admirabilis consilij ac beneficij Dei historia sic habet:* Erat autem Abraham senex, dierumque multorum: & Dominus in cunctis benedixerat ei. Genes. 24. Dixitque ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone manum tuam subter femur meum: vt adiurem te per Dominum Deum cæli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo Isaac. Respondit seruus: Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, nunquid reducere debeo filium tuum ad locum de quo tu egressus es? Dixitque Abraham: Caue ne quando reducas filium meũ illuc. Dominus Deus cæli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus est mihi, & iurauit mihi, dicens, Semini tuo dabo terram hanc: ipse mittet Angelum suũ coram te, & accipies inde vxorem filio meo. sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento: filium meum tantùm ne reducas illuc. Posuit ergo seruus manum sub femore Abraham domini sui, & iurauit illi super sermone hoc. Tulítque decem camelos de grege domini sui, & abiit, ex omnibus bonis eius portans secũ, profectúsque perrexit in Mesopotamiam ad vrbẽ Nachor. Cúmque camelos fecisset accũbere extra oppidũ iuxta puteum aquæ vesperè, eo tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquã, dixit: Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, & fac misericordiam cũ domino meo Abraham. Ecce ego sto prope fontẽ aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquã. Igitur puella cui ego dixero, Inclina hydriam tuã vt bibam; & illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potũ: ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligã quòd feceris misericordiam cũ domino meo. Necdum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filij Melchæ vxoris Nachor fratris Abrahã, habens hydriã in scapula sua: puella decora nimis, virgoq́; pulcherrima, & incognita

viro. descenderat autem ad fontem,& impleuerat hydriam,ac reuertebatur. Occurritque ei seruus,& ait: Pauxillum aquę mihi ad bibendum præbe de hydria tua. Quæ respondit: Bibe, domine mi. Celeriterque deposuit hydriam super vlnam suam,&dedit ei potum. Cúmque ille bibisset,adiecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam,donec cuncti bibant. Effundensq́ hydriam in canalibus, recurrit ad puteum, vt hauriret aquam:& haustam,omnibus camelis dedit. Ipse autē contemplabatur eam tacitus,scire volens vtrùm prosperum iter suum fecisset Dominus, an non. Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas,appendentes siclos duos:&armillas totidem pondo ciclorum decem. Dixítque ad eam: Cuius es filia? indica mihi. est in domo patris tui locus ad manendum? Quæ respondit: Filia sum Bathuelis,filij Melchæ,quem peperit Nachor. Et addidit,dicens: Palearum quoque & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus est ad manendum. Inclinauit se homo,& adorauit Dominum, dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam & veritatem suā à domino meo, & recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei. Cucurrit itaque puella, & nunciauit in domum matris suæ omnia quæ audierat. Habebat autē Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem, vbi erat fons. Cumque vidisset inaures & armillas in manibus sororis suæ,& audisset cuncta verba referentis, Hæc locutus est mihi homo: venit ad virum qui stabat iuxta camelos, & prope fontem, dixitque ad eum: Ingredere, benedicte Domini,cur foris stas? præparaui domum,& locum camelis. Et introduxit eum in hospitium,ac destrauit camelos,dedítque paleas & fœnum camelis, & aquā ad lauandos pedes eius,& virorum qui venerant cum eo. Et appositus est in conspectu eius panis. Qui ait: Non comedam donec loquar sermones meos. Respondit ei: Loquere. At ille, Seruus,inquit, Abraham sum. Et Dominus benedixit domino meo valde, magnificatúsque est:& dedit ei oues & boues, argentum & aurum, seruos & ancillas, camelos & asinos. Et peperit Sara vxor domini mei filiū domino meo in senectute sua, deditque illi omnia quæ habuerat. Et adiurauit me Dominus meus,dicens: Non accipies vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito: sed ad domum patris mei perges, & de cognatione mea accipies vxorem filio meo. Ego verò respōdi domino meo: Quid si noluerit venire mecum mulier? Dominus, ait, in cuius conspectu ambulo, mittet Angelum suum tecum,& diriget viā tuam: accipiésque vxorem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei. Innocens eris à maledictione mea, cùm veneris ad proximos meos, & non dederint tibi. Veni ergo hodie ad fontem,& dixi: Dñe Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam in qua nunc ambulo,

bulo, ecce sto iuxta fontem aquæ, & virgo quæ egredietur ad haurendam aquã audierit à me; Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum de hydria tua: & dixerit mihi; Et tu bibe, & camelis tuis hauriã: ipsa est mulier quam præparauit Dominus filio domini mei. Dumq; hæc tacitus mecũ voluerem, apparuit Rebecca, veniens cum hydria, quam portabat in scapula: descenditque ad fontem, & hausit aquam. Et aio ad eam: Da mihi paulum bibere. Quæ festinans deposuit hydriã de humero, & dixit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis tribuam potũ. Bibi, & adaquauit camelos. Interrogauíque eam, & dixi: Cuius es filia? Quæ respondit: Filia Bathuelis sum, filij Nachor, quem peperit ei Melcha. Suspendi itaque inaures ad ornandam faciẽ eius, & armillas posui in manibus eius. Pronúsque adoraui Dominũ, benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, vt sumerem filiam fratris domini mei filio eius. Quamobrem si facitis misericordiam & veritatem cum domino meo, indicate mihi. sin autem aliud placet, & hoc dicite mihi, vt vadam ad dexteram, siue ad sinistram. Responderuntque Laban & Bathuel: A Domino egressus est sermo: non possumus extra placitum eius quicquam aliud loqui tecum. En Rebecca coram te est: tolle eam, & proficiscere, & sit vxor filij domini tui, sicut locutus est Dominus. Quod cùm audisset puer Abraham, adorauit in terram Dominum. Prolatísque vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit Rebeccæ: fratri quoque eius & matri dona obtulit. Inito conuiuio, vescentes pariter & bibentes, manserunt ibi. Surgens autem manè, locutus est puer: Dimitte me, vt vadam ad dominum meum. Responderuntque frater eius & mater: Maneat puella saltem decem dies apud nos, & postea proficiscetur. Nolite, ait, me retinere, quia dominus direxit viam meam: dimittite me, vt pergam ad dominum meum. Et dixerunt: Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem. Cúmque vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ ait: Vadam. Dimiserunt ergo eam, & nutricem illius, seruumque Abraham, & comites eius; imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes: Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum. Igitur Rebecca, & puellæ illius adscensis camelis, secutæ sunt virum: qui festinus reuertebatur ad dominum suum. Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam quæ ducit ad puteũ, cuius nomen est Viuentis & Videntis: habitabat enim in terra australi: & egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die: cúmque eleuasset oculos suos, vidit camelos venientes procul. Rebecca quoque conspecto Isaac, descendit de camelo, & ait ad puerum: Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei: Ipse est dominus meus. At illa tollẽs citò pallium suum, operuit se. Seruus autem cuncta quæ gesserat, narrauit Isaac.

Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit eam vxorem: & in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret. *Iam verò post Isaaci diuinæ felicitatis patri promissæ hæredis rem ac domum rectè, piè, ac sanctè constitutam, Abrahamum longo æuo potitum, & multis modis à Deo ornatū, in eadem, quam tradendam posteris suis crediderat, regione ex huius mortalis vitæ peregrinatione dies recepit extremus, & commune cū Sara vxore sepulchrum sua pecunia emptum, curatum, & factum, adusque promissi terreni præstandi tempora conditum seruauit.* Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum septuaginta quinque anni. Et deficiens mortuus est in senectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum: congregatúsque est ad populum suum. Et sepelierunt eum Isaac & Ismahel filij sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron filij Seor Hethæi, è regione Mambre: quam emerat à filiis Heth. ibi sepultus est ipse, & Sara vxor eius. Et post obitum illius benedixit Deus Isaac filio eius, qui habitabat iuxta puteum nomine Viuentis & videntis. *quod nomen & Isaaco, & Ismagheli sanctum faustúmque fuit, ac diuinæ in se prouidentiæ argumentum perpetuum.*

# De promotione diuini propositi apud Isaacum.

## CAPVT X.

IN *Abrahami veri illius in seculis pietatis cultoris & antistitis, diuiniq́ nominis & consilij præconis ac doctoris, atque fidei efficacissimæ exemplaris, iam vita ac munere pariter defuncti locum Isaacus filius, ac paternæ virtutis & pietatis hæres & imitator, suffectus fuit. Cuius in promouenda familia admirabile quoque cùm naturæ & modi, tum significationis exemplum exstare voluit Deus, benedictionis accipiendæ hæreditatem decernens ei, non qui naturæ vi & serie prior ac maior, aut viribus robustior, opibusq́ potentior emineret, sed ei potiùs, qui quamquam aliàs omni huiusmodi laudum, quæ magnæ apud homines putantur, minor haberetur, tamen fidei ac probitatis indole maior ab ipsis vsque natalibus euaderet. Atque in huius viri duplici prole totius orbis terrarum in duas partes diuisam gentem diducere, monstrare, ac præsentare Deus constituit. Alteram eorum, qui doctrinam de vera pietate, deq́ diuino proposito, & hominum officio à parentibus acceptam seruarent & colerent: alteram verò eorum qui ad alia dogmata diuerterent, & omnia vel ad vim & potentiam, vel ad sapientiam humanam referrent. Quas ab initio dissidentes, disiunctas, ac ferè capitali odio discordes, magna tandem mutatione & conuersione rerum in pacis ac salutis communionem restitutum iri, diuina* resp-

*responsis est prædictum. Hanc verò Isaaci historiam, vtpote certis exemplis, & ad publicæ salutis rationem pertinentibus insignem, singulari & notabili inscriptione enarrandam, Spiritus sanctus dictauit.* Hæ quoque sunt generationes Isaac filij Abraham. Abraham genuit Isaac: qui cùm quadraginta esset annorum, duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia, sororem Laban. Deprecatúsque est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quòd esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in vtero eius paruuli, quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit me concipere? perrexitque vt consuleret Dominum. Qui respondens ait: Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populúsque populum superabit, & maior seruiet minori. Iam tempus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti sunt. Qui primus egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus: vocatúmque est nomen eius Esau. Protinus alter egrediens plantã fratris tenebat manu: & idcirco appellauit eum Iacob. Sexagenarius erat Isaac quando nati sunt ei paruuli. Quibus adultis factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Isaac amabat Esau, eo quòd de venationibus illius vesceretur: & Rebecca diligebat Iacob. *Complura in narratione hac ad institutum nostrum facientia obseruanda adnotãdaq; sese offerunt, cum primis verò promissorum Dei veritas constantissima, ac maturatio sapientissima, qui interea dum Amorrhæorum impietas, quæ tunc efferuescebat, vel pœnitentia mutaretur, vel ad supplicij vsque tempus decoqueretur, electum sibi ad salutis arcanam expeditionem populum certa serie creare, ac producere, propagaréque decreuit, & miraculis, portentis, ac singularibus illustrare signis, vt sibi iam optatum ac dicatum facile esset intelligere. Namque ex vnico vocato Abrahamo cùm multas alias gentes ortas, tum præcipuè Isaacum, qui sanguinis siue seminis Abrahami cognomentum præcipua quadam prærogatiua hæreditarium haberet, quiq; vno ex conceptu duobus liberis auctus, duplicis populi patrem se fore ex oraculo disceret, quorum maior minori seruiturus demum esset. Quo in responso notitiam cœpit eorum qui doctrinam diuinitus acceptam à principio seruaturi essent, qui tamen multo pauciores, & potentia minores censendi erant aliis, qui in varias distributi nationes, factiones, & partes, totum ferè orbem obtinerent, atque diuersis cùm linguis tum doctrinis & opinionibus implerent, & potentiæ, gloriæ, ac terreni commodi amplificationi studerent primùm, atque in huius vitæ mortalis vsu, splendore, & ornamentis felicitatis, ac boni summam ponerent: sed qui postea tandem diuina veritate informati ac persuasi, ab illo viuendi ac sentiendi genere in minoris quondam populi sententiam, doctrinam, communionem, & familiaritatem, atque adeò obsequium concederent.*

*Præterea mirari conuenit varium gemellorum ingenium, quorum alter natu-*

*natura validior ac robuſtior, maiorq́; etiam & in fœtus quoque maturitat[e] prior; alter verò mollioribus conſtans elementis, atque ideo ingenio ſedatio-re, minusq́; robuſtis membris, eodem tempore geniti ſunt. Quare nihil vter-que ſideribus, aut cælorum momentis & habitibus debere cenſendus. quippe vnum idemq́; tempus ſibi vendicantes, vno ex compreſſu geniti ambo, nec al-ter in hanc vitalem aurã ſine altero editus, tamen adeò ingenio, indole, ſen-ſu, ſtudio, & moribus diſpares, vt nec gemellus gemello, nec frater fratri, ſe[d] nec homo homini magis videatur poſſe reperiri diſsimilis. Nec verò eos qu[i] audierint, in minorem admirationem traducere poteſt illud, videlicet mino-rem abuſque matris aluo tanto viribus & robore, atque corporis membro-rumq́; vigore & habitu impari, tamen maiori primas in paterna domo ac familia præripere contendiſſe, vt & illum intra materna viſcera luctation[e] exercuerit, atque ex vtero non niſi ſecum prodire permiſerit, ita verò forti-ter pede tenuerit, vt, quoad ambo ſimul exſtarent, diuelli ſe non fuerit paſſu[s], magna & ſtupenda portenti explanatione, nimirum fore vt hic illi veræ vi-tæ, cuius cauſa vterque naſcebatur, anteuertat progreſſus. Vnde & perpetu[a] in luctatione victoriæ nomen à parentibus diuino Spiritu monitis accepit.* Idcirco appellauit eum IAGHACOB.

# De Iacobi indole.

## CAPVT XI.



VNO *eodemq́; partu editi, iiſdemq́; parentibus orti pueri illi ge-melli, ab ipſa infantia penè diuerſa indole præditi, variam de ſe iis, quibus noti erant, ſpem facere cœperunt. Namque Eſau, qui, quòd prior prodire cœpiſſet, maior habebatur, ad res foris geren-das, & ad bellicas arteis, atque ad humanam quam appellant gloriam, ido-neus futurus viſus eſt: quippe qui adhuc puer, ad curſus, iaculationis vaga-tionis, ac venationis ſtudiũ animum adiecerat, nec domum ad parentes niſi ſerus & præda onuſtus redire conſueuerat, à literis verò, vel ciuilibus aut religioſis diſciplinis, nimio plus abhorrens videbatur. Contrà verò minor mitem animum, ingenium ſedatum, domeſticis rebus aptum, ad artes hone-ſtas, & vitæ ac familiæ vtiles propenſum præferebat: iiſq́; detinebatur tan-tùm laboribus, quos parenti vtrique, præcipuè verò matri gratos, & domui vtiles eſſe intellexerat; paſtorum greges vbi oportebat, & ouium caulas atque magalia inuiſens, & pecuariam rem, quaſi præfectus, libenter curans. Hoc enim narrationis expoſitio illa ſignificat,* Habitabat in tabernaculis. *Si-quidem & parentes, vt hoſpites, & parentum paſtores, ex more id genus vm-brarum & habitationis incolebant. Hic itaque pietatis ac diuinorum pro-miſſorum rationem & leges à parentibus edoctus, tota mente, aſsiduaq́; me-ditatione recolens, illud etiam quod ex matre de oraculo ſingulari audierat,*

MAIOR SERVIET MINORI, *animo identidem volutans, tacitusq́ secum cogitans, plena fide magnaq́ spe conceptum fouebat: & non frustra se cum fratre intra vterum cõtendisse, cumq́ prodeunte vna pone hærentem in lucem fuisse editum argumẽtabatur. Hanc cogitationem confirmabat mirus amor, quo animum erga diuinarum rerum notitiam incensum gerebat, nihil aliud libenter, præter hoc vnum agentem, cæteraq́ omnia in hanc cogitationem referre solitum, idq́ primùm studebat, quemadmodum quod fide, spe, ac voto præceperat, aliquo etiam certo ac manifesto iure sibi aliquando palàm vendicaret: cumq́ totus in hoc esset, & suo studio, & fratris insolentia, temeritate, & impia neglectione effectum est, vt quidquid natura alteri in sacris arcanisq́ rebus ac diuinis promißis iuris, dignitatis, & authoritatis tribuerat, id optanti, auenti, atque sapientißimè curanti sibi emptionis contractu, ritu, ac lege, & iuramenti vi in possessionem atque vsum cederet; approbante consilio Dei, & impiam contemptionem venditoris damnante. Quamquam enim temporibus ac seculis illis ex filiis qui plures eidem patri contigissent, quod ad rei familiaris rationem attinebat, nemo præcipuè ac propriè hæres ex asse vllis legibus institutus videretur, sed hoc iuris totum ad paternũ referretur arbitrium; tamen in illa Semi, atque adeò Abrahami progenie, posteritate & familia primogenituræ prærogatiuam obtinere præstantißimæ beatißimæq́ sortis esse censebatur. quippe quam donorum cælestium, atque humanæ salutis consequerentur arcana promissa, maximus & præstantißimus bonorum omnium thesaurus ex illa domo & familia omnibus terræ orbis nationibus reserandus, impertiendus, & communicandus, quem tamen non tantùm vilißimo pretio panis & lentis Esau proditum vendidisse, sed per summum quoque nephas contempsisse & spreuisse narratur.*

Sexagenarius erat Isaac quando nati sunt ei paruuli. Quibus adultis, factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Isaac amabat Esau, eo quòd de venationibus illius vesceretur: & Rebecca diligebat Iacob. Coxit autem Iacob pulmentum: ad quem cùm venisset Esau de agro lassus, ait: Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen eius Edom. Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua. Ille respondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita? Ait Iacob: Iura ergo mihi. Iurauit ei Esau, & vendidit primogenita. Et sic accepto pane & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit, paruipendens quòd primogenita vendidisset. Genesis 25.

# De promiſſo, promiſſique conditionibus ad Iſaacum repetitis & inſtauratis, deq. perpetua & certa prouidentiæ diuinæ erga pios tutela & cura.

## Capvt XII.

POST *ſuſceptos & iam adultos geminos liberos, qui bipertiti generis hominum repræſentabant perſonas, alter Caino illi priſco moribus, ingenio, ſpecie, ſtudiisq; non adeò diſsimilis, nimirum fornicator & prophanus à Spiritu ſancto notatus; alter vero Abelo miti atque innocenti ſimillimus, & qui patientia, comitate, & prudentia fratris animos tolerare, ferre, ac retinere nouerat; interea euenit vt Iſaacus pater propter difficultatem annonæ, ſummamq; rei frumentariæ inopiam, qua communiter apud Chananæos laborari cœptum fuerat, in Aegyptum commigrare decernens, à Deo monitus quieſcere ſecurusq; agere, nec de victu tantum familiæ parando, quantum de pietatis diſciplina & inſtitutione curanda & promouenda ſollicitus eſſe iuberetur, atque eadem regione manere in qua tunc hærebat; vbi quamquam hoſpes adhuc, nec certum viuendi domicilium habens, tamen tamquam dominus aliquando futurus, & proprius incola peragrare, & promiſsi terreni naturam, ingenium, & partes omnes indagare & cognoſcere poterat ac debebat.*

*Non ignarum neque immemorem fuiſſe Iſaacum illius Abrahamo patri inter cæſas & diuiſas hoſtias dormienti dati reſponſi, & res, & ratio indicat, & eius etiam oraculi, quod mox commemorabimus, argumenta declarāt, ex quibus illud vnum eſt:* Complens iuramentum quod ſpopondi Abraham patri tuo. *Ex hac verò notitia cogitabat idem ſibi conſilium capiēdum, quod Abrahamo patri in ſimili cōmunis ac publicæ famis tempeſtate ceptum fuerat, maximè cùm patri prædictum eſſet, fore ſuum ſemen in terra non ſua peregrinum, atque illinc demum in Chananæam regionem cum magna ſubſtantia remeaturum: id verò prænoſcentem pium ac fide conſtanti virum, illa ratio ſubiit, eſſe iam fortaßis illius migrationis opportunitate præſenti vtendum, & quadringentos annos illos in reſponſo indicatos incipere (quos tamen non à ſuo, ſed à reſponſi tempore enumerandos diuina prouidentia præfixerat) quamobrem ne ſi fortè id ita, vt cogitabat, decretū iam eſſet, ipſe Dei voluntati, & ſuæ ipſius ſaluti deeſſe videretur, de migratione ſeriò agebat quantū poterat; quid porrò euenturum eſſet, Dei permittebat prouidentiæ, à qua, vti diximus, illud iter inchoare prohibitus, & apud Palæſtinos hærere iuſſus, quàm diu hæſit, non tantùm incolumis ac tutus Dei tutela vixit, verùm eiuſdem patrocinio ac beneficio carus, gratus, & ornatus, & re ſ[...] multis*

Geneſis 15.

*militari auctus, euasit, & sacrosanctum salutaris numinis nomen liberè & feliciter cultum, assidueq́; celebratum prædicauit eodem in loco, in quo iam antea pater quoque publicè prædicauerat.* Orta autem fame super terram Genesis 26.
post illam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Isaac ad Abimelech regem Palæsthinorum in Gerara. Apparuitque ei Dominus, & ait: Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi. Et peregrinare in ea, eróque tecum, & benedicam tibi: tibi enim & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum quod spopondi Abraham patri tuo. Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli: daboque posteris tuis vniuersas regiones has: & BENEDICENTVR IN SEMINE TVO omnes gentes terræ, eo quòd obedierit Abrahã voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea, & ceremonias legésque seruauerit. Mansit itaque Isaac in Geraris. Qui cùm interrogaretur à viris loci illius super vxore sua, respondit: Soror mea est, timuerat enim confiteri quòd sibi esset sociata coniugio: reputans, ne fortè interficerent eum propter illius pulchritudinem. Cumque pertransissent dies plurimi, & ibidem moraretur, prospiciens Abimelech rex Palæsthinorum per fenestram, vidit eum iocantem cum Rebecca vxore sua. Et accersito eo, ait: Perspicuum est quòd vxor tua sit: cur mentitus es eam sororem tuam esse? Respõdit: Timui ne morerer propter eam. Dixitque Abimelech: Quare imposuisti nobis? potuit coire quispiam de populo cum vxore tua, & induxeras super nos grande peccatum. Præcepitque omni populo, dicens: Qui tetigerit hominis huius vxorem, morte morietur. Seuit autem Isaac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum: benedixítque ei Dominus. Et locupletatus est homo, & ibat proficiens atque succrescens: donec magnus vehementer effectus est, habuitque possessiones ouium & armentorum, & familiæ plurimum. Ob hoc inuidentes ei Palæsthini, omnes puteos quos foderant serui patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo: in tantum, vt ipse Abimelech diceret ad Isaac: Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde. Et ille discedens, vt veniret ad torrentem Geraræ, habitarétque ibi: rursum fodit alios puteos, quos foderãt serui patris sui Abraham, & quos, illo mortuo, olim obstruxerant Philisthiim: appellauítque eos iisdem nominibus quibus antè pater vocauerat. Foderúntque in torrente, & repererunt aquam viuam. Sed & ibi iurgium fuit pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua. quamobrem nomen putei ex eo quod acciderat, vocauit Calumniam. Foderunt autem & alium: & pro illo quoque rixati sunt, appellauítque eum Inimicitias. Profectus inde, fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocauit nomen eius Latitudo, dicens: Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit crescere super terram.

Ascendit autem ex illo loco in Bersabee, vbi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicens: Ego sum Deus Abraham patris tui; noli timere, quia ego tecum sum: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum propter seruum meum Abraham. Itaque ædificauit ibi altare: & inuocato nomine Domini, extendit tabernaculum: præcepitque seruis suis vt foderent puteum. Ad quem locum cùm venissent de Gerari Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum, locutus est eis Isaac: Quid venistis ad me hominem quem odistis, & expulistis à vobis? Qui responderunt: Vidimus tecum esse Dominum: & idcirco nos diximus: Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus, vt non facias nobis quicquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet; sed cum pace dimisimus auctũ benedictione Domini. Fecit ergo eis conuiuium: & post cibum & potum surgentes manè, iurauerunt sibi mutuò: dimisitque eos Isaac pacificè in locum suum. Ecce autem venerunt in ipso die serui Isaac annunciantes ei de puteo quem foderant, atque dicentes: Inuenimus aquam. Vnde appellauit eum Abundantiam: & nomen vrbi impositum est Ber-sabee, vsque in præsentem diem. Esau verò quadragenarius duxit vxorem Iudith filiam Beeri Hethæi, & Besemath filiam Elon eiusdem loci: quæ ambæ offenderunt animũ Isaac & Rebeccæ.

# De primario hæreditatis iure, Iacobi causa firmato.

## CAPVT XIII.



*ON modò primas in familia paterna partes illas, quæ diuinam arcanamq; dignitatem & prærogatiuam spectabant, vbi vendisset Esau, contempsit & risit, nec nomen ex illo contractu impositum* EDOM *aspernatus refutauit; verùm nihil minùs ... sibi curæ esse re ipsa declaraturus, vxorem, non quam parentes ad illius lectæ sobolis instructionem secernere ac deligere vellent, exspectatã, sed quam ipse sibi pro libidine optauerat, vltrò duxit vnam atque item alteram, ambas ex Chananæorum gente, cuius mores Deo inuisos cognoscere oportuit, ... suis patri ac matri suspectos & vehementer ingratos nosse: quo facto se prorsus ab illa de genere suo purè conseruando cogitatione alienum esse prod...* Esau verò quadragenarius duxit vxorem Iudith filiam Beeri Het... & Besemat filiam Elon eiusdem loci. *Quam ob rem omnem vt ... floccifecerat & prodiderat vltro dignitatem ac præstantiam ex diuini iudicij sententia parentis proprij ministerio pronũciata exueretur, com... alterq; natu minor, qui votis omnibus optauerat, & contentione sum... curauerat, victor vt reportaret, dignus est iudicatus. Namque hic ma...*

*studio & consilio vsus, patri quod ad externum habitum & sensum tantisper dum attrectaretur, imponens omen illud bonum quod ex naturæ ordine maiori ac valentiori tribuendum videbatur, arte præreptum sibi arrogauit. Quod omen sacrum sanctorum voluminum vsurpatione* BENEDICTIO *vocatur, magnæq; felicitatis aßignationem significat, pro argumenti ac rei, de qua agitur, natura & ratione. Est autem actionis huius historia lectu dignißima, & animaduersionis admirandæ; verùm quæ, propter arcanam partium omnium significationem, iustum ad explicationem sui requirat volumen; quo qui mysteriis diuinis tam fuerint initiati, & in spiritualem contemplationem admißi, non indigent; cæteri verò nunquam abundè satis possint instrui. Nos autem Dei deducente manu, si elucidationes in veteres libros ediderimus, quales in nouos Christi gratia iam edidimus, nonnihil prætendemus lucis ad huius campi difficiliora loca transcurrenda.* Senuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat: vocauitq; Esau filium suum maiorem, & dixit ei: Fili mi? Qui respôdit: Adsum. Cui pater, Vides, inquit, quòd senuerim, & ignorē diem mortis meæ: sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras. Cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer vt comedam: & benedicat tibi anima mea antequā moriar. Quod cùm audisset Rebecca, & ille abiisset in agrum vt iussionem patris impleret, dixit filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tua, & fac cibos vt comedam, & benedicam tibi coram Domino, antequam moriar. Nunc ergo, fili mi, acquiesce consiliis meis: & pergens ad gregē, affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur: quas cùm intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquam moriatur. Cui ille respondit: Nosti quòd Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis: si attrectauerit me pater meus, & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem pro benedictione. Ad quem mater, In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantùm audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi. Abiit, & attulit, deditque matri. Parauit illa cibos sicut velle nouerat patrem illius. Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum: pelliculásque hœdorum circūdedit manibus, & colli nuda protexit. Deditque pulmentum, & panes quos coxerat, tradidit. Quibus illatis, dixit: Pater mi. At ille respôdit: Audio. Quis es tu, fili mi? Dixítque Iacob: Ego sum primogenitus tuus Esau: feci sicut præcepisti mihi: surge, sede, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua. Rursúmque Isaac ad filium suum: Quomodo, inquit, tam citò inuenire potuisti, fili mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit vt citò occurreret mihi quod volebam. Dixitque Isaac: Accede ad me, vt tangam te, fili mi, & probem vtrùm

Genesis 27.

tu ſis filius meus Eſau, an non. Acceſſit ille ad patrem: & palpato eo, dixit Iſaac: Vox quidem, vox Iacob eſt: ſed manus, manus ſunt Eſau. Et non cognouit eum, quia piloſæ manus ſimilitudinem maioris expreſſerant. Benedicens ergo illi, ait: Tu es filius meus Eſau? Reſpōdit: Ego ſum. At ille, Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, vt benedicat tibi anima mea. Quos cùm oblatos comediſſet, obtulit ei etiam vinum. quo hauſto, dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi oſculum, fili mi. Acceſſit, & oſculatus eſt eum. Statímque vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terrę, abundantiam frumenti & vini. Et ſeruiāt tibi populi, & adorent te tribus: eſto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. qui maledixerit tibi, ſit maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. *Admirandum atq; adorandum maximi beneficij diuini Verbi opera & virtute hominibus olim conferendi myſterium hæc vera & ſapientiſſimè instructa imago tulit Iacobi ſub pellibus velati, atque fraternis veſtibus induti, ijſdemq; odoratiſſimis, ac patri pergratis, quæ hominum genus arcana ſimilitudine referebant, non antè ſuaue, non antè probatum, quàm à Filio ſub humano habitu latente fuiſſet ſuſceptum.* Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. *Verùm nunc nondum tempus eſt plura de his indicandi: ſatis autem fuerit dicere, diuinum promiſſum apertiore iam & pleniore ſignificatione expreſſum, fuiſſe hoc in ſenis reſponſo Iacobo filio renouatum, patre primam in diuinis repræſentante perſonam, ac tertiæ dictata quoque peragente. Atque hæc Iacobi fratris natu minoris, virtute verò ac pietate maioris tunc ſors fuit diuino monitu edita, quæ præter arcanam publicæ ſalutis rationem, Iacobo Iacobiq; poſteris, quænam in terris euentura eſſent proſpera atque honeſta, breui verborum ſumma portendebat. Altera verò fratri alteri etiam educta ſors, priori, quod ad terreſtrem beatitatem attinet, impar, non prorſus tamen infelix, quamquam meritis longè maior; quod verò cæleſtem diuinam rationem ſpectaret, initio remota, & minimè comparanda; in poſterum verò longo deinceps interuallo mutanda & inſtauranda. Meminiſſe autem retulerit, vtrumque horum fratrum ijſdem parentibus ortum, non ſuas tantùm, ſed omnis terrarum orbis tam inde ab aluo materno partes agere: alterum hominum eorum qui ex fide cognouere & coluere Deum; alterum verò eorum qui & hoc & omnia ad humanam ſapientiam & vim retulerunt. Quos Apoſtoli duobus notarum nominibus, hoc eſt, Circunciſionis & Præputij, ſæpiùs appellauere. Igitur omnis quæ futura erat Eſau ſiue Edomi familiæ in humanis diuiniſq; rebus aliis atque aliis ætatibus imago, ita à Moyſe deſcripta fuit:* Vix Iſaac ſermonem impleuerat: & egreſſo Iacob foras, venit Eſau, coctóſque de venatione cibos intulit patri, dicens: Surge pater mi, & comede de venatione filij tui: vt benedicat

mihi

mihi anima tua. Dixítque illi Isaac: Quis enim es tu? Qui respondit: Ego sum filius tuus primogenitus Esau. Expauit Isaac stupore vehementi:& vltrà quàm credi potest,admirans,ait:Quis igitur ille est qui dudum captam venationē attulit mihi, & comedi ex omnibus priùs quàm tu venires? benedixique ei,& erit benedictus. Auditis Esau sermonibus patris,irrugiit clamore magno:& consternatus,ait: Benedic etiam & mihi,pater mi. Qui ait: Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam. At ille subiunxit: Iustè vocatum est nomen eius Iacob:supplantauit enim me en altera vice: primogenita mea antè tulit,&nunc secundò surripuit benedictionem meam. Rursumque ad Patrem, Nunquid non reseruasti, ait,& mihi benedictionem? Respondit Isaac: Dominum tuum illum constitui,&omnes fratres eius seruituti illius subiugaui: frumento & vino stabiliui eum, & tibi post hæc,fili mi,vltrà quid faciam? Cui Esau,Num vnam, inquit, tantùm benedictionem habes, pater? mihi quoque obsecro vt benedicas. Cúmque eiulatu magno fleret, motus Isaac, dixit ad eum: In pinguedine terræ,& in rore cæli desuper erit benedictio tua. Viues in gladio,& fratri tuo seruies: tempúsque veniet,cùm excutias & soluas iugum eius de ceruicibus tuis. *Diuinæ salutis arcanum beneficium non ex natura aut voluntatis priuatæ ratione aut iure hominibus constiturum, omnis hæc Esau historia significabat,verùm Dei authoris liberalitati,& benignitati,ac proposito,iis quibus donandum esset,acceptum referendum. Non enim,vt ait Paulus,volentis nec currentis,sed miserentis Dei est.* Rom.8. *Quam tamen misericordiam non temere impertiendam Deus ipse declarauit. Moysi enim dicit: Miserebor cuius miserebor, & misericordiam præstabo cui miserebor.* Exodi 33. *Hoc enim responso docebat sibi certum & constitutum esse delectum eorum, quibus cum benignè agendum sit: nempe cum iis qui fide instructi, verè ac seriò se metuerint & coluerint. S.S.E. Et misericordia eius ab æterno vsque in æternum super timentes se,& iustitia eius in filios filiorum, his qui seruant testamētum eius, & memores sunt mandatorum eius ad faciendum ea.* Psal. 102. *Hac lege atque hoc pacto se promissa sua Abrahami posteritati præstiturum Deus iam receperat. Scio enim quòd præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam, vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum.* Genesis 18. *Hanc verò legem cùm non,vt oportuit, Edomus & mente tenuerit, & pietate exercenda seruarit; beneficium diuinum significantes, hæreditatē & benedictionem, amisit; & quamquam instaret, vrgeret, posceret, repulsam tamen tulit formidando seculis omnibus exemplo. Ne quis fornicator aut prophanus,vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. Scitote enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam.* Hebr.12. *Omnem verò posteritati suæ futurum publicarum rerum statum & modum*

*modum illo omine à patre pronunciata accepit, in eodemq́ arcanam retulit rationem rei eius quæ pietatem, religionem, atque humanam felicitatem spectaret. Nam Gentiũ populis, atq; iis præcipuè qui Edom partes vel tenuere, vel secuti sunt, boni summam in potẽtia & armis statuisse, &, quod ad religionem faceret, suo ipsorum ingenio indulsisse, atque ea coluisse quæ propositum suum promouere putarentur, ipsorum historiis monumentisq́ notãtur: ideoq́ in veri boni ratione atque vsu, hoc est, in veræ pietatis notitia & commodis atque fructibus à Iacobi posteris superati sunt, primas in hac hæreditate ferentibus: quòd verò ita superarentur, vltra paternum etiam exẽplum ipsi sibi sua commeruere superbia & arrogantia, dum sapientiã non ex fonte, id est, non ex diuinis oraculis, sed ex humanis elementis, deliramentis, somniis petitam consectati, in tenebras incidere densissimas, è quibus nullo pacto, nullóve ingenio erui potuissent, nisi tandem mera & vnica Dei benignitate Euangelij accedente lumine in lucem euocarentur. Istud erat iugum quod victus Esau longo tempore laturus erat, quodq́ tandem beneficio & misericordia Dei excussurus prædicitur. Namque aliàs nunquam Esau ille pater, qui primus Idumæis nomen dedit, Iacobo fratri illi gemello victus & superatus seruiisse comperitur. Quamobrem in his prædictionibus nonnulla quidem simpliciter ac planè ex verborum vi, omnia verò arcanè excipienda ac definienda censentur. Constat enim, quod ad ea attinet quæ sub sensum cadere possunt, quæq́ huius vitæ mortalis vsum respiciunt, duriorem fuisse Edomum Iacobo fratri, atque diu etiam formidatum, & interim fuga exsilioq́ longo declinatum.* Oderat ergo semper Esau Iacob pro benedictione qua benedixerat ei pater, dixítque in corde suo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. *Temeritatem, impietatem, inconstantiam, ac mobilitatem mali hominis, ac ingenium Caini persimile notare licet, qui cùm ipse vltro à virtute ac pietate paterna degenerans, quod verè maximum bonum erat, contempsisset, ac nepharie vendidisset, malum tamen suum non resipiscentia corrigere, non precibus ac supplicationibus piis, non sacris purè faciendis procurare, & ex misericordia Dei medicinam quærere studuit, sed patris cum primis quam maturrimam mortem optauit, vt fratris, cui inuidebat, felicitatem prærumperet: sinistrè ac perperam videlicet cogitans, cum hæreditate ac domo paterna felicitatem illam à fratre exspectari: nec enim iste aut maiora iam sapiebat, aut his humanis & caducis sublimiora curabat; quæ si, vt par erat, cogitasset, intelligeret profectò nihil se vel viribus & potentia, vel calliditate & insidiis ei nocere efficereve posse, quem ad interna animi bona præcipuè promouẽdum, singularis Dei tueretur prouidentia. Quàm verò cæcum ac dementem inuidiosa malitia reddiderat, vel vnà deliberati iam animi atque iniquè decernentis certa sententia arguit: in qua sanctitatis ac pietatis aduersum patrem suum, & charitatis erga fratrem iura & officia omnia peruersa ac deserta notantur. Neq; verò illa repentinæ ac feruentis & impatientis iræ ex tempore temere effusa*

*tus*

*tita oratio; sed certo atque excogitato consilio concepta & firmata fuit, cum professione immortalis ac numquam deponendi odij, etiã post patris obitum, qui liberalem & ingenuum filium non modò spectatus, sed cogitatus etiam tanto dolore afficere debebat, vt omnem aliam iniuriam obliuisci cogeret, nedum insonti ac innocenti fratri necem moliri sineret: tamen iste diuturnum odium fouebat, quod non nisi peracto parricidio satiatum iri curabat.* Dixit in corde suo: Venient dies luctus patris mei. *Vt in ipso medio mœrore occupatum, imparatiorem, minúsque quippiam tale opinantem opprimeret fratrem: cuius charitatis vel nomen ipsum ad huiusmodi crudelem orationem appellare nefarium ac flagitiosum fuit. Cuiusmodi scelerati exempli imitationem istius hominis posteris expressam Deus apud Amosum accusans condemnabat. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Edom,* Amos 1. *& super quartum non conuertam eum: eo quòd persecutus sit in gladio fra-* " *trem suum, & violauerit misericordiam eius, & tenuerit vltrà furorem* " *suum, & indignationem suam seruauerit vsque in finem. Atque huic si-* " *millimam improborum hominum aduersus pios, probos, & innocentes, quantumuis aliàs humana necessitudine deuinctos, mentem, sententiam, cogitationem, & orationem perpetuam esse, vel quotidianis exemplis cognoscere licet, quam cassam tamen & irritam diuini erga pios præsidij tutela reddit. Considerat peccator iustum, & quærit mortificare eum, Dominus* Psal. 36. *autem non derelinquet eum in manibus eius; nec damnabit eum cùm iudi-* " *cabitur illi. Exspecta Dominum, & custodi viam eius, & exaltabit te, vt* " *hereditate possideas terram. Permittit namque Deus improborum tantisper* " *feruere malitiam, quoad manifestam orbis notet & consecuturi à se iudicij seueritatem probet; nec quisquam acerbè aut iniquè quippiam de diuina prouidentia existimet. Verùm vbi iam istorum constiterit improbitas, tum verò ne quid pro sententia aut sibi commodi, aut innocentibus veri incommodi afferat, repentè opprimitur & perit. Qui confidunt in Domino sicut mons* Psal. 124. *Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem. Montes in* " *circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & vsque in* " *seculum. Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem* " *iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Benefac Do-* " *mine bonis & rectis corde: declinantes autem in obligationes, adducet Do-* " *minus cum operantibus iniquitatem.* PAX SVPER ISRAEL. "

# De Iacobi felici fuga, exsilio, ac labore.

## CAPVT XIIII.



ESAV *mala mens malusq́; animus insidias pio atque integro fratri dum struere ac tendere parat, ita diuina tutela eluditur, vt contrarios omnino votis euentus vel inuitus cogatur spectare, atque prudentiam calliditatemq́; propriam successu cassam & irritam sentiat. Namque frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Prou. 1. *Dei verò singulari prouidentia Esau propositum matri indicatum, & prudenti consilio non declinatum & interruptum, sed prorsus vanum ac futile euasit. Paternæ domus consuetudo adeò dulcis esse solet, vt, nisi magna ac planè honesta melioris conditionis affulserit, spes nullo alio loco mutanda putetur. Quòd si inopia, aut alia vi & necessitate vertendum sit solum, id inter vitæ calamitates & ærumnas poni solet. Tum verò si quis propter metum & insidias eorum quibus carus esse debuit, non modò parentum conspectu, sed & familiaris rei vsu atque commodis omnibus priuari, & in exsilium ire, incertas & ignotas regiones quærere, & ignotorum hominum ingenia & animos experiri, ac mores perferre cogatur, miserum prorsusq́; calamitosum putatur: quæ tamen omnia atque adeò duriora patienter & fideliter perlata, Iacobo in magnam felicitatem ac dignitatem, atque adeò in amplitudinem incomparabilem demum conuersa fuere. Tantum malorum corrigere, ac bonorum afferre, pia & constans fides potest. Nam præterquam quòd in medio exsilio laboribus magnis exercitato omnia quæ ad mortalis vitæ vsum & splendorem expetuntur, prospera, & honesta, atque singularia præter omne commune exemplum contigere, repugnante etiam atq; detrahere studente affinium suorum inuidia, in ipsa fugæ trepidatione ac mæstitia magni propositi Dei promissio atq; ostensa ac visa imago, & fidem & spem amplificauit, & mirabilẽ ad omnes casus perferendos, animumq́; reficiendum consolationem adhibuit.* Nunciata sunt hæc Rebeccæ: quæ mittens, & vocans Iacob filium suum, dixit ad eum: Ecce Esau frater tuus minatur vt occidat te. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran: habitabísque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, & cesset indignatio eius, obliuiscatúrque eorum quæ fecisti in eum: postea mittam, & adducam te inde huc. cur vtroque orbabor filio in vno die? Dixitq; Rebecca ad Isaac: Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: Si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere. *Firmato itaque consilio, & filij iam persuaso animo, pari prudentia idem vt patris voluntate & assensione fiat, mater curauit: illud cum primis seni insinuare studens, quod facile probatum iri intelligebat, videlicet cauendum prospiciendumq́; esse, ne domestica illa & familiaris ac sancta pietatis & morum disciplina, Deo ipsorum tutelæ atq;*

*atque præsidi grata, impuris Chananæarum feminarum nuptiis contaminaretur, atque ita felicitas illa, Abrahamo atque ipsis quoque diuinitus promissa, filiorum aut nepotum vitio & culpa subduceretur. De odio verò, obtrectatione, & maleuolentia Esau in fratrem, nihil prudens mulier marito indicauit, cui eam rationem minùs grauem putandam existimaret, fortaßis responsuro sibi authoritate, & imperio, atque paterno officio apud Esau fore corrigendam & componendam, aut id singulari matris erga Iacobum amori atque indulgentiæ tributuro, aut etiam inuidētiæ cuipiam maternæ, propter præstantem gratiam ipsius, quam ab Esau aucupio ac venatione iam diu antè collectā legimus: Quibus adultis, factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Isaac amabat Esau, eo quòd de venationibus eius vesceretur, et Rebecca diligebat Iacob.* Genesis 25.

*Deliberato itaque ac certo parentis vtriusque iussu ac mandato Iacob in Mesopotamiam iter instituit longum quidem & ignotum sibi, quod propter fidem ac pietatem nihil formidatum, forti animo, quamquam solus pedibus ac optimis patris ominibus proficisci contendit.* Vocauit itaque Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepitque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaan: sed vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui. Deus autem omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat, atque multiplicet: vt sis in turbas populorum. Et det tibi benedictiones Abrahæ, & semini tuo post te: vt possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est auo tuo. Cumque dimisisset eum Isaac, profectus peruenit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris suæ.

*Hanc Iacobi pietatem atque hoc in parentes obsequium cum animi fortitudine ac recta disciplina coniuncta, multa & admiranda ac felicißima diuinæ singularisq́ prouidentiæ argumenta & exempla consecuta fuere; cum primis autem rerum cælestium, atque diuini in terris regni spectaculum secundum quietem visum, quod ex multiplici imaginum concordia, humanæ felicitatis arcanum contemplatione sui indicabat; cui viso adlocutio quoque atque promissa adiuncta sacrosancti atque diuinitus delati somnij apud pium virum quamprimum expergefactum, fidem fecerunt.* Igitur egressus Iacob de Bersabee, pergebat Haran. Cumque venisset ad quendam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui iacebant, & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam: & Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: Terram in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo. Eritque semen tuum quasi puluis terræ: dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Aquilonem, & Meridiem:

& BENEDICENTVR IN TE & in semine tuo cunctæ tribus terræ. Et ero custos tuus quocunque perrexeris, & reducam te in terram hanc: nec dimittam te, nisi compleuero vniuersa quæ dixi. *Scala Iacob monstrata, nō ex lignis, verùm lapidibus multis, variis, ac pulchris constructa visebatur firmissimo fundamento à terra cælum vsque pertingens, cuius vsu cælestia cum terrestribus communicabantur: ita vt Angeli descendētes & ascendentes, hominum in terra degentium rebus ministras operas darent, nūc à cælo in terram, nunc rursus à terra in cælum referendis. Atque ita vna constituebatur domus, cuius primum & inferius pauimentum cum superiore contignatione, hoc est, cum cælo ipso, illius scalæ commoditate & vsu coniungebatur; domus verò dominus ac pater* IEHVEH, *erat scalæ supremæ insistens, atque insistendo virtutem firmitudinemq́ communicans, adeò vt Iacobo etiam in terra cubanti viseretur, & locutus audiretur: sic enim principes ac Reges ex superiore regiæ loco, his qui inferiùs adhuc versantur ac sunt, prospicere, imperare, & fauere solent. Domicilij verò diuini in terris atque in cælo constituendi, quod variis hominum sanctorum ministeriis scalæ illius instar instruendum & concinnandum coniungendúmque fuerat, imago illa piissimo viro fuit, ministeriorum autem rationem & copiam cælestibus Spiritibus, internunciis, atque administris expediendam esse intellexit, ídque demum sibi cognitum, gratulabundus prædicauit.* Cumque euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pauénsque, Quàm terribilis est, inquit, locus iste! non est hîc aliud nisi domus Dei, & porta cæli. Surgens ergo Iacob manè, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper Appellauítque nomen vrbis Beth-el, quæ priùs Luza vocabatur. *Cùm itaque iam viso edoctus, & promissis auctus, maximorum donorum beneficia sibi, suisq́, atque aui sui Abrahami imitatoribus parata apertiùs cognouisset, eademq́ firmata fide intra animi sacrarium condidisset; nihil aliud sibi posthac aut curandum, aut agendum duxit, quàm sese Deo in seruum, perpetuumq́ cultorē mancipare, nulla alia externi commodi aut mercedis conditione, quàm eorum quæ ad quotidianum victum & cultum, eumq́ simplicem, & seruis etiam necessarium, opportuna sunt, cætera verò omnia nec poscere, nec optare quidem, sed secum vnà prouidentiæ ac tutelæ diuinæ permittere, cum professione quoque decumarum seruitutis ergô persoluendarum etiam ex iis quæ ad victum à Domino sibi porrigerentur: id verò consilium non modò deliberatum constituit, verùm etiam reapse ex eodem illo tempore præstandum pronunciauit, & concepto atque nuncupato voto confirmauit.* Vouit etiam votum, dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum reuersúsque fuero prospere ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus

Dei

Dei: cunctorúmque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. *Igitur virum hunc mentem sanam, animum pium, atque vltro oblatum seruitutis officium Deo probasse, euentus ipse ostendit; quippe quem totis viginti annis exercitatum continuò & variis modis affinium etiam inuidia tentatum, impetitum, exspoliatum sæpius, tamen duabus vxoribus, ijsdemq́ honestissimis, & multiplici prole auctum, amplissima pecuaria re diuitem in illo exsilio diuina cura ac tutela effecerit, ab eodemq́ tutum & illæsum eduxerit, ac infectantibus etiam æmulis & inuidis socero atque affinibus verendum & obseruandum reddiderit, ac demũ ad promissæ vsque terræ fines incolumem deduxerit.* PROFECTVS ergo Iacob venit in terram Orientalem. Et vidit puteũ in agro, tres quoque greges ouium accubãtes iuxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur. Morísque erat vt cunctis ouibus congregatis, deuoluerent lapidem, & refectis gregibus, rursum super os putei ponerent. Dixítque ad pastores: Fratres, vnde estis? Qui responderunt: De Haran. Quos interrogans, Nunquid, ait, nostis Laban filium Nachor? Dixerũt: Nouimus. Sanúsne est? inquit. Valet, inquiunt: & ecce Rachel filia eius venit cum grege suo. Dixítque Iacob: Adhuc multum diei superest, nec est tempus vt reducantur ad caulas greges: date antè potum ouibus, & sic eas ad pastum reducite. Qui responderunt: Non possumus, donec omnia pecora congregentur, & amoueamus lapidem de ore putei, vt adaquemus greges. Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui: nam gregem ipsa pascebat. Quam cùm vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouésque Laban auunculi sui: amouit lapidem quo puteus claudebatur. Et adaquato grege osculatus est eam: & eleuata voce fleuit. Et indicauit ei quòd frater esset patris sui, & filius Rebeccæ: at illa festinans nunciauit patri suo. Qui cùm audisset venisse Iacob filium sororis suæ, occurrit obuiam ei: complexúsque eum, & in oscula ruens, duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris, respondit: Os meum es, & caro mea. Et postquam impleti sunt dies mensis vnius, dixit ei: Num quia frater meus es, gratis seruies mihi? dic quid mercedis accipias. Habebat verò duas filias, nomen maioris Lia: minor verò appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis, Rachel decora facie, & venusto adspectu. Quam diligens Iacob, ait: Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis. Respondit Laban: Melius est vt tibi eam dem quàm alteri viro, mane apud me. Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. Dixítque ad Labã: Da mihi vxorem meam: quia iam tempus impletum est, vt ingrediar ad illam. Qui, vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium, fecit nuptias. Et vesperè Liam filiam suam introduxit ad eum, dans ancillam filiæ, Zelpham nomine. Ad quam cùm ex more Iacob fuisset in-

Genesis 29.

greſſus, facto mane vidit Liam: & dixit ad ſocerum ſuum, Quid eſt quod facere voluiſti? nónne pro Rachel ſeruiui tibi? quare impoſuiſti mihi? Reſpondit Laban: Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, vt minores antè tradamus ad nuptias. Imple hebdomadam dierum huius copulæ: & hanc quoque dabo tibi pro opere quo ſeruiturus es mihi ſeptem annis aliis. Acquieuit placito: & hebdomada trăſacta, Rachel duxit vxorem: cui pater ſeruam Balam tradiderat. Tandémque potitus optatis nuptiis, amorem ſequentis priori prætulit, ſeruiens apud eum ſeptem annis aliis. Videns autem Dominus, quòd deſpiceret Liam, aperuit vuluam eius, ſorore ſterili permánente. Quæ concepit: genuit filium, vocauítque nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus. Rurſumque concepit & peperit filium, & ait: Quoniam audiuit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam iſtum mihi, vocauítque nomen eius Simeon. Concepítque tertiò, & genuit alium filium: dixítque, Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo quòd pepererim ei tres filios: & idcirco appellauit nomen eius Leui. Quartò concepit, & peperit filium, & ait: Modò confitebor Domino. & ob hoc vocauit eum Iudam: ceſſauítq; parere. CERNENS autem Rachel quòd infœcunda eſſet, inuidit ſorori ſuæ, & ait marito ſuo: Da mihi liberos, alioquin moriar. Cui iratus reſpondit Iacob, Num pro Deo ego ſum, qui priuauit te fructu ventris tui? At illa, Habeo, inquit, famulam Balam: ingredere ad illam, vt pariat ſuper genua mea, & habeam ex illa filios. Dedítque illi Balam in coniugium: quæ, ingreſſo ad ſe viro, concepit, & peperit filium. Dixítque Rachel: Iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meam, dans mihi filium. & idcirco appellauit nomen eius Dan. Rurſumque Bala concipiens, peperit alterum: pro quo ait Rachel: Comparauit me Dominus cum ſorore mea, & inualui: vocauítq; eum Nephthali. Sentiens Lia quòd parere deſiiſſet, Zelpham ancillă ſuam marito tradidit. Qua poſt conceptum edente filium, dixit: Feliciter. & idcirco vocauit nomen eius Gad. Peperit quoque Zelpha alterum. Dixítque Lia: Hoc pro beatitudine mea: Beatam quippe me dicent mulieres. propterea appellauit eum Aſer. Egreſſus autẽ Ruben tempore meſſis triticeæ in agrũ, reperit mandragoras: quas matri Liæ detulit. Dixítque Rachel, Da mihi partem de mandragoris filij tui. Illa reſpondit: Parúmne tibi videtur, quòd præripueris maritum mihi, niſi etiam mandragoras filij mei tuleris? Ait Rachel: Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui. Redeuntíque ad veſperam Iacob de agro, egreſſa eſt in occurſum eius Lia, & ait, Ad me, inquit, intrabis: quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei. Dormiuítq; cum ea nocte illa. Et exaudiuit Deus preces eius: concepítque, & peperit filium quintum, & ait: Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam

Geneſis 30.

lam meam viro meo. appellauítque nomen eius Issachar. Rursum Lia concipiens, peperit sextum filium, & ait: Dotauit me Deus dote bona: etiam hac vice mecum erit maritus meus, eo quòd genuerim ei sex filios:& idcirco appellauit nomen eius Zabulon. Post quem peperit filiam, nomine Dinam. Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius. Quæ concepit,& peperit filium, dicens: Abstulit Deus opprobrium meum. Et vocauit nomen eius Ioseph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterum. Nato autẽ Ioseph, dixit Iacob socero suo: Dimitte me, vt reuertar in patriam meam,& ad terram meam. Da mihi vxores,& liberos meos, pro quibus seruiui tibi, vt abeam: tu verò nosti seruitutem qua seruiui tibi. Ait illi Laban: Inueniam gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te: constitue mercedẽ tuam quam dem tibi. At ille respondit: Tu nosti quomodo seruierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua. Modicum habuisti antequam venirem ad te,& nunc diues effectus es: benedixítque tibi Deus ad introitum meum. iustum est igitur vt aliquando prouideam domui meæ Dixítque Laban: Quid tibi dabo? At ille ait: Nihil volo: sed si feceris quod postulo, iterum pascam & custodiã pecora tua. Gyra omnes greges tuos, & separa cunctas oues varias, & sparso vellere:& quodcunque furuum & maculosum, variúmque fuerit, tam in ouibus quàm in capris, erit merces mea. Respondebítque mihi cras iustitia mea, quãdo placiti tempus aduenerit, coram te: & omnia quæ nõ fuerint varia,& maculosa, & furua, tam in ouibus quàm in capris, furti me argues. Dixítque Laban: Gratum habeo quod petis. Et separauit in die illa capras, & oues, & hircos, & arietes varios, atque maculosos: cunctum autem gregem vnicolorem, id est, albi & nigri vellens, tradidit in manu filiorum suorum. Et posuit spatiũ itineris trium dierum inter se & generum, qui pascebat reliquos greges eius. Tollẽs ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas: detractísque corticibus, in his quæ spoliata fuerant, candor apparuit: illa verò quæ integra fuerant, viridia permanserunt: atque in hunc modum color effectus est varius. Posuítque eas in canalibus, vbi effundebatur aqua: vt cùm venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent. Factúmque est vt in ipso calore coitus, oues intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, & diuerso colore respersa. Diuisítque gregem Iacob, & posuit virgas in canalibus ante oculos arietum: erant autem alba & nigra quęque, Laban: cætera verò, Iacob, separatis inter se gregibus. Igitur quando primo tempore ascendebantur oues, ponebat Iacob virgas in canalibus aquarũ ante oculos arietũ & ouium, vt in earum contemplatione conciperent. quando verò serotina admissura

mittura erat, & conceptus extremus, non ponebat eas. Factáque sunt ea quæ erant serotina, Laban: & quæ primi temporis, Iacob. Ditatúsque est homo vltra modũ, & habuit greges multos, ancillas & seruos, camelos & asinos. POSTQVAM autem audiuit verba filiorum Laban dicentium: Tulit Iacob omnia quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est inclytus: animaduertit quoque faciem Laban, quòd non esset erga se sicut heri & nudiustertius, maximè dicente sibi Domino: Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eróque tecum. Misit, & vocauit Rachel & Liam in agrum, vbi pascebat greges, dixítque eis: Video faciem patris vestri quòd non sit erga me sicut heri & nudiustertius: Deus autem patris mei fuit mecum. Et ipsæ nostis quòd totis viribus meis seruierim patri vestro. Sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus: & tamen non dimisit eum Deus vt noceret mihi. Si quando dixit, Variæ erunt mercedes tuæ: pariebant omnes oues varios fœtus: quando verò è cõtrario ait, Alba quæque accipies pro mercede: omnes greges alba pepererunt. Tulítque Deus substantiam patris vestri, & dedit mihi. Postquam enim conceptus ouium tempus aduenerat, leuaui oculos meos, & vidi in somnis ascendentes mares super feminas, varios & maculosos, & diuersorum colorum. Dixítque Angelus Dei ad me in somnis, Iacob? Et ego respondi, Adsum. Qui ait: Leua oculos tuos, & vide vniuersos masculos ascendendentes super feminas, varios, maculosos, atque respersos. Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban. Ego sum Deus Beth-el, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi. Nunc ergo surge, & egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ. Responderúntque Rachel & Lia: Numquid habemus residui quicquam in facultatibus, & hæreditate domus patris nostri? Nónne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comedítque pretium nostrum? Sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, ac filiis nostris: vnde omnia quæ præcepit tibi Deus, fac. Surrexit itaque Iacob, & impositis liberis, ac cõiugibus suis super camelos, abiit. Tulítque omnem substantiam suam, & greges, & quicquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum in Terram-Chanaan. Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues, & Rachel furata est idôla patris sui. Noluítque Iacob confiteri socero suo quòd fugeret. Cumque abiisset tam ipse quàm omnia quæ iuris sui erant, & amne transmisso pergeret contra Montem Galaad, nunciatum est Laban die tertio quòd fugeret Iacob. Qui, assumptis fratribus suis, persecutus est eum diebus septem: & cõprehendit eum in Monte-Galaad. Vidítque in somnis dicentem sibi Dominum: Caue ne quicquam aspere loquaris contra Iacob. Iamque Iacob extenderat in monte tabernaculum: cumq; ille cõsecutus fuisset eum cum fratr-

Genesis 31.

fratribus suis, in eodem Monte-Galaad fixit tentorium. Et dixit ad Iacob: Quare ita egisti, vt clam me abigeres filias meas quasi captiuas gladio? Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi: vt prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis? Non es passus vt oscularer filios meos & filias: stultè operatus es & nunc quidem. Valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus patris tui heri dixit mihi: Caue ne loquaris contra Iacob quicquam durius. Esto, ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui: cur furatus es deos meos? Respondit Iacob: Quòd inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas. Quòd autē furti me arguis: apud quemcumque inueneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris. scrutare quicquid tuorum apud me inueneris, aufer. hæc dicens, ignorabat quòd Rachel furata esse idola. Ingressus itaque Laban tabernaculum Iacob, & Liæ, & vtriusque famulæ, non inuenit. Cumque intrasset tentorium Rachelis, illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper: scrutantique omne tentorium, & nihil inuenienti, ait: Ne irascatur dominus meus, quòd coram te assurgere nequeo: quia iuxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi. sic delusa solicitudo quærentis est. Tuménsque Iacob, cum iurgio ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, & scrutatus es omnem supellectilem meam? Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ? pone hîc coram fratribus meis, & fratribus tuis, & iudicent inter me & te. Idcirco viginti annis fui tecum? oues tuæ & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi: nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam: quidquid furtim peribat, à me exigebas: die noctúque æstu vrebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Sicque per viginti annos in domo tua seruiui tibi, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis: immutasti quoque mercedem meam decem vicibus. Nisi Deus patris mei Abraham & timor Isaac affuisset mihi, forsitan modò nudum me dimisisses: afflictionem meam & laborē manuum mearum respexit Deus, & arguit te heri. Respondit ei Laban: Filiæ meæ & filij, & greges tui, & omnia quæ cernis, mea sunt: quid possum facere filiis & nepotibus meis? Veni ergo, & ineamus fœdus: vt sit in testimonium inter me & te. Tulit itaque Iacob lapidem, & erexit illum in titulum. Dixitque fratribus suis: Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederúntque super eum. Quem vocauit Laban Tumulum-testis; & Iacob, Aceruum-testimonij, vterque iuxta proprietatem linguæ suæ. Dixitque Laban: Tumulus iste erit testis inter me & te hodie, & idcirco appellatum est nomen eius Galaad, id est, Tumulus-testis. Intueatur & iudicet Dominus inter nos quando recesserimus à nobis, si afflixeris filias meas, & si introduxeris

alias vxores ſuper eas: nullus ſermonis noſtri teſtis eſt abſque Deo, qui præſens reſpicit. Dixitq́ rurſus ad Iacob: En tumulus hic, & lapis quem erexi inter me & te, teſtis erit: tumulus, inquam, iſte & lapis ſint in teſtimonium, ſi aut ego tranſiero illum pergens ad te; aut tu præterieris, malum mihi cogitans. Deus Abraham, & Deus Nachor iudicet inter nos, Deus patris eorum. Iurauit ergo Iacob per timorem patris ſui Iſaac: immolatisque victimis in monte, vocauit fratres ſuos vt ederent panem. Qui cùm comediſſent, manſerunt ibi. Laban verò de nocte conſurgens, oſculatus eſt filios & filias ſuas, & benedixit illis: reuerſúſque eſt in locum ſuum.

*Expeditas itaque Iacobi ſerui ſui res à remotiorum inuidia, æmulatione, atque obtrectatione, & ab iniuria defenſas, à domeſticis etiam maiorisq́ periculi plenis inſidiis tutatus eſt Deus, hoc eſt, ab illa veteri fratris Eſau ſimultate, quam pius & innocens vir maximè formidabilem ſuſpectamq́ habebat, tum propter hominis ingenium, & mores ſuis prorſus diſsimiles, tum etiam propter vim & potentiam, quæ eouſque creuerat, vt ſibi cum quadringentis viris, iiſdemq́ ſtrenuis, illũ in occurſum properare ij retuliſſent nuncij, quos ipſe ſalutationis & officij cauſa præmiſerat; verùm enimuero difficultatem illam quam humanum iudicium inſuperabilem, & non niſi cum iacturæ metu ac deliberatione declinari poſſe arbitraretur, inuictiſsima illa Fidei virtus non modò emolliuit, ſed cum gloriæ etiam prærogatiua, cum æterno decoris & nominis monumento, & in omnia ſecula ſtatuendo exemplo peruicit. Namque nouo, & nunquam antea viſo certamine per totam noctem fortiſsimè certato, quemadmodum non difficillima ac duriſsima tantùm, verùm quæ impoſsibilia viderentur, vinci atque confici à piis viris poſſint, experimento ac periculo in ſe facto didicit: nempe luctatus cum cæleſti Spiritu Dei, tum mandantis perſonam agente atque vim referente, & tamen longa conflictione & concuſsione firmiſsimè ſuſtentata, aduerſarioq́ etiam poſcente, etiam cedentis voce atque oratione flagitante, non tamen nisi palmæ & victoriæ monumentis conceſsis dimiſſo aut relaxato. Quibus monumentis nomen reportauit virtutis non tantùm in hominum terrenis & infimis, ſed in ſupernis etiam Dei tentationibus ſuſtinendis & ſuperandis ſpectatiſsimæ. Vnde ipſe omnem fratris inuidiæ & violentiæ conceptum depoſuit metum, & diuini beneficij gratulatione perpetua certaminis illius admirandi loco nomen impoſuit, quod rei geſtæ memoriam ſeculorum æternitati conſecraret. Ergo diuinæ tutelæ, ac prouidentiæ ſingularis præſidio fultus ac tutus, magna ſecuritate & fratrem ſibi occurrentem exceptum comiter ac ciuiliter ſalutauit, doniſq́ communicatis auxit, iiſdemq́ quantæ curæ Deo ſint, qui illi ſeſe totos dediderint, edocuit; ac demũ prudẽter et benignè etiam officium facere parantẽ dimiſit: tandẽ ad promiſſam deductus regionẽ, agro ad domiciliũ empto, concionatoris atq́ vatis munus obiuit, nomenq́ illud IEHVEH celebrauit & coluit, in cuius arcana ratione ſalutis publicæ continetur argumenta.*

IACOB autem abiit in itinere quod cœperat: fueruntq́; ei obuiam Genesis 32.
Angeli Dei. Quos cùm vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc. & appellauit nomen loci illius Mahanaim, id est, Castra. Misit autem & nuncios ante se ad Esau fratrem suum in terram-Seir, in regioné-Edom: præcepitque eis, dicens: Sic loquimini domino meo Esau: Hæc dicit frater tuus Iacob: Apud Laban peregrinatus sum, & fui vsque in præsentem diem. Habeo boues, & asinos, & oues, & seruos, & ancillas: mittóque nunc legationem ad dominum meum, vt inueniam gratiam in conspectu tuo. Reuersique sunt nuncij ad Iacob, dicentes: Venimus ad Esau fratrem tuum, & ecce properat in occursum tuum cum quadringentis viris. Timuit Iacob valde: & perterritus diuisit populum qui secũ erat, greges quoque & oues & boues & camelos in duas turmas, dicens: Si venerit Esau ad vnam turmam, & percusserit eam; alia turma quæ reliqua est, saluabitur. Dixítque Iacob: Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac: Domine qui dixisti mihi, Reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi: minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua quam expleuisti seruo tuo. In baculo meo transiui Iordanem istum: & nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo: ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis. Tu locutus es quòd benefaceres mihi, & dilatares semen meum sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest. Cumque dormisset ibi nocte illa, separauit de his quæ habebat, munera Esau fratri suo, capras ducentas, hircos viginti, oues ducentas, & arietes viginti, camelos fœtas cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti, asinas viginti, & pullos earum decem. Et misit per manus seruorum suorum singulos seorsum greges, dixítque pueris suis: Antecedite me, & sit spatium inter gregem & gregem. Et præcepit priori, dicens: Si obuium habueris fratrem meum Esau, & interrogauerit te, Cuius es? aut, Quò vadis? aut, Cuius sunt ista quæ sequeris? respondebis: Serui tui Iacob, munera misit domino suo Esau: ipse quoque post nos venit. Similiter dedit mandata secundo, & tertio, & cunctis qui sequebantur greges, dicens: Iisdem verbis loquimini ad Esau, cùm inueneritis eum. Et addetis: Ipse quoque seruus tuus Iacob iter nostrum insequitur. dixit enim: Placabo illum muneribus quæ præcedunt, & postea videbo illum, forsitan propitiabitur mihi. Præcesserunt itaque munera ante eum, ipse verò mansit nocte illa in castris. Cumque maturè surrexisset, tulit duas vxores suas, & totidem famulas cum vndecim filiis, & transiuit Vadum-Iaboc. Traductísque omnibus quæ ad se pertinebant, mansit solus: & ecce vir luctabatur cum eo vsque manè. Qui cùm videret quòd eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. Dixítque ad eum: Dimitte me, iam

enim aſcendit aurora. Reſpondit: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Ait ergo: Quod nomen eſt tibi? Reſpondit: Iacob. At ille, Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomē tuum, ſed Iſrael: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis! Interrogauit eum Iacob: Dic mihi, quo appellaris nomine? Reſpondit: Cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco. Vocauitque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicēs: Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Ortúſque eſt ei ſtatim ſol, poſtquam tranſgreſſus eſt Phanuel: ipſe verò claudicabat pede. Quam ob cauſam non comedunt neruum filij Iſrael, qui emarcuit in femore Iacob vſque in præſentem diem: eo quòd tetigerit neruum femoris eius, & obſtupuerit. ELEVANS autem Iacob oculos ſuos, vidit venientem Eſau, & cum eo quadringentos viros: diuiſitque filios Liæ & Rachel, ambarumque famularum: & poſuit vtramque ancillam, & liberos earū in principio: Liam verò, & filios eius in ſecundo loco: Rachel autem & Ioſeph nouiſſimos. Et ipſe progrediens adorauit pronus in terram ſepties, donec appropinquaret frater eius. Currens itaque Eſau obuiam fratri ſuo, amplexatus eſt eum; ſtringénſque collum eius, & oſculans fleuit. Leuatiſque oculis vidit mulieres, & paruulos earum, & ait: Quid ſibi volunt iſti? & ſi ad te pertinent? Reſpondit: Paruuli ſunt quos donauit mihi Deus ſeruo tuo. Et appropinquantes ancillæ & filij earum, incuruati ſunt. Acceſſit quoque Lia cum pueris ſuis: & cùm ſimiliter adoraſſent, extremi Ioſeph & Rachel adorauerunt. Dixitque Eſau: Quænam ſunt iſtæ turmæ quas obuiam habui? Reſpondit: Vt inuenirem gratiam coram domino meo. At ille ait: Habeo plurima, frater mi, ſint tua tibi. Dixitque Iacob: Noli ita, obſecrò: ſed ſi inueni gratiam in oculis tuis, accipe munuſculum de manibus meis. ſic enim vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei: eſto mihi propitius, & ſuſcipe benedictionē quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus tribuens omnia. Vix fratre cōpellente ſuſcipiens, ait: Gradiamur ſimul, eróque ſocius itineris tui. Dixitque Iacob: Noſti, domine mi, quòd paruulos habeā teneros, & oues & boues fœtas mecum: quas ſi plus in ambulando fecerim laborare, morientur vno die cuncti greges. Præcedat dominus meus ante ſeruum ſuum: & ego ſequar paulatim veſtigia eius, ſicut videro paruulos meos poſſe, donec veniam ad dominum meum in Seir. Reſpondit Eſau: Oro te, vt de populo qui mecum eſt, ſaltem ſocij remaneant viæ tuæ. Nō eſt, inquit, neceſſe: hoc vno tantùm indigeo, vt inueniā gratiam in conſpectu tuo domine mi. Reuerſus eſt itaque illo die Eſau itinere quo venerat in Seir. Et Iacob venit in Socoth: vbi ædificata domo, & fixis tentoriis, appellauit nomen loci illius Socoth, id eſt, tabernacula. Tranſiuitque in Salem vrbem Sichimorum, quæ eſt in Terra-Chanaan,

Geneſis 33.

naan, postquã reuersus est de Mesopotamia Syriæ: & habitauit iuxta oppidum. Emitque partem agri in qua fixerat tabernacula, à filiis Hemor patris Sichem centum agnis. Et erecto ibi altari, inuocauit super illud fortissimum Deum Israel.

*Optimi ac piissimi viri quietem & securitatem grande filiorum facinus turbauerat quidem, qui raptæ sororis stuprum communi Sichimitarum ciuium & regis ac principum cæde atque vrbis direptione & vastatione vlti fuere; sed oblatam formidolosi temporis tempestatem diuinæ prouidentiæ tutela composuit, metu grauissimo vicinis gentibus cunctis iniecto, atq; opinione de viro adaucta cum celebri nominis diuinitus mutati fama, quæ breui percrebuit, & in ore atque sermone omnium cœpit esse, illum in posterũ pro Iacobo Israelem dicendum appellandumq; esse iussu & imperio Dei, cuius munere post illius admirabilis luctationis tota nocte fortiter decertatæ exemplum, illo non cognomenti tantùm, sed nominis decore & ornamento tanquam victoriæ iure affectus est, vt non* LVCTATIVS, *velut antea, sed* POSSIDIVS *posthac deinceps diceretur. Huiusmodi enim Latina nominum* IACOB *&* ISRAEL *interpretatio indicari potest. Huius verò nominis dignitate & amplitudine non semel tantùm, id est, non in illo luctationis & victoriæ feruore, sed iterum iam re confecta & composita, contentione dignus declaratus & confirmatus fuit, iudicio atque responso diuino. Postea verò idem è Sichimorum vicinia Bethelam commigrare iussus, religionis & sacrorum rationem filiis, domesticis, familiaribusq; suis purè ac sanctè tractandam obseruandamq; procurauit, semotis & abolitis vanæ & patriæ apud Aramæos antea cultæ superstitionis reliquiis & monumentis. eodem verò loco vbi nominis confirmationẽ à Deo acceperat apud Bethelam, diuini illius arcani de humana salute apud gentem suam expediendi consilij repetitum promissum audiit, atque in his locis partim breui tempore hospes, partim diutius hærens, & filiis auctus, & duabus vxoribus viduatus, atque eousque vagatus est, quoad annis, & bonis pietatis meritis, ac vita defuncti patris Isaaci funeri vnà cum fratre Ghesauo iusta persoluit.*

Interea locutus est Deus ad Iacob: Surge, & ascende Beth-el, & habita ibi, facque altare Deo qui apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum. Iacob verò, conuocata omni domo sua, ait: Abiicite deos alienos qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra. Surgite, & ascendamus in Beth-el, vt faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & socius fuit itineris mei. Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum. at ille infodit eas subter terebinthum, quæ est post vrbem Sichem. Cumque profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non sunt ausi persequi recedentes. Venit igitur Iacob Luzã, quæ est in Terra-chanaan, cognomento Beth-el ipse, & omnis populus cum eo. Ædificauítque ibi altare, & appel- Genesis 35.

lauit nomen loci illius Domus-Dei: ibi enim apparuit ei Deus cùm fugeret fratrem suum. Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Beth el subter quercũ: vocatumq; est nomen loci illius, Quercus-fletus. Apparuit autem iterum Deus Iacob postquam reuersus est de Mesopotamia Syriæ, benedixítque ei, dicens: Non vocaberis vltrà Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Et appellauit eum Israel, dixítque ei: Ego Deus omnipotens, cresce, & multiplicare: gentes, & populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur. Terrámque quam dedi Abraham & Isaac, dabo tibi & semini tuo post te. Et recessit ab eo. Ille verò erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat ei Deus: libans super eum libamina, & effundens oleum: vocánsque nomẽ loci illius Beth-el. Egressus autem inde, venit verno tempore ad terram quæ ducit Ephratan: in qua cùm parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitque ei obstetrix: Noli timere, quia & hunc habebis filium. Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui Ben-oni, id est, filius doloris mei: pater verò appellauit eum Ben-iamin, id est, filius dextræ. Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via quæ ducit Ephratam, hæc est Beth-lehem. Erexítque Iacob titulum super sepulchrum eius: Hic est titulus monumenti Rachel, vsque in præsentem diem. Egressus inde, fixit tabernaculum trans Turrem gregis. Cúmque habitaret in illa regione, abiit Ruben, & dormiuit cum Bala cõcubina patris sui: quod illum minimè latuit. Erant autem filij Iacob duodecim. Filij Liæ: primogenitus Ruben, & Simeon, & Leui, & Iudas, & Issachar, & Zabulon. Filij Rachel: Ioseph & Beniamin. Filij Balæ ancillæ Rachelis: Dan & Nephthali. Filij Zelphæ ancillæ Liæ: Gad & Aser. hi sunt filij Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ. Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mambre, Ciuitatem-Arbee, hęc est Hebron: in qua peregrinatus est Abraham & Isaac. Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum. Consumptúsque ætate mortuus est: & appositus est populo suo senex & plenus dierum: & sepelierunt eum Esau & Iacob filij sui.

# Israelis historia.

## CAPVT XV.

*AD Isaaci vsque obitum duorum fratrum domus & familiæ sub patris adhuc iure & authoritate crescebant; quo iam desiderato, alterius atque alterius partes & loco & vitæ genere atque publica priuatáq; rei vsu disiunctæ prorsus ac distinctæ fuerunt, & alterius mores tantum ab alterius desciuere exemplo, vt Edomi gens non cognata & proxima, hoc est, non fraterna, sed prorsus Israelis proli ac sobolinimi-*

*inimica videretur; his pacem tranquillitatemq; amantibus, pecuariam exercentibus rem, & veræ pietatis doctrinam secutis; illis contrà armorum ac belli studio deditis, expugnationi atque occupationi vicinarum terrarum incumbentibus, potentiæ inhiantibus, titulorum & imaginum splendore gaudentibus; quod verò religionem spectat, ea tantùm colentibus quæ pro potentiæ & ambitionis vsu magnifica & fausta putarentur. Huius verò argumenti est narratio omnis quæ in sacro Moysis volumine de Esau generatione instituitur.* Genesis 36.

*At verò Israel duodecim liberis maribus auctus, eam hospes adhuc regionem incoluit, quam patribus suis ac sibi promissam tandem patriam posteris futurã suis credebat: in qua, præter amissas vxores, magno in dolore, luctu, ac mœrore diu iacuit propter charißimi filij Iosephi desiderium, quem à fratribus propter virtutis atque ingenij præstantiam & somniorum admiranda portenta in Aegyptum venditum, senex ipse, cruentæ vestis argumento persuasus, à feris raptum ac discerptum existimauerat. Eundem tamen singularis illa Dei prouidentia morũ ac virtutis, fortitudinis, continentiæ atque fidei periculis exercitatum & exploratum, nec non sapientiæ ac prudentiæ dotibus vltra omne humanum exemplum regibus ac principibus mirabilem redditum, sorte mutata, ex seruo totius Aegyptiorum regni præfectum, atque ab ipso rege secundum constituit. Stupendo tantæ probitatis ac patientiæ exitu, atque adeò ex eorum genere euentuum, quos nulla caussa efficere possit, præter vnicum Deum, Qui facit mirabilia magna solus, hoc est, arcano consilio ac singulari, & hominibus non vestigabili modo. Nam quod hominum iudicio, atque ipsius etiam Iacobi sensu miserum & calamitosum censeretur, tamen ad patris & fratrum salutem, atque adeò ad posteritatis illorum omnium numerosam & felicem sobolem breui tempore procreãdam, alendam, & amplificandam, demum ad voluntatem suam de gentis huius copia, dignitate, nobilitate, & ornamentis vltra cæterarum nationum exemplum constituendis, Deus conuertit ac direxit. Cuius rei breuem, plenam, atque optimam narrationem, ne nos ingenij nostri atque orationis propriæ inopia & culpa deterrere videremur, ex diuini Vatis petitam carminibus hîc inseruimus.* Psal. 59

*Et vocauit famem super terram, & omne firmamentum panis contriuit.* Psal. 104.
*Misit ante eos virum; in seruum venundatus est Ioseph.*
*Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius, donec veniret verbum eius.*
*Eloquium Domini inflammauit eum; misit Rex, & soluit eum; princeps populorum, & dimisit eum.*
*Constituit eum dominũ domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.*
*Vt erudiret principes eius sicut semetipsum, et senes eius prudẽtiã doceret.*
*Et intrauit Israel in Aegyptum, & Iacob accola fuit in terra Cham.*
*Et auxit populum suũ vehementer, & firmauit eum super inimicos eius.*

Qua

*Qua in re omni diuini propoſiti admiranda vis & authoritas obſeruandam atque cognoſcendam ſeſe contemplantibus indicat: quæ prædictam ac denunciatam antiquo ſerpenti ſententiam ita promoueat, vt ſapientiæ affectatam gloriolam omni in loco, omniq́ in tempore perturbet, identidemq́ exſtinguat: nam quo loco ille præcipuam vani cultus & curioſarum diſciplinarum atque omnis fallacis doctrinæ ſcholam totius orbis frequētiſſimam explicuerat, & plurimis atque ornatiſſimis tum magiſtris, tum diſcipulis inſtruxerat, ibidem Deus ex ſeptuaginta capitibus tantùm famis (vti videbatur vulgo) depellendæ cauſa inductis, veræ pietatis ac ſapientiæ ſeminarium fecit, totq́ erudiendorum ac inſtituendorum millibus amplificauit, vt magnum hoſti ipſi atque hoſtis cæteruis omnibus interitus exitijq́ ſuarum partium metum iniecerit, & ex conſequenti in varia commenta, variaq́ inuenta & excogitata de illis perdendis argumenta, ſtultum ſapientem diſtrahi, diſtractumq́ fruſtra torqueri ſiuerit. Quam rem rationemq́ omnem Iſraeli ipſi de migratione in Aegyptum cogitanti à ſe feliciter expediendam ſignificauit.*

Geneſis 46. Profectúſque Iſrael cum omnibus quæ habebat, venit ad Puteum iuramenti: & mactatis ibi victimis Deo patris ſui Iſaac, audiuit eum per viſionem nocte vocantem ſe, & dicentem ſibi: Iacob, Iacob. Cui reſpondit: Ecce adſum. Ait illi Deus: Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui: noli timere, deſcende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego deſcendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem: Ioſeph quoque ponet manus ſuas ſuper oculos tuos.

*Igitur in totius terræ inopia & fame, ſummaq́ annonæ caritate, ex premiſſa regione Dei iuſſu egreſſus Iſrael in Aegyptum migrauit, non modo in præſens alendus atque fouendus ornandusq́ (propter filij authoritatem, & ſummam apud Regem, principes, & populum gratiam) verùm in poſterum augendus filiis, nepotibus, & frequentiſſima ſobolis poſteritate amplificandus adeò, vt ducentorum circiter annorum ſpatio ex duodecim quos in Meſopotamia & Chananitide regione ſuſceperat liberos, quosq́ moriens in Aegypto hoſpites reliquerat, ad plura quàm ſexcenta virorum millia propagati fuerit. Quam multitudinem admiratus, valdeq́ horrens antiquus Dei ac hominū hoſtis, Aegyptiorū nouo regi ac populo ab illis antiquioribus nimium diuerſo ſuſpectā inuiſamq́ reddidit, eandemq́ nunc metu, nunc vſus ac ſeruitutis cōmodo, & operarum variarū imperitatione, atque aliis aliisq́ exitii generibus inuentis, perdendā ſollicitauit; ac tanta demū oppreſſit ſeruitute, vt nulla vnquam capita vel belli victoria & iure capta & abducta tam dure oppreſſa, tam inclementer exercitata, tam inhumanè tractata vllis in temporum aut locorū hiſtoriis & exemplis nouerimus. Atque populo illi ex optimus parentibus prognato, ac ſingulari & vera diſciplina ad pietatē erudito, quamquam hac in parte etiam & temporum miſeria, & eorum quibus ſeruitutem ſeruiebant conſuetudine nonnihil etiam corrupto & contaminato populo, inquam, illi huiuſmodi infima ac duriſſima à tyranno conſtituta conditio*

ditio, imago quædam, aut potiùs vmbra erat miserrimi & infelicißimi status naturæ hominum ab illo primæ electionis ordine & gradu, primorũ parentum vitio & culpa, ac tyrannicis peccati ac mortis legibus, sub Luciferi ditione & potestate retentæ, quam nullo alio, præterquam vnius Dei consilio & beneficio liberari ac seruari posse, vel hæc ipsa docebat imago humanis viribus & artibus sese solui aut corrigi posse prorsus abnegans, & vnius Dei virtutem, & sapientiam, opemq́ vnicè postulans. Tantus enim támque difficillimus impositi seruitij ac iugi adamantinus nodus nullum alium minoris quàm diuinæ virtutis & efficacitatis admittebat vindicem. Hoc verò illud erat quod Abrahamo patri fuerat significatum illo diuino responso: Scito prænoscens quòd peregrinum erit semen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. & hoc quidem ipsum quod paucis versibus à Psalte commemoratum est: Conuertit cor eorum vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius.

Genesis 15. Psal. 104.

# De statu hominum ad Moysis vsque ætatem.

## CAPVT XVI.

AT verò ex eo tempore, quo linguarum confusio ac gentium diuisio facta fuerat, factionum atque opinionum tum diuersitas, tum numerus simul cum hominum copia vsque adeò excreuit, vt quot capitum, totidem ferè studiorum viuerẽt millia. Nec enim solùm in rerum naturæ cognitione atque vsu à vero variè ac multum aberratum est, atque in diuinarum notitia & cultu rerum ad immanißima ac turpißima sententiarum monstra ac deliria deuentum; sed in publicis & priuatis moribus tantum iam vbique insanitum, vt nulla ferè iam humanæ ac simplicis disciplinæ integra & sana pars exstaret. Hoc enim effecerant illa singularis delectus & opinionis auiditas, & ex prima illa peruersitate consilij ac iudicij ex antiqua auersionis culpa contracta effrenis libido, qua animæ cælestium inanes effectæ totæ in terris curuæ, & ad malum pronæ, gloriolæ, ambitioni, atq; cupiditati propriæ inseruientes, pro suscepti ac sibi optati commodi vel boni ratione doctrinam, leges, & exempla constituerunt, alia aliorum, ac sæpe etiam proprijs inuentis pugnantia. Ex quo fonte, eorum qui antea Sophi aut Sophistæ, & postea Philosophi appellari voluerunt, tam multæ sectæ, familiæ, ac disciplinæ scaturiere; quæ, quamquam apud Græcos postremum feruere visæ sunt, longè tamen antea proruperant, atque alijs & alius in locis, pro populorum & hominum frequentia, pro potentia ac imperij præstantia, prodierant & viguerant. Nam & ante Abrahamum Chaldæa regio omnis vario errorum ac superstitionum genere, varijs morũ corruptelis contaminatißima erat: nec meliùs aut humaniùs Aegyptus, nec Chananæo-



nanæo-

*nanæorum terra mitiùs aut modestiùs agebat, quippe & Abrahamum malè habuerant Chananæorum exempla, & filio suo vxorem ex patrio potiùs solo optare coegerant Isaacum, & Rebeccam filiarum Heth valde pœnituerat. Aegyptiis verò, qui doctrina tunc cæteris anteire videbantur, quale esset de rebus iudicium, armenta ac pecudes arguebant, & portenta alia pro diis habita & culta, vel Iosepho ac Moyse testibus, quorum alter pastores ouium omnes Aegyptiis detestationi esse, alter nullum ex pecorum armentorúmque generibus hostiam illis mactari fas putari asserebat. Non potest, inquit, ita fieri, abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Deo nostro: quòd si mactauerimus ea quæ colunt Aegyptij, coram eis lapidibus nos obruent. Iam verò illorum septem quæ filius Noabhi data fuerãt præcepta, nulla fere apud Gentes vestigia exstabant, vbi fas versum atque nefas, vbi turpitudo, dedecus, ac morum labes variè & impunè grassabantur, &, quod impiissimum est, vel decori habita, laudabile sumebant apud multos nomen, vel numinibus etiam ipsis authoribus & approbatoribus adscribebantur: tantum mali efficere afferreq́; potuit proprij singulorum consilij & propositi amor. Cuius peruersitatis ac dedecoris detestabiles imagines apud Vates, & aliàs sæpius in sacris scriptis notatæ reperiuntur, & breuiter ab Apostolo repetitæ commemorantur. Quia cùm cognouissent Deum; non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratũ est insipiens cor eorum. dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. (Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis) qui mutauerunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & seruierunt creaturæ potiùs quàm creatori, qui est benedictus in secula, Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum mutauerunt naturalem vsum, in eũ vsum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali vsu feminæ, exarserunt in desideriis suis inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem (quam oportuit) erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia; tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt: repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus inobedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Hæc Gentium disciplinæ, hæc vitæ ac morum summa fuit. Quarum quamquam interdum honestæ orationes audirentur, & simplici naturæ, vt videbantur, in speciem consona, tamen orationes magis quàm rationes fuisse deprehensæ sunt. Quippe illis votorum summa ab huius vitæ gloriola & iucunditate pro cuiusque arbitrio definita, non altiùs vel vno pede tollebatur. Deus de cælo*

Margin notes: Genesis 46 · Exod. 8. · Rom. 1. · Psal. 13.

*cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirens* "
*Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat* "
*bonum, non est vsque ad vnũ. Et quidem Gentium leges quæcunque vel honestissimæ viderentur, quæve cognominarentur sanctissimæ, ad cõmunem hominum inter se vitam societatemq; seruandam tantùm editæ sunt, non ad animorum felicitatem, aut ad alterius hac melioris vitæ expectationẽ, quam vel conditores ipsi ignorabant, tantum abest vt crederent, præter raros admodum aliis atque aliis in locis dißitos, in quorum mentibus lumen illud Noahhi filiis quondam porrectum, non fuerat prorsus exstinctum. Atque in his ipsis laudatioribus institutis ac legibus, præter fidei defectum, sine qua Deo placere est impoßibile, multa offendebantur absurdè, stultè multa, iniquè quàm plurima sancita, vt interim de tyrannicis legibus, & ad paucorum potentiam & auaritiam compositis, nihil dicatur, nihil etiam de quarundam gentium moribus & consuetudinibus, quæ, cùm aliàs à communi sensu abhorreant, apud quos tenebantur & exercebantur, laudabile sumebant nomen, & ex abusu magis quàm ex vsu defensores ac patronos publicè ac priuatè habebant: adeò vt, cùm plerisque omnibus naturæ ac iuris magnifica verba in ore versentur, veræ tamen & inculpatæ naturæ atque æquitatis ac iuris forma & ratio vnicuique alia & alia pro animi impulsu definiretur; omneq; iam in præcipiti staret vitium, nec posteris ætatibus quicquam praui in mores & leges inferendum reliquum esse iam posset: id quod vel vnico Chananæorum exemplo doceri facile fuerit: qui cùm in media & optima totius terræ orbis regione degerent, linguamq; retinerent omniũ antiquißimam & significatißimam, qua etiam sola naturæ atque virtutis rerum doctißimi esse poterant, & primi omnium in humanis disciplinis habebantur, atque astrologis & mathematicis, id est, Chaldæis vicini erant, auguriis tamen, superstitionibus, falso ac vano cultu iniuriarum, fraudis, ac doli, generibus libidinum & stuprorum, atque incestus monstris, atque aliis vitiosæ & flagitiosæ vitæ deformitatibus turpißimi ac nequißimi erant, nihiloq; iam tolerabiliores gigantibus illis, ob quorum furias & noxam, diluuij supplicium terris omnibus fuerat illatum. S. S. E. Ne polluamini in* Leuit. 18.
*omnibus his, quibus contaminatæ sunt vniuersæ gentes, quas ego eijciã ante* "
*conspectum vestrum, & quibus polluta est terra, cuius ego scelera visitabo,* "
*vt euomat habitatores suos.* "

*Igitur Deus humani generis calamitatem (vti semper) miseratus, ac in proposito proprioq; gratiæ ac misericordiæ consilio permanens, in densißimis errorum ac vitiorũ tenebris, in caligine temporum turbidißimorum, iis, quæ tunc opportuna expeditu erant, dispositis, vmbram quandam & imaginẽ luminis sui æterni in terras effundere decreuit, quæ veritati atque claritati ipsi diuinæ collata, vmbra tantùm erat; naturæ verò hominum, quæ qualisq; tunc erat, obscuritati collata, lux dici iure potuit: non quidem lumen quale Oriens ex alto sol mundo affert, verùm quale ignis obscura nocte incensus*

*iis, qui propè accesserint, porrigere solet, vt huius vsu & cõmoditate homines affecti, maiori ac veræ claritati expetendæ atq; expectandæ sese animo ac mente præparantes assuefaceret. Huius verò tanti hominibus beneficij expediendi & conferendi causa scholam explicare instituit in medio totius orbis terræ situ, cuius opportunitate & copia nationes omnes cognita & probata ad vtilitatẽ salutemq; suam vti possent, & tanti boni præsenti communione & fructu vsi, æternæ ac diuinæ salutis fide & spe incendi, &, cùm tempus esset, munere ac dono ex diuina liberalitate augeri. Hanc verò scholam apud Israelitarum populum aperire decreuit, vt & hoc nomine quoque promissa antiquis illorum patribus præstaret: in quorum posteritate suum illud arcanum negotium de antiqui hostis damnatione, de gloria sua, deq; hominum felicitate peragendum receperat. Ibidem itaque & priorem hanc veritatis vmbram & imaginem apparere, & posterius illud amplissimum diuinumq; lumen intereffulgere & splendere voluit. S. S. E. Et nunc dicit Dominus, formans me ex vtero seruum sibi, vt reducam Iacob ad eum, & Israel non congregabitur: & glorificatus sum in oculis Domini, & Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit, Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus redemptor Israel, Sanctus eius.*

Isaiæ 49.

*Diximus Israelitarum apud Aegyptios miseram, duram, ac planè seruilem conditionem, illius publicæ & communis humani generis seruitutis, antiqui hostis tyrannide, & peccati lege oppressi, vmbram imaginemq; retulisse: eorundem verò à suppliciorum metu, & ab assiduis operis, perpetuoq; labore liberatorum vnica vindicta, & fidem, & spem futuræ publicæ libertatis firmare, & modum rationemq; significare, ex Dei sapientia & benignitate potuit. Namque vt doctrina quam populus ille iam liber factus didicit, cælestis sapientiæ breue quoddam signum fuit; sic etiam vindicationis forma & modus illud maximum animorũ liberationis exemplar imitata sunt, & pignus certum fuere voluntatis Dei; cui humani animi quàm corporis priorem atq; potiorem curam & rationem esse, ipsa rerum comparatio naturáque docet. Namque Israelitarum apud tyrannum illum labor mortalis huius vitæ parteis non excedebat, & tamen ille diuina prouidentia atq; virtute pulsus est. Quare eum, quo animi confligantur humani, pellere atq; auertere maximæ Dei misericordiæ dignissimum opus beneficiumq; fuerat: corpus enim hominis propter animum, non contrà animus propter corpus conditus exstiterat.*

*Huic autem scholæ atque doctrinæ in terris primùm explicandæ, ac publicè declarandæ, singularem quendam virum præficere decreuit, quem à se priùs eruditum, & apprimè doctum, cæteris postea ad discendũ magistrum, & ad agendum viuendumq; ducem daret: nec solùm his partibus ac muneribus instructum exercere, sed populo illi Israelitarum à se soluendo, & in libertatem vindicando ministrum & antesignanum constitutum volait.*

Aiq

*Atque hanc rem admirabili prouidentia, & obseruanda temporum, virtutum, signorum, actionumq́ serie ab initio ad exitum vsque comparatam deduxit. Namque in mediis illis durissimæ seruitutis laboribus, in turbulentissima tempestate, in metu atque trepidatione omnium, puerum Leuitarum familiæ donauit, qui ab ipso ortus principio diligenter adnotãtibus magnarum olim sperandarum rerum spem facere potuit: quippe qui infans adhuc, tanta formæ ac vultus dignitate præstitit, vt quamquam à matre propter metum expositus, tamen repertus, breui dignus iudicatus fuerit, qui in ipsa Regis aula aleretur, & Regis filiæ liberali nomine, hoc est, filij proprij iure adoptatus, atque omnibus Aegyptiis tum bellicis, tum domesticis disciplinis institutus, vel apud populi sui inimicos gratiosus, charus, & celebris euaserit. ita verò negotiũ hoc admirabile suscipi ac transigi decuit, vt qui in orbe terrarũ verarum artium liberaliũ magister, & rectè viuendi præceptor eximius futurus erat, quid, quantumq́ disciplinæ illæ cæteris ex humano ingenio & iudicio excogitatis antecellerent, nõ modò non ignoraret, verùm cognosceret calleretq́ prorsus. Hic adulta iam & matura ætate, cùm quis, & vnde ortus esset, intellexisset, incensus aliquando studio iuuandi suos, quocunque nomine ac modo tuto posset, identidem inuisebat, & pro viribus atq; authoritate iis, quos priuatè iniuria affici videret, opitulabatur, donec (vt beneficentissimo cuique euenit) eorũ, quibus profuerat, prodesseq́ vlteriùs poterat, nec æquum iudicium, neque gratum expertus animum, insidiarum ac proditionis metu solum vertere, & in exsilium vltro proficisci, sibi consultum duxit. Atque, Deo ita prospiciente, vbi in alienam regionem sese recepisset hospes, exsul, ignotus, inops, tamen propter vultus atque habitus dignitatem, & propter innocentiæ & virtutis ac fortitudinis exempla, nõ solùm humanè & liberaliter à Madianitarum gente exceptus, verùm ab ipso reipublicæ illius ministro & antistite propriæ filiæ nuptiis & affinitate auctus & honestatus fuit: idem pecuariæ soceri sui rei (namque hæc optima & pretiosissima illius gentis patrimonia erant) pastor & custos institutus, qua in arte, & vitæ exercitatione, operum ac laboris patientia, complures transegit annos; animum verò semper fidei & spei in Deum firmitudine fultum, iis curis & meditationibus occupabat, quæ pia, & disciplinarum omnium cognitione instructissima mente dignæ fuerant. Hanc verò in breue coactam summi huius viri historiam, quam fusè ac plenè ab eodem ipse descriptam, Spiritus sanctus ad posteritatis memoriã literis mandatã voluit, nos ex diui Stephani grauissima actione imitati sumus. Cùm autem appropinquaret* Actor. 7.
*tempus promissionis quam confessus fuerat Deus Abrahæ, creuit populus,* „
*& multiplicatus est in Aegypto, quoadusque surrexit alius Rex in Aegypto,* „
*qui non sciebat Ioseph. Hic circumueniens genus nostrum, afflixit patres* „
*nostros: vt exponerent infantes suos, ne viuificarentur. Eodem tempore na-* „
*tus est Moyses, & fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in do-* „
*mo patris sui. Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, & nutriuit* „

*,, eum sibi in filium. Et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum:*
*,, & erat potens in verbis & in operibus suis. Cùm autem impleretur ei qua-*
*,, draginta annorum tempus, adscendit in cor eius vt visitaret fratres suos fi-*
*,, lios Israel. Et cùm vidisset quendam iniuriam patientem, vindicauit illum:*
*,, & fecit vltionem ei qui iniuriam sustinebat, percusso Aegyptio. Existima-*
*,, bat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salu-*
*,, tem illis: at illi non intellexerunt. Sequenti verò die apparuit illis litigan-*
*,, bus: & reconciliauit eos in pace, dicens: Viri, fratres estis, vt quid no-*
*,, cetis alterutrum? Qui autem iniuriam faciebat proximo, repulit eum, di-*
*,, cens: Quis te constituit principem & iudicem super nos? numquid interfi-*
*,, cere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Aegyptium? Fugit autem*
*,, Moyses in verbo isto: & factus est aduena in terra Madian, vbi generauit*
*,, filios duos. Procul ergo ab aulica consuetudine, & à ciuilibus negotiis tumul-*
*tibusq́; separato, atque ideo diuinis rebus, & honestis animi disciplinis con-*
*templandis liberiùs in solitudine intento Moysi, admirabili & inaudita a-*
*tè rerum natura pugnantium conuersione & concordia consilij sui opportu-*
*nè expediendi significationem imaginemq́; ostendit, & salutis ac liberta-*
*Israelitarum populo (qui totius hominum generis partes repræsentabat) bre-*
*ui ipsius operâ ac ministerio dandæ & tempus iam adesse declarauit, & mo-*
*dum, formam, atque rationem distinctè & ordinatè præscripsit: idq́; om-*
*vnius ex ministris animis, quos Angelos vocamus, officio factum ac tra-*
*actum fuit. Namque antiqua omnia tum alloquia & colloquia, tum etiam*
*acta atque facta quæcunque legimus, per Angelos expedita sunt: quorum ta-*
*men munus omne diuina prorsus virtute & authoritate constabat: nondum*
*enim aut natura ipsa rerum, aut maiestas & amplitudo beneficij hominū ge-*
*nus adhuc animale, & feminea facultate imbecille, præsenti, familiari, atque*
*domestica, vt ita dicamus, collocutione dignabatur; sed omnem quondam*
*sermonem, vel congressum & conuentum per Angelos factitatum, Spiri-*
*tus sanctus Apostolis interpretibus declarat: qui tamen sermo, quamquam*
*non eandem intra hominis animum efficientiam ostenderet, quam is p-*
*merè diuinus, id est, à Deo per Filium profectus postea fuit; sacrosan-*
*tamen & planè diuinam dignitatem authoritatemque omnibus numeri-*
Hebr. 2. *partibus, atque legitimis probauit signis. S. S. E. Qui per Angelos di-*
*,, est sermo, factus est firmus.*

LIBE

# LIBER QVARTVS.

## De Legis beneficiis & causa.

### CAPVT I.



VMANVM *genus ad veri & honesti cognitionem & exercitationem ab initio, Deo authore, constitutum & informatum, propter appetitam & obtentam boni atque mali notitiam, non in varias tantùm opiniones, verùm etiam in diuersas vitæ vias ac sectas diductum ac distractum, & adusque nefariam temeritatem & peruersitatem prolapsum, complurium exemplorum vsus arguit, & ipsorum etiam magistrorum documenta, & studia, atq; deliramenta, nec non & ex his nata scelera prodiderunt, & diuinorum quoque oraculorum ministri & interpretes indicauerunt. Quippe de omnibus in vniuersum studiis institutisq; hominum pronunciatum decantatumq; legimus: Saluum me fac Domine, quoniã defecit sanctus, quoniam* Psal. 11. *diminutæ sunt veritates à filiis Adã. Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suũ: labia dolosa, in corde & corde locuti sunt. &, Veruntamen vani* Psal 61. *filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum. &, Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis* Psal. 13. *suis: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Dominus de cælo prospexit super filios Adam: vt videat si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum. Atque horum ducibus & praeceptoribus huiusmodi notas diuino verbo indicatas legimus: Si verè vtique* Psal. 57. *iustitiam loquimini, rectè iudicate filij Adam. Etenim in corde iniquitates operamini: in terra iniustitiam manus vestræ concinnant. Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa. Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas. Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter. Hos adeò proprij ingenij iactatione, & gloriæ sibi arrogandæ cupiditate actos, non solùm à veri inuentione, atque ab honesti decoriq; obseruatione desciuisse, sed in deteriorem quàm bruta locum, & fœdissimam morum consuetudinisque corruptelam prolapsos, à verace gentium doctore accusatos nouimus, vt qui à Deo sese abalienare, & sibi ipsis, suisq; sectatoribus, vitæ modũ vltro præscribere studuerint, atque turpis & honesti, veri ac falsi rationem omnem* Rom. 1. *ipsi*

*ipsi pro sua singulorum ambitione authoritatis propriæ nomine definierint, idque ad vitam rectè degendam, atque ad bonorum ac malorum, felicitatisque humanæ fines sufficere existimauerint, quam peruersitatem sapientiæ documentis ac testimoniis indicare in promptu est. Vnde & illis qui in vita sua*
Sap. 12.
„ *insensatè & iniustè vixerunt, per hæc quæ coluerunt, dedisti summa tor-*
„ *menta. Etenim in erroris via diutius errauerunt, deos æstimantes hæc quæ*
„ *in animalibus sunt superuacua, infantium insensatorum more viuentes.*
*Propter hoc tanquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti.*

*Ergo huiusmodi humanam vicem miseratus Deus, verissimam in omnes vitæ partes æquissimam vtilissimamque legem non solùm dicto & voce pronunciatam, sed tabulis & chartis incisam ac conscriptam ipse edidit, & literarum monumentis publicandam constituit, magno totius generis humani beneficio; quippe quam non ex hominum ingenio, iudicio, opinione, ac sententia, sed ex illa æterna imperandi prohibendique sapientia, quæ vniuersum mundum regit, profectam, & res, & ratio, & manifesta documēta demonstrarunt. Cùm enim homo ipse iam quid esset, vndeque deductus, & quamobrem natus, vel ignoraret prorsus, vel ad fabularum dubium incertumque reuocaret, quemadmodum officium plenè ac rectè omnino facere deberet, & posset, verbis magis atque disputationibus, controuersiis & contentionibus iactare, quàm veræ & à dubitatione seiunctæ æquitatis luce tenere deprehendebatur. Hinc enim euenerat, vt variis varia atque diuersa omninóque contraria vel pietatis vel impietatis, vel virtutis ac vitij, vel iuris & iniuriæ nominibus laudarent aut improbarent, & ad proprij studij vsum vel abusum, petenda vel fugienda prædicarent. Itaque lex illa quæ integræ quōdam naturæ constiterat lucidissima, ac deinde in vitium prolapsæ, tamen parētum doctrina, & rationis vi, cogitationumque operâ hominum mentibus conseruabatur, communis inimici Serpentis antiqui dolis ac technis, & exterioris hominis praua affectantis vel negligentia, vel nequitia & insolentia variis erroribus & ignorationibus demum impedita, ferè communiter ac publicè cessarat: quamquam separatim ac singulariter in nonnullis, vel quos Dei timore imbutos cōseruabat, vel paterna disciplina instructos adiuuabat, antiquum obtineret; vt de Semi posteris quibusdam, de Iobo Armenio, deque aliis obseruare & adnotare est, qui toto in orbe terrarum rari admodum diuinarū humanarumque rerum laudabili notitia commendari potuerunt. S. S. E. Me-*
Psal. 86
„ *mor ero Rahab & Babylonis scientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus, &*
„ *populus Æthiopum, hi fuerunt illic: nam cæteri vel socordiâ desides, vel propriæ sapientiæ opinione superbi, aut vitium cum virtute commutauerant, aut virtutis veræ candorem multis vitiis, & veritatem mendacio contaminauerant. S. S. E. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua:*
Psal. 118.
„ *omnia mandata tua veritas.*

*Ne verò quispiam de legis authoritate ambigere vnquam posset, Deus ipse sapientissimè & efficacissimè curauit, sese ipsum primum præceptorum*

*suorum*

suorum doctorem, præconem, ac pron nciatorem, deinde etiam scriptorem, Angel. ministerio repræsentans. S. S E. Deus ab Austro veniet, & Sanctus de monte Pharam. Operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena est terra. Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius. Atque ita Dei præsentis alloquium, et suas leges pronunciantis præconiū palàm ac publicè hominibus probatum, mediaq; in luce præstitum, cælum ac terra testati sunt: quā rationem nos abunde satis in operis huius initio differendo explicuisse videmur. Habac. 3. " "

Duplicem autem vsum, vtrumque maximum & opportunissimum, lege illa diuinitus lata, mortalibus allatum, edocti sumus: Alterum quidem proprij hominum defectus & impotentiæ cognitionem; alterum verò, veræ atq; vnicæ medicinæ ac salutis petendæ ac reperiendæ doctrinam.

Namque vt nemo homo erat, qui, vbi communi sensu vti cœpisset, vario sese ac multiplici vitio obnoxium non sentiret; & quamquam nonnulli vltro eam vel infirmitudinem vel nequitiam detestati, impugnare ac superare studerent, atque adeò vel metu, vel pudore, vel melioris cogitationis impulsu euincere conarentur; nunc illud interdum aliud sceleris ac peccati genus vitantes, atque ab aliarum aliarumq; appetitionum exemplis edendis abstinentes, qua in pugna & luctatione labor magnus, multusq; ponebatur sudor: tamen qui harū miseriarum caput præscinderet adeò nemo erat, vt ne qui planè agnosceret, iam superesse quispiam videretur. Erat enim totius mali fons illa appetendi effrenis vis, quæ ex primo hominum crimine humanis medullis penitus inhæserat, & iam ita insederat, vt non aliunde allata, sed vnà cum ipsa natura & nata ab initio esse & adoleuisse putaretur. Id quod Apostolus Paulus hominis à lege iam admoniti & edocti personam sustinens, professus conqueritur. Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Herculis lerna. Plato. Rom. 7. " "

Hoc itaque lex illa diuina primùm vocis pronunciata sono, deinde tabulis inscripta, disertè docuit. Complura videlicet vitiorum, quibus humana vita vexaretur & corrumperetur, membra esse, quæ quamquam sigillatim vel ligarentur, vel magno labore ac studio interdum reprimerentur, aut etiam rescinderentur, tamen omnino exstingui vel deleri non poterant, quàm diu caput ipsum peccati maneret, vnde eadem membra fouerentur & coalescerēt, quamuis sæpissimè recisa, rursus velut è viua radice renata pullularent: esse autē caput, radicem, & stipitem, atque adeò corpus ipsum, id quod contra ius ac fas, contra propriam & sinceram humanæ mentis rationē, animum, animiq; sensus ageret, & corporis persæpè membra exerceret: idq; variis nominibus propterea diceretur, quòd aliis atque aliis modis agere, imperare, mouere, trahere, ducere, impellere, & incitare hominem, deprehensum esset. Quod enim operor non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio: consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in Ibidem. " "

» me peccatum. Scio enim quoniam non habitat in me, hoc est, in carne mea,
» bonum. Nam velle adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio. Non
» enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autẽ quod
» nolo, illud facio: iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.
» Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet.
» Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Huius itaque peccati radix, caput, stipes, corpus, & vehemens vis, hic humanæ naturæ adhærens vitij morbus, qui propter diuturnitatem callum dolori atque animo obduxerat, diuinæ legis calore & efficientia sentiri atque affligere sentientem hominem cœpit, atque cognitione sui, & propriæ conditionis ac miseriæ tædium animo

Rom 7. peperit, atque infirmitudinis vim acerbiorem sentienti exhibuit. S. S. E. Oc-
» casione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem
» concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam sine lege aliquando. Sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus sum: & inuentum est in me mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors?
» Absit: sed peccatum, vt appareat peccatũ, per bonum operatum est mihi mortem: vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatũ. Scimus enim quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Hoc itaq; vnum ex muneribus legis à Deo latæ fuit, totius, inquam, humanæ deformitatis & prauitatis initia, causas, & incrementa indicare, & vitiositatis in tota vita constantis, & à seipsa dissentientis materiam, vim, atque euenta omnia, latentemq; iam diu fraudem & occultum malum prodere, corruptione illa ad extremum vsque demonstrata, quam hominum genus, Serpentis morsu exulceratum, patiebatur magis quàm agnosceret; hoc est, mortis ipsius imagine exactè describenda, & ante oculos, vt ita dicamus, proponenda; quæ cùm verè mors esset, homines quos corripuisset (corripuerat autem vniuersam Adami progeniem) vitæ omnino expertes reddidit, atque ex consequẽti, omni seipsos resuscitandi aut reficiendi & instaurandi facultate priuatos reliquit: nam quæ societas luci cum tenebris, aut vitæ cum morte? Quidquid enim mortuum iacet, nullam sibi ipsi prorsus afferre opẽ potest, imò nullum nomen, præterquam mortis aut nihili, obtinet. Siquidem actionis origo efficacitasq; omnis à vita est; vita verò præter Verbũ Dei nulla est; à quo quicquid exciderit, in meras tenebras atque in mortem abit. S. S. E. Omnia per

Ioan. 1. ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est: in ipso autem vita erat.

~~Atque hæc haud dubiè ratio fuit quamobrem diuinæ legis interpres, minister, & scriptor Moyses voluminis à se descripti opus, principia altius deducta,~~

multis vigente lege, non modo iis, quibus illa, vti ex professione ac doctrinę
excolebatur, verum aliis quoque, qui adhuc in Gentiū nomine & censu erant.
Namque et in illa altera classe multi recensentur, vt Ezechias, qui Deum
deprecaturus, ita obtestabatur, Memento Domine quòd ambulauerim corā Esaie 38.
te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. “
Et Zacharias, illiusq́ uxor Elizabeth, Erant ambo iusti in conspectu Do-
mini, & incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine
querela. Atque sub extremā veteris fœderis ætatē, Vir quidam erat in Cæsa- Act. 10.
rea nominē Cornelius, centurio cohortis quæ dicitur Italica, religiosus, ac ti- “
mens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & de- “
precans Deum semper. & quædam mulier nomine Lydia, purpuraria ci- Actor. 16.
uitatis Thyatirenorum, colens Deum, laude commendatur. Hos omnes quos “
inscripta per Moysen lege instructos non fuisse constat, interim tamen animi
ac mentis doctrina edoctos, ac diuinitus adiutos, legitimis officiis, quatenus
id humanè præstari potest, Deo naturæ vires cognoscēte, et suis modulis exa-
minante ac probante, defunctos fuisse intelligimus, vel Paulo asserēte: Cùm Rom. 2.
enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: “
eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scri- “
ptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & “
inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus. Itaq; “
quod natura ipsa, cùm integra adhuc persisteret, sua sponte & nouerat, &
agere poterat, idem postea iam fracta ac debilis tamen cognoscere & conari
atque etiam conficere potuit, non perinde plenè atque purè, ut quondam cùm
inuiolata maneret, sic tamen adeò satis, vt Deo placeret adiuuanti, & maio-
ra pollicito, ad illaq́ promouenti. S. S. E. Ambulauit Hanoch cum Deo. Genes. 5.

*Hanc verò vitæ rectè instituendæ ac ducendæ facultatem, quibus in rebus & actionibus exercere oporteret hominem pium & fidelem, Diuina lex docuit, decem primùm præceptis, veluti summis agendorum ac faciendorum capitibus, Angeli voce ac præconio pronunciatis, deinde in tabulas lapideas diuina arte relatis & incisis, ex quibus complura alia, veluti membra deducta, Moysi ministro & interpreti dictata, quæ tum publicos totius gentis, tum priuatos singulorum capitum ac munerum officiorumq́ mores ac ritus complexa, nihil quod vel ad religionem, vel ad probitatem vniuscuiusque personæ, vel ad hominum communitatem & societatem inter ipsos colendam, decens, opportunum, ac pro temporum ac seculorum vsu rectum, iustum, sanctum atque vtile honestumq́ esset, requirendum prætermiserant, nihil rursus pro illorum temporum atque hominum statu superuacaneū continebant.*
*S. S. E. Omnia mandata tua veritas. Atque ita humanæ sapientiæ, & illi* Psal. 118.
*prauæ atque ambitiosæ ingeniorum insolenti & audaci licentiæ, pro suo cuiusque consilio de moribus atque vitæ institutis definiendi ac decernendi hoc resistebatur pacto, vetando videlicet, ne quis pietatis, religionis, virtutisq́ nomine quippiam, præter diuinum præscriptum, aut docere, aut agere, aut*

Deut. 12. *contrà dedocere, vitare, ac vetare ausus esset. Quod præcipio tibi, hoc tātùm*
» *facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.*

*Quoniam verò ratio ac tractatio hæc omnis, quam Latinè Legem, Græcè* NOMON *dicere solemus, non modò vitæ rectè agendæ regulas ac præcepta tradebat, sed omnem humani generis ac status historiam ab initio vsque rerum & mundi repetitam explicabat, Deo imponente, sua, hoc est, primæua illa lingua (cui præcipuè sacra mysteria credita fuere) nomen* THORAH,
Deut 33. *hoc est, doctrinæ, obtinuit. S.S.E. Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus*
» *est nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia. In dexte-*
» *ra eius ignea lex. Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt: & qui*
» *appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.* THORAH *præce-*
» *pit nobis Moyses, hæreditatem multitudinis Iacob.*

# De altero præcipuo Legis munere & beneficio.

## CAPVT II.



PRAVITATIS *hominum animis insitæ principia & causas, atque adeò euenta omnia, legis à Deo latæ doctrina & expositione indicata fuisse intelleximus; ac venenatum illud virus detectum deprehendimus, vnde illa communis pestis ac publica mors ex vno homine in mortalium omnium genus dimanauerat, cuius efficientia vel impotentia potiùs effectum erat, vt ab illo præcepto,* NON CONCVPISCES, *nemini sua virtute atque operâ immuni esse contingeret; satisq; videretur factum, si cupiditatis impetum nec operis exemplum, nec voluntatis deliberatæ sequeretur obsequium. Hactenus enim humanæ sapientiæ exceptio ingenio exercitando, & consilio communicando processerat, vt sibi satis abundeq; fecisse videretur, si primum concupiscentiæ motum in manu hominis minimè esse statueret. Ita enim humana saltem apud Latinos & ratio, & mens, & sententia definit, huiusmodiq; oratione rem ipsam pronunciat. Et quidem quatenus vitam illam expectat, quæ in communi hominum consuetudine societateq; versatur, quæq; à Philosophis politica siue ciuilis dicitur, satis rectè institutam arbitrari par esset, si vel omnia officia & beneficia, quæ erga homines agenda commendantur & præcipiuntur, quis præstaret, ita vt nihil in quempiam aliū, nec in seipsum, vel flagitÿ vel peccati vltro admitteret exsequeretúrve, quamuis maximè aliàs admittere aut exsequi cuperet. Atque adeò ad hanc vsque rationem & metam de temperantia, abstinentia, continentia, iustitia, fortitudine, atque harum veluti duce prudentia, in summaq; de virtute satis diligenter ac subtiliter ab hominibus disputatum est, &, quod ad mores attinet, satis à pluribus præstitum, ab iis*

*præ-*

præcipuè, & citra controuersiam omnem, quos in sacris historiis, & oraculis, atque scriptis commendatos laudatósque accepimus.

Et quidem huiusmodi vitæ ratio ac modus sua sponte apud homines laudem meretur, & humanitatis etiam tuetur nomen. Quippe vt homo rationis ac mentis capax & particeps est, ita secundùm naturæ propriæ decorum viuere agereq́ debet; idq́ iure assequitur, vt hominem, qualem Adami similem depingimus, expreßisse & præstitisse existimetur, & dignus censeatur, quem ciuilis lex omnis incolumem, saluum, ac tutum conseruet. S.S.E. Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea. Ita quidē euenerat, vt mortalis eius officij & consuetudinis, quæ mortalibus aliis deberentur, ponderibus examinatus, iustus, temperans, benignus & officiosus, ac denique bonus iure dici posset; vbi videlicet ea facere cauisset, quæ legis præceptis vetantur; ea rursus præstasset, quæ eadem lege sanciuntur; nempe à damno dando, & malo inferendo abstinere, commodis alienis studiosè prospicere & operam dare. Ita enim virum bonum describere popularis doctrina solet. Rom. 10. Leuit. 18.

Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges, iuráque seruat: Horat. Lib. 1. Epist.
Quo multæ magnæque secantur iudice lites:
Quo responsore, & quo causæ teste tenentur.

Verùm enimuero cùm hominis natura non solùm cæteris animantibus, quæ rationis excellentia & membrorum forma & facultate anteit, longè superior sit, sed etiā paulo minùs Angelis inferior, diuinæ auræ particulam, quam mentem dicimus, ad imaginem similitudinemq́ Dei factam, obtineat; fit, vt non satis abunde fuerit se ab iniuria abstinendo, & officio faciendo, cæteris præbere superiorē, nisi etiam, qua Dei repræsentat imaginē, purum, candidum, ac lucidum, planeq́ sanctum & intaminatum præberet, ea videlicet legis ac præceptorum parte præstanda, quæ spirituales actiones cōtinet, hoc est, homine interiore cum diuinis iussis ac institutis penitus consentiente & conueniente, & inferiore nihil pugnante, aut aduersi quicquam agente. S.S.E. Hæc est annunciatio quam audiuimus ab eo, & annunciamus vobis: Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo nō sunt vllæ. si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatē habemus cum eo. Hanc autem lucem idem arbitramur esse quod mentem puram, integram, candidam, & simplicē omnino, nihil à Dei ipsius, qui mens purißima, integerrima, candidißimaq́ est, amore, studio, & iussu degenerantem, atque ab illius amore nulla omnino vel minima ex parte alienatam aut diductam, nec quicquam sua sponte, vel sibi, vel aliis cupientem, quod numinis ipsius, quod imitari oportet, lucem offendat, imaginémque illius in se residentem inficiat. Quam legis spiritualem dictitatam partem duo maximè diuinæ legis præcepta exigebant, sanctißima quidem illa & luci- 1 Ioan. 1.

caute lege

*lucidißima, suaq́; sponte commendatißima, verùm Adami posteritati post publicam illam ruinam prorsus difficillima præstitu. Alterum erat:*

Deut. 6. DILIGES DOMINVM DEVM TVVM EX TOTO CORDE TVO, EX TOTA ANIMA TVA, EX TOTA FORTITVDINE TVA.

*Alterum verò, quod natura vnicum, rerum autem vetandarum distinctione multiplex est:*

NON CONCVPISCES DOMVM PROXIMI TVI, NEC DESIDERABIS VXOREM EIVS, NON SERVVM, NON ANCILLAM, NON BOVEM, NON ASINVM, NEC OMNIA QVÆ ILLIVS SVNT.

caue lege

*Hæc verò sicut & ex his legitimè deducta cætera præcepta non solùm hominibus, qui sensu ad cognoscendum inducuntur, verùm Deo ipsi, cui interna animorum ac mentis agitatio constat & patet, probanda exigebat lex; vt non externo tantùm exemplo, sed interno animi studio, atque adeò spiritu ipso exercita atque præstita iudicarentur: id quod cùm tantùm imperasset ac postulasset illa pronunciata, & in tabulas relata lex, nec quicquā præterea virium ac facultatis hominum animis præstitisset (vtpote quæ nihil ad perfectum deduceret) augere magis peccatum animos docendo ac præcipiendo, quàm leuare vel tollere censebatur, ac damnationem & iudicium magis quàm vitam aut virtutem dicebatur afferre: namque ad hanc regulam directus animalis mortalisq́; homo immane quantum prauus, quantum à recto discrepans deprehendebatur. S.S.E. Numquid iustificari potest homo comparatus*

Iob 25.

» *Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non splendet,*
» *& stellæ non sunt mundæ in conspectu eius. Quanto magis homo putredo,*

Iob 4.

*& filius hominis vermis! & rursus: Numquid homo Dei comparatione iu-*
» *stificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui seruiunt ei, non sunt sta-*
» *biles, & in Angelis suis reperit prauitatem. Quanto magis hi qui habitant*
» *domos luteas, & qui terrenum habent fundamentum, consumentur veluti tinea! Idcirco diuinæ Sapientiæ præstantißimus interpres, atque adeò Sapientia ipse* IESVS, *Dei Filius, quatenus hominibus, & quo nomine præcepta præstare contingeret, quo rursus non contigerat, ad suæ vsque virtutis*

Lucæ 17.

*communicationem disertè docebat: Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt*
» *vobis, dicite; Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. id nimirum consecuti, quod qui non præstiterit, ne hominis quidem, nedum serui Dei nomen tueri iure posset. Verumtamen vt vltra serui conditionem animalis homo obseruanda lege progressum faciat, quoad præcepta illa spiritualia, spiritu etiam effecerit, & lex, & ratio, & Euangelij doctrina diffingit:*

Rom. 7.

*quæ eiusmodi hominem carnalē appellatum, sub peccatò venundatū indicat.*

*Atqui lex eadem quæ homini suam imbecillitatem, infirmitudinem, atque has consecutam mortem indicauit, ac sensu ipso cognoscendam dedit, viam euestigio ostendit, qua huiusmodi publicum, commune, ac penitus inhærens*

*herens malum non sanari modò, sed in vitam & felicitatem summam mutari demum possit, mutandumq; esset iis, qui sese opportunis rationibus & modis ad id obtinendum summum bonum pararent: id autem non humanis viribus aut facultatibus, verùm Dei virtute efficiendum esse, qui imaginem similitudinemq; suam in homine inditam, & hominis culpâ, atque serpentis dolo contaminatam, non instaurare modò, sed confirmare, & admirandis multisq; nominibus amplificare & exornare constituisset, atque hoc propositum suum ab ipso vsque calamitatis publicæ tempore declaratum, repetendis per singula secula promissis promulgatum ac traditum voluisset: id verò nūc in ipso latæ legis volumine variis tum sermonibus, & allocutionibus, tum imaginibus, ritibus, & actionibus, aliisq; mysteriis & credendum, & sperandum, exspectandumq; commendari, & literarum monumentis ad vsque opportunum rei expediendæ ac perficiendæ tempus consignatum tradi.*

*Hoc itaque illud alterum diuinæ legis beneficium fuit, in cuius laudibus magna sacrorum scriptorum versatur pars, eorum nempe qui simul & peccati cognitionem in sacra lege datam, & virtutem animi ad laboris & studij progressus vnà cum Dei ope faciendos indicatam, & veræ absolutæq; salutis, diuini verbi efficientia obtinendæ, promissionem & spem factam agnouere. Cuius sententiæ totū illud carmen est: Legem pone mihi Domine viam* Psal. 118.
*iustificationum tuarum, & exquiram eam semper. Da mihi intellectum, &* «
*scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Deduc me in* «
*semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Inclina cor meum in testi-* «
*monia tua, & non in auaritiam. Amputa opprobrium meum quod suspica-* «
*tus sum: quia iudicia tua iucunda. Et veniat super me misericordia tua Do-* «
*mine: SALVTARE tuum secundùm eloquium tuum. Et respondebo expro-* «
*brantibus mihi verbum: quia speraui in sermonibus tuis. Hæc igitur legis of-* «
*ficiorum summa fuit, homini cum primis & suum à Deo principium atque integræ naturæ statum, & deinde ex concessæ dignitatis gradu casum indicare, & quid illum agere oportuisset, ostendere; rursus verò quantum à debiti muneris integritate distaret, reprehendere; quantum porrò agere & facere cum diuina ope & gratia contingeret; idq; sedulò agendum suadere, & pote & hominis conditione dignum, & Deo imperanti gratum & probandum, modòne in illa externa præceptorum obseruantia, salutis & felicitatis æternæ, atque beatæ diuinæq; vitæ poneretur votorum summa, sed in virtute ac efficientia Verbi Dei, quæ id quod ante integrum creauerat, & suo ipsius vitio ad nihilum delapsum fuerat, benignè tamen fouere, & in longè felicissimum locum reficere ac promouere decreuerat. Quam efficientiam & summa fide credendam, & maxima spe poscendam, ac perpetua cura expetendam commendabat lex: quæ cùm salutem ipsa afferre non posset, indicare ac docere tamen potuit; & quid interim ad illius exspectandum verum ipsum agi, quid effici ac præstari oporteret, declarando admonuit & præcepit, donec illud adesset, quod venturum & affuturum pollicebatur, nempe*

*diuinum Verbum omnia instauraturum, atque adeò in meliorem conditionem promoturum, cuius virtute familiæ omnes terrarũ benedicendæ erant, vt Abrahamo promissum lex ipsa docuit. Ad huius beneficij à lege exhibiti*

Galat. 3. *rationem doctrina illa Apostolica pertinet: Lex ergo aduersus promissa Dei?*

» *Absit. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato: vt promissio ex fide Iesu*

» *Christi daretur credentibus. Priùs autẽ quàm veniret fides, sub lege custo-*

» *diebamur conclusi, in eam fidem quæ reuelanda erat. Itaque lex, pædagogus*

» *noster fuit in Christo: vt ex fide iustificemur. At vbi venit fides [quæ reue-*

» *landa erat] iam non sumus sub pædagogo.*

*Ita legis illius diuinæ in tabulis incisæ, & certis deinde voluminibus explicatæ priori officio, quàm sit homini curta supellex cognoscitur; quamq́ misera ac tenuis, atque etiam calamitosa conditio, si vel cum illo priore naturæ ac donorum statu comparetur, vel ad diuini iudicij normam examinetur: Posteriore verò causa & ratione hominum dignoscitur discrimen, eorũ, inquam, qui fidem cum pietate coniunctam colunt, & eorum qui vtramque vel alteram deserunt aut negligunt: namque istis neutra sine altera ad felicitatem prodest, quamquam alterutra adesse videatur: illis verò vtraque simul ad obtinendum diuinum promissum, hoc est, æternæ vitæ beneficiũ, plu-*

Psal. 118. *rimum confert. Inclinaui cor meũ ad faciendas iustificationes tuas in æter-*

» *num, propter retributionem. Atque retributionem hanc, quam fidelis ac pius exspectat animus, magnum illud salutis atque vitæ donum idem Vates interpretatus est; cuius qui Deo authore compos fuerit, propter sancti Spiritus virtutem, qua firmatur & vegetatur, legis obseruantiam non externè tan-*

Ibidem. *tùm, sed etiam internè Deo probat. S. S. E. Retribue seruo tuo, viuifica me:*

» *& custodiam sermones tuos. & idem, Viam mandatorum tuorum cucurri,*

» *cùm dilatasti cor meum. Quàm diu verò humanum cor angustis Adami spatiis exclusus vrgetur, externæ præceptorum custodiæ pensionem, quam in eo statu debet, vbi sedulò soluerit, vt seruus fidelis domino placet; idemq́ vt ad altiora promoueatur, ex benigno Dei promisso promeretur. Externam verò pensionem appellamus pugnam illam & luctam in exterioris hominis motibus & appetitionibus compescendis ac domandis, nec imperare sinendis, atque in humanitatis ac pietatis officiis rectè faciendis; quã exercitationem in vno omnium parente Adamo ab omni genere exactam iam antea accepi-*

Genesis 3. *mus: In sudore vultus tui vescêris pane tuo. Quisquis enim id quod minus est, pro suæ conditionis fide præstiterit; id ex diuina benignitate, quod maius*

Matth. 25. *est, dono accipiet. S.S.E. Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti*

» *fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Atqui nusquã legimus Deum ab hominibus legis imperio ac seculo addictis quicquam exegisse vltra id quod mentis electione, & animi diuina ope & gratia adiuti virtute præstari posse declaratum est; idq́, cùm præstitum fuerit cum confes-*

Lucæ 12. *sione debiti & imbecillitatis oblatum placere ac probari intelleximus. Sint*

» *lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos*

*simi-*

*simile: hominibus exspectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptiis: vt cùm venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos, cùm venerit dominus, inuenerit vigilātes. Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Quo promisso magnum diuini beneficij celatur mysterium, significaturq́ conditio illa, qua pios & credentes homines Deus è seruis in filiorum libertatem traducendos & asserendos receperat, & ex maledicto in prosperitatem ac benedictionem sibi mutandos fuerat pollicitus. Dum itaque illius maximi beneficij parabatur opportunitas, & adornabatur; eos, quibus illud expeteretur, non solùm fide atq; spe exspectationeq́ actos, sed honestæ vitæ (quoad id præstari oportebat, & integrum erat) actionibus intentos & incumbentes, ac pietatis rationibus, non sine magna futurorum bonorum significatione, studium atque operam nauantes esse lex iußit; multis quidem illos tum officiis, tam ritibus occupatos, quæ simul & rerum sperandarum maiestatem quodammodo indicarent, & vitam non otio aut segnitie torpere sinerent, & etiam ipsam humanæ naturæ imbecillitatem arguerent; cuius cùm aliàs partes fuissent, illa omnia spiritu & veritate, ac reapse præstare, tamen propter internum morbum, vel externo cultu & ministerio, nō sine sumptu aßiduo, ac magno labore, seruitiíque exemplo, vix rectè ac purè exhiberentur.

S.S.E. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine, & ab* PSAL. 18.
*alienis parce seruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero,* "
*& emundabor à delicto maximo.* "

# De gente in regnum optata, deque Legis opportunitate.

## CAPVT III.

OMNIVM *hominum animis ac mentibus opus legis inscriptum fuisse, edocti sumus, idq́ multorum viuis exemplis didicimus: verùm temporum longitudine, ac præcipuè exterioris hominis vitio legem illam, quam naturalem dicimus, aliis atque aliis modis turbatam & obscuratam exstitisse, compluribus gentium opinionibus, & ingeniorum variis impeditam sententiis, minùs, quàm res ipsa postulabat, excultam, imò alicubi etiam gentium neglectam, & legendis temporum ac nationum historiis & sacris voluminibus euoluendis intelleximus. Adeò vt rem rationemq́ hanc omnem in maximas tenebras incidere tandem pronum esset, nisi Dei, hominum genus fouentis & curantis, prouidentia singularis corrigeret, legibus videlicet ferendis, ac doctrina constituenda, quæ voluntatis suæ, atque Veri Boniq́ à Falso & Malo distinctam summam complecteretur, eamq́ gentibus omnibus promulgatam vellet, ex instituto & exemplo primùm nationis vnius, quam ad propositum suum vrgendum & promouendum*

*uendum creauerat, comparauerat, & eduxerat, hoc est, posterorum Abrahami, & Isaaci, & Iaghacobi, quos ab exiguis initiis, hoc est, ab vnius singulari domo, & sterili antè coniugio, per vnicum liberum ad maximam animarum*
Isaiæ 51. *copiam & multitudinem produxerat.* S. S. E. *Audite me qui sequimini*
» *quod iustum est, & quæritis Dominum: attendite ad petrā vnde excisi estis,*
» *& ad cauernam laci de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum,*
» *& ad Saram quæ peperit vos: quia vnum vocaui eum, & benedixi ei,*
» *& multiplicaui eum.*

*Huius autem Abrahami ingentem posteritatem in Aegypti regione adultam, incolarum siue indigenarum petulantia & superbia, ac principū potentia, maximaq́; Regis tyrannide oppressam, atque in durissimæ seruitutis assiduas operas damnatam & traditam, miserrimè omnium gentium viuere ac agere euenerat, Aegyptiis cùm populis, tum præcipuè magnatibus ac Rege antiquorum ac veterum beneficiorum oblitis, quæ à Iosepho Israelitarum gentili quondam publicè priuateq́; accepta fuerunt; vt hominum sunt mores, sui ipsorum amantium, & aliorum inuidentium commodis, atque adeò antiqua illa odia ac dissidia inter Noahhi filios orta, continuatis inimicitiis, proferentium. Namq; Aegyptij ex Chamo deducti, Israelitas à Semo oriundos inuisos ac suspectos habuere, vltra etiam religionis, & cultus, & rerum ac verborum inter vtrumque populum discrepantiam.*

*Qua igitur tempestate seruitij iugo maximè & acerbissimè pressos Israelitas Deus vidit, eadem liberare, & in libertatē asserere, atque sibi in præcipuum peculiaremq́; ex gentibus omnibus populum deligere, regniq́; singularis titulo ac iure ornare voluit: vt quanto ex inferiore loco, ac duriore conditione, ad suauissimum libertatis vsum sese traductos cognoscerent, tanto gratiore animo obligatos fateri, & alacriore pietatis officio perpetuò obseruando dedere, fas, ius, æquitas, & ipsa communi quoque sensu humanitas iuberet, & legibus diuinis cùm colendis, tum suo exemplo ad omnem terrarum orbem propagandis ac dilatandis operam dare suaderet.* S. S. E. *Parum*
Isaiæ 49.
» *est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas.*
» *Ecce dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.*
» *Hæc dicit Dominus redemptor Israel, Sanctus eius.*

*Huius verò propositi atque beneficij sui de Israele liberando, seruando, ornando, atq; amplificando consilium & opportunitatem Moysi ad eam rem sibi delecto interpreti ac ministro communicare & committere dignatus*
Exodi 3. *Deus, huiusmodi sermone exposuit: Vidi afflictionē populi mei in Aegypto,*
» *& clamorem eius audiui propter duritiem eorum qui præsunt operibus, &*
» *sciens dolorem eius, descendi, vt liberem eum de manibus Aegyptiorum,*
» *& educam de terra illa in terram bonam & spatiosam, in terram quæ fluit*
» *lacte & melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi,*
» *& Heuæi, & Iebusæi. Clamor ergo filiorum Israel venit ad me,*
» *vidíque afflictionem eorum qua ab Aegyptiis opprimuntur. Sed veni, &*
*mittam*

mittem te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Israel de Aegypto. «
Neque verò tantùm instituta, studia, moresq; hominum lege publicè ferenda ac sancienda corrigere, & rectam vitæ humanæ viam munire, Deus parabat, hoc est, non tantùm homines, quid ad rectè viuendū agere oporteat, edocere; sed etiam quid ipse ad æternam illorum salutem agendum conficiendumq; ab initio mundi susceperit, indicare. Atque ita in hoc populo redimendo, liberando, deducendo, & conseruando, ac demum in promissæ terræ possessionem mittendo, maximi illius consilij de expugnanda ac dissipanda antiqui hostis tyrannide, deq; cælorum regno instituendo & stabiliendo, in hominibus arcanam imaginem & simulachrum oculis ac sensu capiendum depinxit & expressit: ita tamen vt quamquam simulachrum quidem illud, reipsa tamen, naturaq; sua maximum opus, diuinumq; planè beneficium esset, & quoddam quasi pignus futuræ animorum libertatis, eodem authore ac redemptore Deo, qui populo illi grauissima seruitute laboranti vindicem & assertorem se præbuerat efficacissimum, & vel hac ipsa vnica imagine edenda vim, efficientiam, sapientiam, & liberalitatem suam maximo & adorando tremendoq; præconio ac nomine cùm inferis ac terrigenis, tum superis omnibus nationibus ostenderat, iudicio nimirum edito & exercito in populi à se delecti inimicos, & in eos etiam quos isti pro diis haberent & colerent.
S.S.E. Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. Quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, « Exod. 9.
& super seruos tuos, & super populum tuum: vt scias quòd non sit similis «
mei in omni terra. Nunc enim extendens manum percutiam te & populum «
tuum peste, peribisq; de terra. Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. Rem verò omnem quemadmodū agere, & ad publicæ salutis rationē instituere, ac demum conficere decreuisset, Moysi ministro certa serie significatā Deus exposuit:
Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente: Exodi 6.
& nomen meum IEHVEH non indicaui eis. Pepigiq; fœdus meum cum «
eis, vt darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua «
fuerunt aduenæ. Ego audiui gemitum filiorum Israel quo Aegyptij oppresserunt eos: & recordatus sum pacti mei. Ideo dic filiis Israel, Ego Dominus «
educam vos de ergastulo Aegyptiorum, & eruam de seruitute: ac redimam in «
brachio excelso, & iudiciis magnis. Et assumam vos mihi in populum, & «
ero vester Deus: & scietis quòd ego sum Dominus Deus vester qui eduxi «
vos de ergastulo Aegyptiorum: & induxerim vos in terram bonam, super «
quam leuaui manum meam vt darem eam Abraham, Isaac, & Iacob: daboq; «
illam possidendam vobis, ego Dominus. Dixitq; Dominus ad Moysen: Ecce ego constitui te deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit propheta tuus. « Exodi 7.
Tu loquèris ei omnia quæ mandabo tibi: & ille loquetur ad Pharaonem, vt «
dimittat filios Israel de terra sua. Sed ego indurabo cor eius, & multiplicabo «
signa & ostenta mea in terra Aegypti, & non audiet vos: immittamq; ma- «

» num meam super Aegyptum, & educam exercitum & populum meum filios
» Israel de terra Aegypti per iudicia maxima. Et scient Aegyptij quia ego sum
» Dominus qui extenderim manum meam super Aegyptum, & eduxerim fi-
Exodi 12. lios Israel de medio eorum. & rursus, Transibo, inquit, per terram Aegypti
» nocte illa, percutiamq; omne primogenitum in terra Aegypti, ab homine vs-
» que ad pecus, & in cunctis diis Aegypti faciam iudicia. Ego Dominus.

Huius autem totius maximæ agendæ atque demum à Deo peractæ rei non summam tantùm atque exitum, sed mirabilem continuationem, seriémque ipsam obseruare ac tenere expedit vnicuique huius nostri operis lectori, qui salutis illius externæ populo olim Israelitarum per Deum allatæ ac datæ rationem veram, ac potiorem etiam vsum ad se pertinere intellexerit. Pertinere namque propriè atque egregiè ad nostram hanc postremam mundi ætatem
1 Cor. 10. Spiritus diuinus docuit. Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scri-
» pta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorũ deuenerunt. Adeóque hoc verum esse comperimus, vt scripta sacra omnia ad vnicum genus humanum, id est, singulos homines, spectare credamus. quippe singuli homines idem quod Adam sunt, cuius causa diuinum de publica salute propositum constitit.

Est autem huiusmodi rerum obseruanda series: Gentem videlicet illam, Deo dilectam, ab Aegyptiis quondam exceptam hospitem, & de illis propter Iosephum benemerentem, tamen grauißimo seruitio oppressam fuisse, ac malorum sensu impulsam, Deum appellasse, eundem benignum, misericordem, ac liberatorem, assertorémque expertam, demum liberam euasisse, ac in populi formam & exemplum constitutam, eundem Deum, Regem, Legumlatorem, iúsque sibi dicentem, atque adeò gubernatorem, & vindicem præcipuo ac singulari beneficio obtinuisse, eóque decore & ornamento omnibus, qui vspiam terrarum agerent, mortalibus antelatam euasisse, teneríque, ac debere tanto dono non modò perpetuam gratiam & laudem, verùm etiam authorem esse gentibus aliis ad eiusmodi felicitatis communionem optandum & petendum, atque adeò ex his terrenis & minoribus bonis illa cælestia & maxima considerandum, & credendum, exoptandum, omniq; studio & opera curandum & poscendum.

Igitur Aegyptiorum maxima illa insolentia, superbia, & contumacia compluribus iudiciis atque animaduersionibus, tandémque inundatione, & mersione, abolitionéque apud Arabicum sinum, Rubrum mare appellatum, perfracta, Israelitæ omnes incolumes ac liberi constituti, Deum salutis suæ illius maximæ, quam nulla humana vis aut potentia præstare potuisset, authorem agnoscentes, confeßi, atque debita verißimi carminis gratulatione
Exodi 14. prosecuti sunt. S. S. E. Liberauítque Dominus Israel in die illa de manu
» Aegyptiorum. Et viderunt Aegyptios mortuos super littus maris, & ma-
» num magnam quam exercuerat Dominus contra eos, timuítque populus Do-
» minum, & crediderunt Domino, & Moysi seruo eius. Quippe ipsa liber-
tatis

*tatis conditio aliena ab illo ſeruili metu ac labore, qua viuentibus & inſtantius Aegyptiis vexabantur, iiſdem poſtea in mari demerſis, ac prorſus extinctis, nouum deinceps vitæ modum atque vſum, nouos poſtulabat mores, ſub benigno atque beneficentiſſimo liberatore & aſſertore Deo traducendos, atque ex illius reſponſis, Moyſe interprete, inſtituendos.*

*Tunc cecinit Moyſes & filij Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt:* Exodi 15.
*Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem deiecit in mare.*

*Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Iſte Deus meus, & glorificabo eum; Deus patris mei, & exaltabo eum. & cætera omnia quæ carmine illo terrenæ libertatis gratulatorio, atque promiſſæ animorum ſalutis myſteriis refertiſſimo, celebrantur.*

## De Lege manifeſtè publicata, ac Legumlatoris Dei haud ambigua fide.

### CAPVT IV.

POPVLVM *illum ex Semi poſteritate oriundum, Abrahamo, Iſaaco, & Iaghacobo, claris Patribus ortum, vbi è ſeruitutis miſeria in libertatem aſſeruiſſet Deus, eodem in loco, quo ante annum cogendum & ſtatuendum præceperat, iam conſtitutũ, et in Reipub. ac ciuitatis ſiue regni formã inſtruere, & legibus, quibus gubernari oportebat, erudire atq; informare conſtituit. idq; ſibi faciendum Moyſi ante annum, vti ſignificabamus, prædixerat: Ego ero tecũ, & hoc habebis ſignum* Exodi 3.
*quòd miſerim te: cùm reduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum.*

*Igitur cum redempto ac liberato ſibiq; iam addicto populo regni atq; vitæ legibus & conditionibus ferendis, fœdus quamprimum ſancire Deus conſtituit, & quonam pacto ſuæ, quo etiam populi partes deinceps agendæ eſſent, decernere. Ne verò res hæc per interpretem perpetuò acta, humanæ authoritatis & operæ ſuſpicionem cuiquam mortalium commouere poſſet; præſentiam, veritatem, voluntatemq; ſuam nulli ambigendam, eadem illa tempeſtate non coniecturis modò cognoſcendã, ſed viua voce, atque manifeſto ſermone ex ſupremo loco edito, publicè probandam exhibuit, ſignis præterea & portentis eiuſmodi additis, quæ & authorem Deum declararent, & qualem pro illo rerum atque hominum ſtatu cognoſcere fas eſſet, repræſentarẽt: hoc eſt, non quem humani oculi viderent, tamen quem aures audirent, certũ, & animis formidabilem, atque metuendum colendumq; mentibus: verùm hominum conditioni, quæ tunc erat, non tanquam patrem, ſed tanquam dominum ac Regem ducendũ, probis videlicet ac frugi ſeruis propitium, placidum; ac valde etiam beneficum, improbis verò & ignaris aſperum, & animaduer-*

*ſorem,*

*sorem, qui tamen officium suum pro temporis ratione facientibus longè meliorem atq; illustriorem sortem comparatam teneat, & liberalissimè demum sit communicaturus. Atque hoc illius, quam euestigio describemus, narrationis argumentum summumq; caput esto.*

Exodi 19. *Mense tertio egressionis Israel de terra Aegypti, in die hac venerunt in*
*,, solitudinem Sinai. Nam profecti de Raphidim, & peruenientes vsque in*
*,, desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibiq; Israel fixit tentoria è*
*,, regione montis. Moyses autem ascendit ad Deum: vocauitq; eum Dominus*
*,, de monte, & ait: Hæc dices domui Iacob, & annunciabis filiis Israel: Vos ipsi*
*,, vidistis quæ fecerim Aegyptiis, quomodo portauerim vos super alas aquila-*
*,, rum, & assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis*
*,, pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est omnis ter-*
*,, ra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. hæc sunt verba*
*,, quæ loquêris ad filios Israel. Venit Moyses: & conuocatis maioribus natu*
*,, populi, exposuit omnes sermones quos mandauerat Dominus. Responditq;*
*,, omnis populus simul: Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. Cumq; re-*
*,, tulisset Moyses verba populi ad Dominum, ait ei Dominus: Iam nunc ve-*
*,, niam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & cre-*
*,, dat tibi in perpetuum. Nunciauit ergo Moyses verba populi ad Dominum.*
*,, Qui dixit ei: Vade ad populũ & sanctifica illos hodie, & cras, lauentq; ve-*
*,, stimenta sua. Et sint parati in diem tertiũ: in die enim tertio descendet Do-*
*,, minus coram omni plebe super montem Sinai. Constituesq; terminos populo*
*,, per circuitum, & dices ad eos: Cauete ne ascendatis in montem, nec tangatis*
*,, fines illius: omnis qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tangat*
*,, eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis: siue iumentum fuerit,*
*,, siue homo, non viuet. cùm cœperit clangere buccina, tunc ascendant in mon-*
*,, tem. Descenditq; Moyses de monte ad populum, & sanctificauit eum. Cumq;*
*,, lauissent vestimenta sua, ait ad eos: Estote parati in diem tertium, & ne ap-*
*,, propinquetis vxoribus vestris. Iamq; aduenerat tertius dies, & mane inclu-*
*,, ruerat: & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes den-*
*,, sissima operire montem, clangorq; buccinæ vehementiùs perstrepebat: & ti-*
*,, muit populus qui erat in castris. Cumq; eduxisset eos Moyses in occursum*
*,, Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis. Totus autem mons Sinai*
*,, fumabat: eo quòd descendisset Dominus Deus super eum in igne, & ascen-*
*,, deret fumus ex eo quasi de fornace: eratq; omnis mons terribilis, & sonitus*
*,, buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixiùs tendebatur: Moyses lo-*
*,, quebatur, & Deus respondebat ei. Descenditq; Dominus super montem Si-*
*,, nai in ipso montis vertice, & vocauit Moysen in cacumen eius. Quò cùm*
*,, ascendisset, dixit ad eum: Descende, & contestare populum: ne fortè velit*
*,, transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima*
*,, multitudo. Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne*
*,, percutiat eos. Dixitq; Moyses ad Dominum: Non poterit vulgus ascendere*

in

*in montem Sinai; tu enim testificatus es, & iussisti, dicens: Pone terminos circa montem, & sanctifica illum. Cui ait Dominus: Vade, & descende. Ascendes que tu & Aaron tecum, Sacerdotes autem & populus non transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne fortè interficiat illos. Descenditque Moyses ad populum, & omnia narrauit eis.* " " " " "

*Oportuit autem celeberrimo virorum mulierumque conuentu de fœdere illo agi, quod non ad illam gentem modò, sed ad omnes quoque totius orbis homines pertineret, hoc est, quod veræ humanitatis officiorum ab omni singulari opinione & sententia liberam contineret summam illi populo proponendam ac declarandam, quem gentium omnium cæterarum doctrina veritate, & morum exemplis magistrum Deus optauerat. Neminem verò in tanta multitudine à conuentu remotum oportuit, quo res omnibus communis testatissima, imò & exploratissima atque certissima cunctis euaderet, nec post illum cuiquam ex tanto testium numero inficias iri posset. Angelus itaque è supremo loco auditus, Dei gubernatoris ac Regis partes agebat, populus vero ipse suas tam publicas quàm priuatas. Atque hactenus per interpretem res acta erat, videlicet Moysen ab Angelo personam Dei sustinente vocatum, & cum mandatis ad gentem missum, rursusque à gente cum responsis redeuntem, & vtriusque partis consensus & studia referentem. Namque Dei illa propositio Moysi ministro mandata fuerat: Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea est enim terra; & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Hæc sunt verba quæ loquêris filiis Israel. Quod mandatũ summa fide perlatum & expositum ab interprete legimus. Venit Moyses, & conuocatis maioribus natu populi, exposuit omnes sermones quos mandauerat Dominus. Atque maiorum operâ de mandato illo ad populum relatum ac deliberatum voluntatis & obsequij responsum publicè etiam factum est. Responditque omnis populus simul: Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. Voluntate itaque de fœdere, pactione, & conditionibus vtrinque accepta & reddita, præsentem & manifestam allocutionem in diem tertium pollicitus Deus, ritè, purè, atque studiosè, attentisque animis expectandam, quòd is mos in summis principibus nominandis antiquus & legitimus esset, maximè vbi populus non per vim & potentiam, sed sponte atque vltro deliberato consilio & certo Regem sibi constituit. Quamquam enim Deus populum illum, vt sua virtute ex inimicorum tyrannide ereptum, seruitutis conditione retinere iure potuit, illustriore tamen donare clementer ac benignè voluit, obedientia videlicet, non quæ vt coactos seruos & mancipia heri ergastulo operisque addiceret, sed quæ vt libertos patroni obsequiis & imperio exerceret, atque adeò Regis legibus, & potestate legitima teneret. Id quod illis frequẽti postea cõmemoratione repetitum fuit. S. S. E. Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terrã. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos* " " " " "

Exodi 19.

Deut. 7. & 11.

» cùm omnibus sitis populis pauciores: sed quia dilexit vos Dominus, & custo-
» diuit iuramentū quod iurauit patribus vestris. Eduxitq́; vos in manu forti,
» & redemit de domo seruitutis, de manu Pharaonis Regis Aegypti.

Atque adlocutionem illam publicam & celeberrimam in tertium diem
Exodi 19. ita indixit Deus: Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras, lauentq́;
» vestimenta sua. Et sint parati in diem tertium: in die enim tertio descendet
» Dominus coram omni plebe super montem Sinai. Descenditque Moyses de
» monte ad populum, & sanctificauit eum. Cumq́; lauissent vestimenta sua, ait
» ad eos: Estote parati in diem tertium, &c.

# Adlocutionis forma.

## Capvt V.



CVM nulla non modò piæ, sed nec humanæ vitæ pars officio vacare debeat, siue ea publicè, siue priuatè, siue singulariter vnicuique, siue cum aliis agenda sit, eáque ratio certam disciplinam postulet actionum omnium, tam quæ ad religionem diuinumq́; cultum, quàm quæ ad priuatos mores & singularia studia, atque etiam quæ ad communem hominum inter se societatem & consuetudinē rectè instituendam pertinent, summa & maxima ac præstantissima capita decem generalibus & latè patentibus præceptis Deus illo die tradidit, quo populum publicè ac palàm allocutus est, cælo ac terra illius actionis arbitris & consciis, ac deinde
Exodi 20. perpetuò testibus. Locutusq́; est Dominus cunctos sermones hos:

I. Ego sum DOMINVS Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de do-
» mo seruitutis.

II. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque om-
» nem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eo-
» rum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles: ego sum Do-
» minus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in
» tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me: & faciens mise-
» ricordiam in millia ijs qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.

III. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. neque enim habebit in-
» sontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

IV. Memento vt diem sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies
» omnia opera tua. Septimo autem die sabbathum Domini Dei tui est: non fa-
» cies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla
» tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus
» fecit Dominus cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & re-
» quieuit in die septimo: idcirco benedixit Dominus diei sabbatho, & sancti-
» ficauit eum.

V. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram,
» quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Non

*Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies.* VI VII.VIII
*Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium.* IX.
*Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis vxorem eius, non* X.
*seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.*

*Quibus decem præceptis, præceptorumq́; rationibus & vsibus, diuini humaniq́; iuris, & omnium tam ad æternam quàm ad mortalem hanc vitam facientium legũ fontes animo ac memoria vnicuique mortalium cõtinendi, aperti sunt ab ipso rerum omnium, atque adeò generis hominum authore & sapientißimo gubernatore, vero, viuente, & æterno Deo, neque hominũ quispiam quicquam vel excogitare potuit, quod capitum summæ huic addendo, vel deducendo, quippiam mutare posset: quippe breuis illa Dei adlocutio, fas, decus, & ius omne cùm priuatis tum publicis in actionibus, studiis, & vitæ totius humanæ consuetudinibus tenendum, complexa est, atque hominũ ingenio ac iudicio modestiam imperauit, & instituendæ ex libidine, vel opinione, vel sententia, vitæ arrogantiã repreßit. Quis enim tanta superbia, tanta audacia esse poßit, qui Dei sapientiæ ac doctrinæ addendum vel detrahendum putaret? Dei verò ac non hominis, nec alterius naturæ quàm cælestis, doctrinam & institutionẽ illam esse, vox ipsa probauit & confirmauit humana sublimior, terribilior, & efficacior; quæ non modò hominũ corda metu ac pauore afficiebat, verùm naturam ipsam sensu atque anima carentium rerum concussam excitabat, ac tubarum instar ad sonitum commouens, latoris pronunciatorisq́; legum sermoni comitem operam horribili sono atq; spectro præbere iubebat. S.S.E. Interroga de diebus antiquis qui fuerunt ante* Deut. 4
*te ex die quo creauit Deus hominem super terram, à summo cælo vsque ad* "
*summum eius, si facta est aliquando huiusmodi res, aut vnquam cognitũ est,* "
*vt audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti &* "
*vidisti: si fecit Deus vt ingrederetur, & tolleret sibi gentem de medio na-* "
*tionum, per tentationes, signa, atque portenta, per pugnam & robustam ma-* "
*num, extentumq́; brachium, & horribiles visiones, iuxta omnia quæ fecit pro* "
*vobis Dominus Deus vester in Aegypto, videntibus oculis tuis: vt scires* "
*quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter vnum.* DE CÆLO "
*te fecit audire vocem suam, vt doceret te: & in terra ostendit tibi ignem* "
*suum maximum, & audisti verba illius de medio ignis, quia dilexit patres* "
*tuos, & elegit semen eorum post eos.* "

*Ac ne quispiam dictorum & acceptorum publicè præceptorum, quibus expetendarum ac fugiendarũ summa rerum continebatur, vel obliuiosam memoriam excusaret, vel rationem numerumq́; aliqua ex parte per audaciam aut inscitiam turbaret, aut alio pacto inuerteret, ea ipsa quæ publicè denunciata fuerant legum capita, binis incisa lapideis tabulis, alteris prioribus diuina manu primùm factis & inscriptis, alteris verò à Moyse comparatis, verùm Dei digito exaratis, ad perpetuum veræ ac solidæ doctrinæ monumentum & exemplar traditæ, & in mystica arca, in sacro tentorio primùm,*

*postea verò in templo quodam Ierosolymis magnificentissimè exstructo conseruata sunt, vt veræ pietatis elementa ac prima principia ex illo petita loco, integra & intaminata in quamplurimos codices describenda constarent. Id verò ita consultum, factum, ac præstitum populo audienti Moyses commemorans, ait: Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram de medio ignis, & nubis, & caliginis, voce magna, nil addens amplius: & scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi. Atque ita merito semper ab illius ætatis hominibus legum summa illa diuina prorsus ac cælestis habita, atque à posteris ad nostrum vsque tempus credita fuit.*

Deut. 5.

## De partitione ac diuisione Legum, earumque exercitatione & vsu.

### CAPVT VI.

INTERIOREM *hominem ab illo primo naturæ naufragio, & antiqua multarum virtutum atque commoditatum vitæ calamitate ac iactura, adeò femineæ parti, hoc est, exteriori homini addictum intelleximus, vt Deus ipse hoc pacto rursus instruendum & adusque expediendæ salutis publicæ opportunitatem deducendum susceperit. Et quamquam germanus Dei cultus intra animum propriè spectetur; S. S. E. Deus Spiritus est; & eos qui adorant, in spiritu & veritate oportet adorare: tamen diuinæ clementiæ, bonitatis, ac prouidentiæ fuit, quemadmodum pietatis atque humanitatis officia præstari ab homine mortali & Adami simili possent, prospicere, consulere, atque exigere, neq; vlterius quicquam (quamquam iure primo deberetur) postulare, quàm quod pro præsenti conditione reddi integrum esset. Ad quam rationem illa explicanda expostulatio est: De ore tuo te iudico, serue nequam: sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui, & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam? Itaque animali homini, cui spiritualium rerum difficillima exploratio est, ea tantùm agenda, tractanda, conficiendaq; præcipiuntur, quæ cum vtriusque partis, superioris videlicet ac inferioris portionis ingenio, habitu, & facultate conueniant; ex quo fit, vt multa, quæ, si interno munere præstarentur, abunde grata & probata euaderent, per externi atque sensibus habilis ritus imaginem & exercitationem purè exhibita, pro præsentis conditionis vsu satisfaciant, modò non aridi, nuda, & ieiuna, atque spiritualis expertia mysterij & significationis aut exhibeantur, aut esse censeantur. Nam quæcunque huius notæ ac farinæ fuerint, non otiosa ac superuacanea modò, verùm etiam inania, atque adeò vitiosa, odiosa, molestaq; euadere deprehenduntur. S. S. E. Ad vos, ô sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis, In quo despeximus nomen tuũ? Offertis super altare meum panem pollutum, &*

Ioan. 4.

Lucæ 19.

Malach. 1.

& dicitis, In quo polluimus te? In eo quòd dicitis, Mensa Domini despecta «
est. Si offeratis cæcum ad immolandum, nónne malū est? & si offeratis clau- «
dum & languidum, nónne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut «
si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum. & paulo post: Vos pol- «
luistis nomen meum in eo quòd dicitis, Mensa Domini contaminata est, & «
quod superponitur, contemptibile est cum igne qui illud deuorat. Et dixistis: «
Ecce de labore, & exufflastis illud, dicit Dominus exercituum, & intulistis «
de rapinis claudum & languidum, & intulistis munus. numquid suscipiam «
illud de manu vestra, dicit Dominus? Maledictus dolosus, qui habet in grege «
suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino: quia Rex magnus «
ego, dicit Dominus exercituum. & nomen meum horribile in Gentibus. Ita-
que internum cultum ad se vere ac propriè pertinentem, quàm diu homo per
carnem infirmior præstare purè, exactè, atque perfectè non valet, quemad-
modū quidem exhibere potest, exigitur ac postulatur, ita tamen vt externum
ipsum ritè candideq; exhibeat, dumq; exhibet, internum se magis debere in-
telligat, idq; sedulò agat, vt pro animi intentione illum cogitet, illumq; præ-
stare exoptet, &, cùm se minùs valere agnoscat, diuinam opem benignitta-
temq; imploret, ab eademq; se susceptum, adiutū, ac promotum, demumq; per-
fectum iri credat & speret. S S. E. Quoniam si voluisses sacrificium, de- Psal. 51.
dissem vtique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contri- «
bulatus: cor contritum & humiliatū Deus non despicies. Benigne fac Do- «
mine in bona voluntate tua Sion, & ædificentur muri Ierusalē. Tunc acce- «
ptabis sacrificiū iustitiæ, oblationes & holocausta: tunc imponent super altare «
tuum vitulos. & rursus: Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis Psal. 18
parce seruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & «
emundabor à delicto maximo. Et erunt vt complaceant eloquia oris mei, & «
meditatio mea in conspectu tuo semper [id quod spero faciet] Dominus adiu- «
tor meus, & redemptor meus. «

Igitur mortalis homo, is nimirum, cuius actio & conuersatio nondum in
cælis est, cuiusq; mens nondū est diuinitus immutata, sed interim ex earum
rerum, quæ sensibus percipiuntur, cognitione ad vlteriorum, & quæ ad spi-
ritum pertinent, cogitationem deducitur, iis rebus & imaginibus eruditur
ac instituitur, iisq; actionibus exercetur & occupatur, quæ externæ suæ par-
tis facultate & operâ confici possunt, atque ad internæ monitionem & exci-
tationem relatæ, illud veræ pietatis studium non impediunt, sed excitant
magis, atque desiderium illud immutationis & amplificationis à Deo pro-
missæ, ac suo tempore efficiendæ incendunt.

Et quidem interea dum animalem, hoc est, suam ipsius homo vitam viuit,
in otio prorsus esse nequit (nam vita, quæcunque ea sit, motu & operatione
semper nunc alia, nunc verò alia tenetur) quare vt aliquid agat, aliquid fa-
ciat, meditetur aliquid, necesse est, siue id bonum sit, siue malū. Atque ita eius,
qui suam vitam salutis propriæ à Deo expetendæ atque exspectandæ fides infor-

*mat, certis actionibus, & exercitationibus, atq; studiis occupatam intendere, ostendere, atq; adeò probare oportet. S.S. E. Quid proderit, fratres mei, si*

Iacobi 2.

*» fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nũquid poterit fides sal-*
*» uare eum? Si autem frater aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidia-*
*» no; dicat autem aliquis ex vobis, illis; Ite in pace, calefacimini & saturamini;*
*» non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori: quid proderit? Sic & fi-*
*» des, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Sed dicet quis: Tu fidem ha-*
*» bes, & ego opera habeo. ostende mihi fidem tuam sine operibus: & ego osten-*
*» dam tibi ex operibus fidem meam.*

*Istius verò debilioris, hoc est, humanæ conditionis ratio, facultas, & efficacitas, habilitasq; omnis bifariam distribuitur. Aut enim eas res agit homo, quæ ad se relatæ, in se etiam consumuntur, eundemq; ipsum vel iuuant, vel lædunt, & partim corpori, partim animo commoda & incommoda sunt, vt moueri, quiescere, pasci, esurire, exspoliari, vestiri, cogitare, vigilare, dormire, & à cogitatione vacare, & quæcunque huius generis vtramque spectant partem: aut ea quæ agit, & facit, & fert, ad alium extra se referuntur. Atq; hæc rursus in tria partiri solent membra, quorum maximam, hoc est, præcipuam dignitatem ea vendicant, quæ officium aduersus Deum definiunt & postulant; deinde verò ea sequuntur, quæ societatem & communionem cum cæteris hominibus seruandã spectant. Postremo loco reliqua omnia sunt, quæ in cælo atque sub cælo continẽtur variis naturæ distincta generibus, quorum vsus hominem ipsum, cuius causa omnia condita fuere, attingit. Quamquam verò omnis ratio hæc generatim pietatis nomine significari Latinè possit, tamen differendi atque cognoscendi causa distingui singula suis verbis cōmodiùs censemus, & primam clarissimamq; partem* Pietatem, *secundam* Officium, *tertiam verò* Vsum, *siue* Vsurpationem *dicere solemus. Vt Pietas id sit quod erga Deum & spirituales res, Officium quod erga homines agere, Vsum verò quem ex cæteris rebus hominem capere oporteat ac deceat.*

Pietas. Officium. Vsus.

## De officiorum siue actionum generibus diuina Lege definitis.

### CAPVT VII.



*IDELIS ac pij, salutiq; suæ studentis hominis acta & facta omnia tribus iis, quæ cõmemorabamus, generibus, Pietate, Officio & Vsu, diuina lex complexa est. Nam quæ propriè diuinum spectarent timorem & cultũ, illis præceptis tradidit: Audi Israel,*

Deut. 6.

*» Dominus Deus tuus Deus vnus est. Diliges Dominum Deum tuum ex*
*» toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Non habebis*
*» deos alienos in conspectu meo. Non facies tibi sculptile, nec similitudinẽ om-*
*» nium quæ in cælo sunt desuper, & quæ in terra deorsum, & quæ versantur*

*in aquis sub terra: non adorabis ea, & non coles. Non vsurpabis nomen Domini Dei tui frustra. Obserua diem sabbathi vt sanctifices eum, sicut praecepit tibi Dominus Deus tuus: Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimus, dies sabbathi est, id est, requies Domini Dei tui. non facies in eo quicquam operis, tu, & filius tuus, & filia, seruus & ancilla, & bos, & asinus, & omne iumentum tuum.*

*Quae verò actiones & studia ad officium pertinent, generibus illis clauduntur: Honora patrem tuum & matrem. Non occîdes. Non mechaberis. Non furtũ facies. Non loquêris contra proximum tuum falsum testimoniũ.*

*Porrò quae ad vsum referuntur earum omnium rerum quae hominũ causa condita sunt, & in illa sabbathi celebritate, & in his postremis indicantur praeceptis: Non concupisces vxorem proximi tui. Non domum, non agrũ, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, & vniuersa quae illius sunt.*

*Quaecunque humani animi puritatem & singulares mores, priuatásque vniuscuiusque actiones tangunt, Praecepta Latini interpretes dixere: quae vero Dei timorem & cultum comitantur, Ceremonias dictas legimus: ea autem quae in communi vita & societate, mutuaq́ consuetudine versantur, Officia dici Latinè possunt, ab Interpretibus Iudicia appellantur. Quae omnia genera ab illis decem summis capitibus & fontibus profecta, in plures actiones diducuntur, vel rerum materia & natura, vel personarum ac temporũ modorumq́ rationibus distincta. Ea vero cùm lex illa diuina, tum quae è celo audita, tum quae in tabulas relata fuit, summatim edixisset, quoniam singulariter explicari oportebat, ne quid contra fas ac ius, contraq́ Dei consilium, vel addendo, vel detrahendo, humana audacia ac sapientia illa industriaq́ priuata mutaret, suis singularibus formis ad singula genera adscribendis, Vati atque interpreti Moysi, poscente & postulante populo, explicanda dictata fuere diuinitus. Id quod ab eodem in publica concione & professione declaratum & confirmatum fuit. Vos autem postquam audistis vocem de medio tenebrarum, & montem ardere vidistis; accessistis ad me omnes principes tribuum & maiores natu, atque dixistis: Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster maiestatem & magnitudinem suam. vocem eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie, quòd loquente Deo cum homine, vixerit homo. Cur ergo moriemur, & deuorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus vltrà vocem Domini Dei nostri, moriemur. Quid est omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audiuimus, & possit viuere? Tu magis accede, & audi cuncta quae dixerit Dominus Deus noster tibi, loquerisq́ ad nos, & nos audientes faciemus ea. Quod cùm audisset Dominus, ait ad me: Audiui vocem verborum populi huius quae locuti sunt tibi: bene omnia sunt locuti. Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore, vt bene sit eis & filiis eorum in sempiternum? Vade ergo & dic eis, Reuertimini in tentoria vestra. Tu verò hîc sta mecum, & loquar tibi* Deut. 5.

*omnia*

„ *omnia mandata mea, & ceremonias atque iudicia: quæ docebis eos, vt faciant*
„ *ea in terra quam dabo illis in possessionem. Custodite igitur & facite quæ*
„ *præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad*
„ *sinistram: sed per viam quam præcepit Dominus Deus vester ambulabitis,*
„ *vt viuatis, & bene sit vobis, & protelentur dies in terra possessionis vestræ.*

*Totius verò doctrinæ illius quæ summatim à Deo edita, singulatim verò Moysi ad explicandum describendumq́ dictata fuit, corpus, tribus præcipuis (vti diximus) partibus constans, cōplurıbus præceptis & institutis concinnatum compositumq́ obseruatur, id est, sexcentum ac tredecim, quæ per omne monumentorum à Moyse descriptorum volumen varijs in locis nominatim distributa sunt. Ea verò quamquam illinc petere liceat, nos tamen si certa serie & commoda breuitate enumerata, recensuerimus, non exiguum nostra legentibus operæprecium facturi videmur, quòd ratione vsuq́ sui dignissima cognitu existimentur, vtpote ex sapientiæ diuinæ fonte hausta, & expetendarum ac fugiendarum species rerum referentia, quæ sola sui contemplatione animum erudiant, actione verò & exercitatione (quantum fas est) suscepta corrigant & ornent, atque melioris conditionis desiderium incutiant, ad eamq́ postulandam excitent, communiantq́ mentes. Magnum enim hoc pacto huius disciplinæ vsum esse, quicunque rectè ac purè studiosi fuêre, intelligebant. Omnia mandata tua veritas. In æternum non oblitus ca*

Psal. 118. „ *iustificationes tuas: quia in ipsis viuificasti me. In quo corrigit adolescentior*
„ *viam suam? in custodiendo sermones tuos. Super inimicos meos prudentem*
„ *me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est. Super omnes docentes me*
„ *intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi, quia*
„ *mandata tua exquisiui. Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt custodiam*
„ *verba tua. Hæreditate acquisiui testimonia tua in æternum, quia exultatio*
„ *cordis mei sunt. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in*
„ *æternum propter retributionem.*

*Illa etiam altera causa ad præcepta enumeranda digna iudicatur, videlicet cognosci intelligiq́ apertiùs possit, quàm durum iugum impositum, quamq́ graue onus ferendum fuerit iis qui legis doctrinæ studio atque cultura operam dare ex religione atque instituto tenerentur, tot præceptis, iussis, & imperiis præstandis, tot ritibus purè seruandis, tot officiis faciendis ita vt assiduo labori intenti, tunc etiam perpetuo angerentur metu offensionis & maledicti sine vlla exceptione pronunciati in quemcunque non desertorem tantùm, sed etiam vel minima ex parte neglıgentem. Nam quamquam quoad externum opus illa omnia quæ præcepta, & imperata, dictata fuerant, & singula curari agiq́ diligenter posse putarentur; tamen vt nihil omnino mendi, nihil prauitatis, nihil vitij in colentium animis reprehenderetur, nulli ex illis rerum ac temporū statu sibi prorsus promittere, nulli profiteri ac defendere contigisse legimus, interim dum peccati regnum in ... vigeret. Atque huc illud spectat quod Epistolæ ad Hebræos author P...*

descr...

docuit: *Et omnis sacerdos præstò est quotidie ministrans, & easdem sæpe* Hebr. 10.
*offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata. & iterum, Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum; per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indefinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere: alioquin cessassent offerri, ideo quòd nullam haberent vltra conscientiam peccati, cultores semel mundati. sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. & Petrus Apostolus legis iugum id* Act. 15.
*esse ait, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus.*

Cùm autem viuendi disciplina omnis duobus capitibus percipiatur, altero earum quas facere, altero verò earum quas vitare oporteat rerum, idq́ in omni actionum genere spectetur; fit vt lex, quam imperandi prohibendiq́ sapientiam dicimus, alias iubendo res, alias verò vetando, in Iussa atque Vetita distribuatur: quorum nominum ad artis ac sermonis commodiorem vsum perpetua habenda ratio fuerit. his enim duabus contrariis formis vniuersa hæc doctrina traditur. S. S. E. *Declina à malo, & fac bonum, & inhabita* Psal. 36.
*in sæculum sæculi.* Hæc verò, quæ abunde satis ad hanc rem fore duximus, præfati, præceptorũ seriem simpliciter Latina oratione subiiciemus, sine vlla commentationis vel disputationis cura. Namque hoc longioris operis, ac maioris fuerit laboris. Contenti autem nos vnà cum lectore fuerimus indicandis locis ipsis ex quibus præcepta petuntur.

## Imperiorum siue iussorum enumeratio & catalogus. CAP. VIII.

I. DEVM ESSE, EVNDEMQVE OMNIVM RERVM AVTHOREM ET GVBERNATOREM CREDITO.

*Ex illo: Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra* Deut. 5.
*Aegypti, de domo seruitutis.*

II. DEVM VNICVM CREDITO.

*Audi Israel, Dominus Deus noster Deus vnus est.* Deut. 6.

III. DEVM AMATO.

*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua,* Deut. 6.
*& ex tota fortitudine tua.* Leuit. 19. & 25.

IV. DEVM TIMETO.

*Timebis Dominum Deum tuum.* Deut. 6.

V. DEVM COLITO.

*Seruietis Domino Deo vestro. Et nunc Israel quid Dominus Deus* Exodi 25.
*tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis* Deut. 10.
*eius, & diligas eum, & seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua?*

VI. DEO HAERETO.

*Dominum Deum timebis, & ei seruies, & ipsi adhærebis.* Deut. 10.

Myster. VII. PER NOMEN DEI IVRATO.

Deut. 10. *Ipsi adhærebis, iurabísque in nomine illius.*

VIII. DEVM IMITATOR.

Deut. 13. & 28. *Dominum Deum vestrum sequimini. &, Si custodieris mandata Domini, & ambulaueris in viis eius.*

IX. DEI NOMEN SANCTVM HABETO.

Leuit. 22. Ibidem 10. *Sanctificabor in medio filiorum Israel. Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi gloriabor.*

X. IVSSA DEI DISCITO ET LOQVITOR.

Deut. 11. *Ponite hæc verba mea in cordibus vestris, & animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate; docete filios vestros* vt illa meditentur.

XI. IVSSA DEI DOCETO.

Deut. 6. *Eruntq́ verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, &* Narrabis ea filiis tuis.

XII IVSSA DEI MONVMENTI LOCO ESTO.

Ibidem. Ibid. 11. *Eruntq́ & mouebuntur inter oculos tuos. &, Ponite hæc verba mea in cordibus & animis vestris; & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate.*

XIII. IVSSA DEI IN MANV HABETO.

Ibidem 6. *Et ligabis ea quasi signum in manu tua.*

XIV. IVSSA DEI PRO ORNAMENTO GESTATO.

Leuit. 15. *Loquere filiis Israel, & dic eis vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorũ, ponentes in eis vittas hyacinthinas; quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini: ne sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes; sed magis memores præceptorum Domini, faciant ea, sintq́ sancti Deo suo. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegypti, vt essem Deus vester.*

XV. IVSSA DEI DOMI MEDITATOR.

Deut. 6. 11. *Scribesq́ ea in limine & ostiis domus tuæ.*

XVI. IVSSA DEI SOLEMNITER AC PVBLICE GENTI OMNI EXPONVNTOR.

Deut. 31. *Conuenientibus cunctis ex Israel, vt appareant in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit Dominus; leges verba legis huius coram omni Israel, audientibus eis, & in vnum omni populo congregato, tam viris quàm mulieribus, paruulis, & aduenis qui sunt intra portas tuas: vt audientes discant, & timeant Dominum Deum vestrum, & custodiant impleantq́ omnes sermones legis huius. filij quoque eorum qui nunc ignorant: vt audire possint, & timeant Dominum Deum suum cunctis diebus quibus versantur in terra, ad quam vos, Iordane transmisso, pergitis obtinendam.*

XVII. REX LEGIS DIVINÆ LIBRVM SIBI DESCRIBITO, SECVM TENETO, ILLVM ASSIDVE RELEGITO.

Deut. 17. *Postquam autem sederit [rex] in solio regni sui, describet sibi deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ*

*[...]itice tribus, & habebit secum, legetq́ illum omnibus diebus vitæ suæ, vt* Myster.
*[...]scat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias*
*[...]as, quæ in lege præcepta sunt.*

XIIX. VNVSQVISQVE SIBI LEGEM DESCRIBITO.

*Scribite vobis canticum istud, & docete filios Israel, vt memoriter te-* Deut.31.
*neant, & ore decantent.*

XIX. VBI PASTVS FVERIS, DEO LAVDEM DICITO.

*Cùm comederis, & saturatus fueris, benedicas Domino Deo tuo.* Ibid 8.

XX. TEMPLVM DEO DICATO.

*Facient mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum.* Exodi 25.

XXI. TEMPLVM DEI SACROSANCTVM HABETO.

*Sanctuarium meum metuite. Pauete sanctuarium meum.* Leuit. 19. & 26.

XXII. TEMPLVM DEI SEMPER OBSERVATO ET COLITO.

*Applica tribum Leui, & fac stare in conspectu Aharon sacerdotis, vt* Num.3.
*ministrent ei, & excubent & obseruent quidquid ad cultum pertinet mul-*
*titudinis coram tabernaculo testimonij, & custodiant omnia vasa taberna-*
*culi, seruientes in ministerio eius. Dixitq́ Dominus ad Aharon: Tu, &* Ibid.18.
*filij tui, & domus patris tui tecum portabitis iniquitatem sanctuarij: & tu,*
*& filij tui ministrabitis in tabernaculo testimonij. Excubate in custodia*
*sanctuarij, & in ministerio altaris: ne oriatur indignatio super filios Israel.*

XXIII. TEMPLI MINISTERIIS LEVITÆ FAMVLI SVNTO.

*Filiis Leui mihi in tabernaculo seruientibus, & portantibus peccata po-* Ibid.
*puli, legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. &, Ministrabit* Deut.18.
*in nomine Domini Dei sui, sicut omnes fratres eius Leuitæ, qui stabunt eo*
*tempore coram Domino.*

XXIIII. SACERDOS PVRE MINISTRATO.

*Missa aqua lauabunt in ea Aharon & filij eius manus suas ac pedes quan-* Exodi 30.
*do ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad al-*
*tare vt offerant in eo thymiama Domino, ne fortè moriantur. Legitimum*
*sempiternum erit ipsi & semini eius per successiones.*

XXV. SACERDOTES IGNEM SANCTVM PERPETVO CVRANTO.

*Collocabunt eam Aharon & filij eius vt vsque manè luceat coram Do-* Exodi 27.
*mino. Perpetuus erit cultus per successiones eorum coram filiis Israel. &*
*rursus: Ponetq́ eas Aharon à vespere vsque ad manè coram Domino, cultu* Leuit.24.
*ritúq́ perpetuo in generationibus vestris. Super candelabrum mundissimum*
*ponentur semper in conspectu Domini.*

XXVI. SACERDOTES POPVLO BENE PRECANTOR.

*Loquere Aharon & filiis eius: Sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis.* Num.6.

XXVII. DEI MENSÆ PANE PERPETVO INSTRVITOR.

*Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.* Exodi 26.

XXIIX. DEI ARAM BIS QVOTIDIE SVFFITO.

*Et adolebit incensum super eo Aharon suaue fragrans manè: quando com-* Exodi 30.
*ponet lucernas, incendet illud: & quando collocabit ad vesperam, vret thy-*
*miama sempiternum coram Domino in generationes vestras.*

Myster. XXIX. IGNEM ALTARI QVOTIDIE INCENDITO.

Leuit. 6. *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subiiciens ligna manè per singulos dies.*

XXX. CINIS AB ARA QVOTIDIE TOLLITOR.

Ibidem. *Vestietur tunica sacerdos, et feminalibus lineis: tollensq́; cineres, quos vorans ignis exussit, & deponēs iuxta altare, spoliabitur prioribus vestimētis.*

XXXI. IMPVROS A COMMVNIONE ARCETO.

Num. 8. *Præcipe filiis Israël vt eiiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusq́; est super mortuo: tam masculum quàm feminam eiicite de castris, ne contaminent ea cùm habitauerint vobiscum.*

XXXII. SACERDOTEM SANCTVM DVCITO.

Leuit. 21. *Quia consecratus est Deo suo, & panes propositionis offert. Sit ergo sanctus, quia ego sanctus sum, qui sanctifico vos.*

XXXIII. SACERDOS ORNATV SANCTO MINISTRATO.

Exodi 39. *De hyacintho verò, & purpura, vermiculo ac bysso fecit vestes, quibus indueretur Aharon, quādo ministrabat in sanctis, sicut præcepit D̄ns Moysi.*

XXXIV. SACERDOTES CISTAM MYSTICAM HVMERIS TRANSFERVNTO.

Num. 7. *Filiis autem Caath non dedit plaustra & boues, quia in sanctuario seruiunt, & onera propriis portant humeris. & , Tulerunt filij Leui arcā Dei, sicut præceperat Moyses iuxta verbum Domini, humeris suis in vectibus.*

1. Paral. 15.

XXXV. PONTIFEX OLEO SANCTO INVNGITOR.

Leuit. 21. *Pontifex, id est, sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusq́; est sanctis vestibus.*

XXXVI. SACERDOTVM VICISSITVDINES SVNTO.

Deut. 18. *Si exierit Leuites ex vna vrbium tuarum ex omni Israel, in qua habitat, & voluerit venire, desiderans locum quem elegerit Dominus, ministrabit in nomine Domini Dei sui, sicut omnes fratres eius Leuitæ, qui stabunt eo tempore coram Domino. Partem ciborum eandem accipiet quam & cæteri: excepto eo quod in vrbe sua ex paterna ei successione debetur.*

XXXVII. SACERDOS NECESSARIOS SVOS DESIDERATOS LVGETO.

Leuit. 21. *Ne contaminetur sacerdos in mortibus ciuium suorum, nisi tantùm in consanguineis ac propinquis, id est, super patrem & matrem, & filium & filiam, fratrem quoque & sororem virginem, quæ non est nupta viro.*

IIXL. PONTIFEX VIRGINEM VXOREM DVCITO.

Ibidem. *Virginem ducet vxorem.*

IXL. BINIS AGNIS QVOTIDIE FACITO.

Exodi 29. Num. 28. *Hoc est quod facies in altari: Agnos anniculos duos per singulos dies iugiter, vnum agnum manè, & alterum vespere.*

XL. PONTIFEX BIS QVOTIDIE LIBAMEN DATO.

Leuit. 6. *Hæc est lex sacrificij libamentorum, quæ offerent filij Aharon coram Domino, & coram altari: Tollet sacerdos pugillum similæ quæ conspersa est oleo, & totum thus quod super similam positum est, adolebitq́; illud in altari in monumentum odoris suauissimi Domino.*

XLI. SABBATHO BINIS ALTERIS AGNIS SACRIFICANTOR.

*Die autem sabbathi offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, & liba quæ ritè funduntur per singula sabbatha in holocaustum sempiternum.* Myster. Num. 28.

XLII. CALENDIS FESTVM SACRIFICIVM FACITO.

*In Calendis autem, id est, mensium exordiis, offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos septem immaculatos, & tres decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes, & decimam decimæ similæ ex sacrificio per agnos singulos. holocaustum suauissimi odoris atque incensi est Domino.* Ibid.

XLIII. FESTI TRANSITVS SEPTEM DIES SOLENNI PRÆTEREA SACRO CELEBRATO.

*Offeretis incensum holocaustum Domino vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem: & sacrificia singulorum ex simila quæ conspersa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem, & decimā decimæ per singulos agnos, id est, per septem agnos: & hircum pro peccato vnum, vt expietur pro vobis, præter holocaustum matutinum, quod semper offeretis. Ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis, & in odorem suauissimum Domino.* Ibid.

XLIV. SPICAS HORDEI PRIMO MENSE SACRATO.

*Feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad sacerdotem, qui eleuabit fasciculum coram Domino, vt acceptabile sit pro vobis altero die sabbathi, & sanctificabit illum.* Leuit. 23.

XLV. AGNO PVRO SOLENNI EODEM DIE FACITO.

*Atque in eodem die quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini. Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domini, odorémque suauissimum: liba quoque vini, quarta pars hin.* Leuit. 23.

XLVI. FESTO QVINQVAGESIMI BINOS PANES NOVOS AFFERTO.

*Numerabitis ab altero die sabbathi in quo obtulistis manipulum primitiarum septem hebdomadas plenas, vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies: & sic offeretis sacrificium nouum Domino ex omnibus tabernaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domino.* Ibid.

XLVII. SEPTIMI MENSIS CALENDAS SOLENNI SACRO CELEBRATO.

*Mense septimo prima die mensis, erit vobis sabbathum memoriale, clangentibus tubis vocabitur sanctum, & omne opus seruile non facietis in eo;* ET OFFERETIS HOLOCAVSTVM DOMINO. Ibid.

XLIX. SEPTIMI MENSIS DECIMA DIE SACRVM SOLENNE FACITO.

*Decimo die mensis huius septimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus, affligetisq́ animas vestras in eo,* & OFFERETIS HOLOCAVSTVM DOMINO. Ibid.

Myster. XLIX. FESTVM EXPIATIONVM PRÆSCRIPTO RITV CELEBRATO.

Leuit.16. *Vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocaustum: tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit. & quæ præterea toto illo constituuntur capite.*

L. VMBRACVLORVM FERIAS SOLENNI SACRO PROSEQVITOR.

Leuit.23. *A quinto decimo die mensis septimi erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino. Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus: omne opus seruile non facietis in eo, & septem diebus offeretis holocausta.*

LI. OCTAVAM VMBRACVLORVM FERIAM SINGVLARI SACRO PERAGITO.

Ibidem. *Dies quoque octauus erit celeberrimus atque sanctissimus, & offeretis holocaustum Domino: est enim cœtus atque collecta.*

LII. OMNIS MAS TER IN ANNO TEMPLVM DEI PETITO.

Deut.16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit, in solennitate azymorum, & in solennitate hebdomadarum, & in solennitate tabernaculorum.*

LIII. TER IN ANNO MASCVLVS OMNIS IN TEMPLO SESE OSTENDITO.

Ibidem. *Tribus vicibus per annum* APPAREBIT.

LIV. DIEM FESTVM LÆTVS AGITO.

Deut.16. *Et epulaberis in festiuitate tua tu, & filius tuus, & filia tua, & seruus tuus, & ancilla tua. Leuites quoque & aduena, ac pupillus, ac vidua qui intra portas tuas sunt.*

LV. MAS ET FEMINA PEZZAHH RITE FACITO, NEGLIGENS NOXIVS ESTO.

Num.9. *Faciant filij Israel Phase in tempore suo quartadecima die mensis huius ad vesperam, iuxta omnes ceremonias & iustificationes eius.* * *Si quis autem mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis.*

LVI. CARO PEZZAHH CVM INFERMENTATO ET AMARIS HERBIS EDITOR.

Ibid. *Quarta decima die mensis ad vesperam cum azymis & lactucis agrestibus comedent illud.*

LVII. QVI IMPVRVS PRIMO MENSE FVERIT, QVIVE ABFVERIT VIR, SECVNDO MENSE PEZZAHH FACITO.

Ibid. *Homo qui fuerit immundus super anima, siue in via procul in gente vestra, faciat phase Domino in mense secundo.*

LIIX. SECVNDI MENSIS PEZZAHH CVM INFERMENTATO ET AMARIS EDITOR.

Ibid. *Cum azymis & lactucis agrestibus comedent illud.*

LIX. FESTIS DIEBVS TVBIS SONANTO.

Num.10. *Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis, & victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri. Ego Dominus Deus vester.*

LX. VICTIMA OMNIS VT MINIMVM DIES OCTO NATA ESTO.

Leuit.22. Exodi 22. *Bos, ouis, & capra cùm genita fuerint, septem diebus erunt sub vbere matris suæ; die autem octauo, ac deinceps, offerri poterunt Domino.*

LXI.

LXI. HOSTIA OMNIS PVRA ESTO. Myster.

*Homo de domo Israel, & de aduenis qui habitant apud vos, qui obtulerit* Leuit. 22.
*oblationem suam, vel vota soluens, vel sponte offerens, quidquid illud obtulerit in holocaustum Domini, vt offeratur per vos, masculus immaculatus erit ex bobus, & ouibus, & capris.*

LXII. SACRIFICIVM OMNE SALE CONDITOR.

*Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies. In omni oblatione offeres sal.* Leuit. 2.

LXIII. SACRIFICIVM CONSVMMATVM CERTO MORE ET RITV PERAGITO.

*Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino, de pecoribus, id est, de bo-* Leuit. 1.
*bus & ouibus offerens victimas, si holocaustum fuerit eius oblatio, ac de armento, masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonij, ad placandum sibi Dominum: ponetq; manus super caput hostiæ, & acceptabilis erit, &c. &, Hæc est lex holocausti, Cremabitur, &c.* Leuit. 6.

LXIV. EXPIATIO RITE PROCVRATOR.

*Ista est lex hostiæ pro peccato: In loco vbi offertur holocaustum, immola-* Ibidem.
*bitur coram Domino. Sanctum sanctorũ est. Sacerdos qui offeret, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi.*

LXV. EXEMPLVM PROPRIO RITV PVRGATO.

*Hæc quoque est lex hostiæ pro delicto: Sancta sanctorum est: idcirco* Leuit. 7.
*vbi immolabitur holocaustum, mactabitur & victima pro delicto: sanguis eius per gyrum altaris fundetur, &c.*

LXVI. PLACATIONI SVVS RITVS OBSERVATOR.

*Hæc est lex hostiæ pacificorum quæ offertur Domino.* Ibidem.

LXVII. MVNVS DILIGENTER SVO RITV CVRATOR.

*Anima cùm obtulerit oblationem sacrificij Domino, simila erit eius ob-* Leuit. 2.
*latio, fundétque super eam oleum, & ponet thus, ac deferet ad filios Aaron sacerdotis, &c.*

LXVIII. MAGISTRATVS PVBLICVM ERROREM EXPIANTO.

*Quòd si omnis turba Israel ignorauerit, & per imperitiam fecerit quod* Leuit. 4.
*contra mandatum Domini est, & postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum, adducétque eum ad ostium tabernaculi, & ponent seniores populi manum super caput eius coram Domino, immolatóque vitulo, &c.*

LXIX. PRIVATVS PRIVATVM ERROREM EXPIATO.

*Quòd si peccauerit per ignorantiam anima [ vnica ] de populo terræ,* Ibidem.
*vt faciat quicquam de iis quæ lege Domini prohibentur, atque delinquat, & cognouerit peccatum suum, offeret capram immaculatam, &c.*

LXX. AMBIGVVM FACTVM EXPIANDVM CVRATO.

*Anima si peccauerit per ignorantiam, fecerítque vnum ex iis quæ Do-* Leuit. 5.
*mini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, iuxta mensuram æstimationemq; peccati: qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit: & dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Domino.*

LXXI.

Myster. LXXI. PECCATVM NOTVM EXPIATOR.

Leuit. 5. *Anima quæ iurauerit, & protulerit labiis suis vt vel malè quid faceret, vel bene, & idipsum iuramento & sermone firmauerit, obliúsque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato, & offerat de gregibus agnam siue capram, &c. toto illo capite.*

LXXII. PECCATA NOTA EXEMPLI HOSTIA DEPRECATOR.

Ibidem. *Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testísque fuerit quòd aut ipse vidit, aut conscius est: nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam. Anima quæ tetigerit aliquid immundum, &c. quæ illo capite indicantur.*

LXXIII. PECCATORVM EXPIATIONES CONFESSIO PRÆITO.

Ibidem. *Vir siue mulier cùm fecerint ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum, & reddent, &c.*

LXXIV. QVISQVIS FLVXIONE PVRGATVS FVERIT, SACRVM FACITO.

Leuit. 15. *Si sanatus fuerit qui huiusmodi retinet passionem, numerabit septem dies post emundationem sui, & lotis vestibus & toto corpore in aquis viuentibus, erit mundus. Die autẽ octauo sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ, & veniet in conspectũ Domini ad ostium tabernaculi testimonij, dabitq́ ea sacerdoti, qui faciet vnum pro peccato, & alterum in holoc. &c.*

LXXV. MVLIER A FLVXV LIBERATA SACRVM DEBETO, SOLVITO.

Leuit. 5. *Si steterit sanguis, & fluere cessauerit, numerabit septem dies purificationis suæ, & die octauo offerent pro se sacerdoti duos turtures, aut duos pullos columbarum ad ostium tabernaculi testimonij, qui vnum faciet pro peccato, & alterum in holocaustum, &c*

LXXVI. QVÆ PEPERIT MVLIER, PVRGATOR, SIVE DIVES, SIVE PAVPER, PRO RE SVA.

Leuit. 12. *Cumq́ expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio siue pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonij, & tradet sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & sic mundabitur à profluuio, &c.*

LXXVII. QVI SANATVS EST A LEPRA, CONSVMMATIONIS, EXPIATIONIS, EXEMPLIQVE VICTIMAS REDDITO.

Leuit. 14. *Die octauo assumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculam absq; macula, & tres decimas similæ in sacrificium, quæ conspersa sit oleo, & seorsum olei sextarium, &c.*

LXXIIX. BOVM ET GREGIS DECVMAM CERTO MORE REDDITO.

Leuit. 27. *Omnium decimarum bouis & ouis & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino.*

LXXIX. PRIMVM BOVIS, ET OVIS, ET CAPRÆ PARTVM SACRVM SISTITO.

Exodi 13. Deut. 15. *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam. De primogenitis quæ nascuntur in armentis & ouibus tuis, quidquid sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo.*

LXXX.

LXXX. FILIVM PRIMVM SANCTVM DESTINATO ET REDDITO. Myster.
*Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi; ita dumtaxat, vt pro homi-* Exodi 22.
*nis primogenito pretium accipias.* Num.18,15.
LXXXI. ASINVM PRIMOGENITVM OVE REDIMITO.
*Primogenitum asini mutabis oue.* Exodi 13,13.
LXXXII. AS NI PRIMOGENITVM NON REDEMPTVM FRANGITO.
*Quòd si non redemeris* VEGHARAPHTHO. Ibidem.
LXXXIII. VNVMQVEMQVE FESTVM DIEM SVIS MVNERIB. CELEBRATO.
*Ad locum quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus ve-* Deut.12.
*stris, vt ponat nomen suum ibi, vt habitet in eo, venietis.*
LXXXIV. MVNERA OMNIA SACRA IN SANCTVM DEFERTO.
*Et offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas & pri-* Ibidem.
*mitias manuum vestrarum, & vota atque donaria, primogenita boum &*
*ouium. Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri. offeres hostias, &*
*fructus quæcunque præcipio tibi.*
LXXXV. DEBITA SACRA, EXPIATIONEM, CONSVMMATIONEM,
ET EXEMPLVM IN SANCTO EXSOLVITO.
*Quæ autem sanctificaueris & voueris Domino, tolles, & venies ad lo-* Ibidem.
*cum quem elegerit Dominus, & offeres oblationes tuas carnem & sangui-*
*nem super altare Domini Dei tui.*
LXXXVI. QVÆ PROFANA REDDVNTVR, AC REDEMPTA FVE-
RINT, FAS EDERE.
*Si autem comedere volueris, & te esus carnium delectauerit, occide, &* Deut.12,15.
*comede iuxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in vrbibus*
*tuis, siue immundum fuerit, hoc est, maculatum & debile; siue mundum, hoc*
*est, integrum, & sine macula.*
LXXXVII. SI QVID SACRO PERMVTAVERIS, ILLVD CVM SA-
CRO SANCTVM ESTO.
*Animal autem quod immolari potest Domino, si quis vouerit, sanctum* Leuit.27.
*erit, & mutari non poterit, id est, nec melius malo, nec peius bono. quòd si*
*mutauerit, & ipsum quod mutatum est, & illud pro quo mutatum est, con-*
*secratum erit Domino.*
LXXXIIX. MVNERIS RELIQVIAS SACERDOTES EDVNTO.
*Quod reliquum fuerit de sacrificio, erit Aharon & filiorum eius. &* Leuit.2.
*paulo inferiùs: Quidquid autem reliquum est, erit Aharon & filiorum*
*eius, sanctum sanctorum de oblationibus Domini.*
LXXXIX. SANCTA PROPITIATORIA SACERDOTES EDVNTO.
*Arietem quoque consecrationis tolles, & coques carnes eius in loco san-* Exodi 29,31.
*cto, quibus vescetur Aharon & filij eius: panes quoque qui sunt in canistro*
*in vestibulo tabernaculi testimonij comedent, vt sit placabile sacrificium.*
XC SANCTÆ CARNES SI CONTAMINENTVR, CREMANTOR.
*Caro quæ aliquid tetigerit immundũ, non comedatur, sed cõburatur igni.* Leuit.7.
XCI. SANCTORVM RELIQVIÆ CREMANTOR.
*Quidquid autẽ tertius inuenerit dies, ignis absumet. Si quis de carnibus* Ibid.7,17.
*victimæ pacificorũ die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit, &c.*

Myster. XCII. NAZARÆVS COMAM NVTRITO.

Num.6, 5. *Crescente cæsarie capitis eius.*

XCIII. NAZARÆVS, PERACTO TEMPORE, TONDETO ET SACRIFICATO.

Ibid.13. *Cùm dies quos ex voto decreuerat, complebuntur: adducet eum ad ostium tabernaculi fœderis, & offeret oblationem eius Domino, agnum anniculum immaculatum in holocaustum, & ouem anniculam immaculatam pro peccato, & arietem immaculatum, hostiam pacificam, canistrum quoque, & cet. & paulo inferiùs: Tunc radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ.*

XCIV. NVNCVPATA PRÆSTATO.

Deut.23,24. *Quidquid autem semel egressum est de labiis tuis, obseruabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore locutus es.*

XCV. VOTORVM IVDICIVM ESTO.

Num.30,3. *Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum votū* SVVM [ipse non, alius poterit facere, vt Pontifex vel Sapiens ex קוּם & consuetudine.]

XCVI. IMPVRO CONTACTV IMPVRVS HABETOR.

Leuit.11,24. *Quicunque morticina eorum contigerit, polluetur, & c. pluribus locis.*

XCVII. IMMVNDAS BESTIOLAS OCTO QVISQVIS TRACTAVERIT TETIGERITVE, CONTAMINATVS CENSETOR.

Ibid.29. *Hæc quoque inter polluta reputabuntur de iis quæ mouentur in terra, mustela & mus, & crocodilus, singula iuxta genus suum, mygale & chamæleon, & stellio, & lacerta, & talpa, omnia hæc immunda sunt: qui tetigerit morticina eorum, immundus erit vsque ad vesperum.*

XCIIX. CIBI ET POTVS PVRI IMPVRIQVE IVDICIVM ADHIBETO.

*Omnis cibus quem comederis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit, & omne liquens quod bibitur de vniuerso vase, immundum erit.*

XCIX. MENSTRVVM TEMPVS MVLIER SEPARATOR.

Leuit.16. *Mulier quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur.*

C. MVLIER A PARTV CERTVM TEMPVS OBSERVATO.

Leuit.12. *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis menstruæ, & c. Deinde, Si autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menstrui.*

CI. LEPROSVS A CONSVETVDINE SEMOVETOR.

Leuit.13. *Homo in cuius cute & carne ortus fuerit diuersus color siue pustula, aut quasi lucens quippiam, id est, plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad vnumquemlibet filiorum eius, & c.*

CII. VESTIS QVOQVE LEPRA INFECTÆ IVDICIVM ESTO.

Ibid. 13,47. *Vestis lanea siue linea quæ lepram habuerit in stamine atque subtegmine, aut certè pellis, vel aliquid quod ex pelle confectum est, & c.*

CIII. ÆDES LEPRA TACTÆ PROCVRANTOR.

Leuit.14. *Si fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit is, cuius est domus, nuncians sacerdoti, & dicet, & c.*

CIV. VIR FLVENS IMPVRVS HABETOR. Myster.
*Vir qui patitur fluxum seminis, immundus erit.* Leuit. 15.
CV. VIR SEMINE VLTRO REMISSO, POLLVTVS DVCITOR.
*Vir de quo egreditur semen coitus, lauabit aqua omne corpus suum, & immundus erit vsque ad vesperam.* Ibidem.
CVI. SANGVINE DIVTIVS FLVENS MVLIER IMPVRA DVCITOR.
*Mulier quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis non in tempore menstruali.* Ibidem.
CVII. CADAVERIS HVMANI OCCASIONE IMMVNDVS HOMO CENSETOR.
*Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc septē dieb. fuerit immūdus.* Num. 19, 12
CIIX. AQVARVM LVSTRALIVM RITVM OBSERVATO.
*Tollentq́ de cineribus combustionis atq́ peccati, & mittent aquas viuas super eos in vas; in quibus cùm homo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, & cunctam supellectilem, &c.* Ibid. 19.
CIX. IMPVRVS OMNIS AQVA MVNDA LAVATO.
*Lauabitur aqua, & ita ingredietur castra.* Leuit. 14, 15, 16, 17, & 22. Num. 19. Deut. 23.
CX. LEPROSI LVSTRATIO CEDRO, HYSSOPO, PVRPVRA, GEMINISQVE PASSERIBVS ET AQVA PARATOR.
*Et in purificatione eius sumet duos passeres, lignumq́ cedrinum, & vermiculum atque hyssopum, & immolato vno passere in vase fictili super aquas viuas, &c.* Leuit. 14. 49
CXI. LEPROSVS CVM LVSTRATVR, RADITOR.
*Et die septimo radet capillos capitis, barbámque & supercilia, & totius corporis pilos, &c.* Ibid. 14, 9
CXII. LEPROSVS SEIPSVM NOTATO INDICATOQVE.
*Quicunque maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium sacerdotis, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit.* Ibid. 13, 44
CXIII. BOVEM RVFAM LVSTRATIONIS ERGO FACITO.
*Præcipe filiis Israel vt adducant ad te vaccā rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portauerit iugum, &c. Et paulo inferiùs, Habebūt hoc filij Israel, & aduenæ qui habitant inter eos, sanctum iure perpetuo.* Num. 19, 2.
CXIV. ANIMÆ HOMINIS DEVOTÆ ÆSTIMATIO ESTO.
*Homo qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium.* Leuit. 27, 2
CXV. ANIMAL QVOD VOVERIS, ÆSTIMATOR.
*Animal autem immundum, quod immolari Domino non potest, si quis vouerit, adducetur ante sacerdotem, &c.* Ibid. 27, 11
CXVI. ÆDIVM DEVOTARVM ÆSTIMATIO ESTO.
*Homo si vouerit domum suam, & sanctificauerit Domino, considerabit eam sacerdos vtrùm bona an mala sit; & iuxta pretium quod ab eo fuerit constitutum, venundabitur.* Ibid. 27, 14
CXVII. AGRVM SI SACRAVERIS, ÆSTIMANDVM TRADITO.
*Quòd si agrum possessionis suæ vouerit & consecrauerit Domino, iuxta mensuram sementis æstimabitur pretium.* Ibid 16.

Mysterium. CXIIX. VSVS E SACRO PER ERROREM CAPTI EXPIATIO, SATISDATIO, ET QVINCTA MVLCTA ESTO.

Leuit. 5, 15. *Anima si prauaricans ceremonias per errorem in his quæ Domino sunt sanctificata, peccauerit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis iuxta pondus sanctuarij: ipsumque quod intulit damni restituet, & quinctam partem ponet supra, tradens sacerdoti, qui orabit pro eo, offerens arietem, & remittetur ei.*

CXIX. NOVÆ PLANTÆ QVARTI ANNI FRVCTVS GRATVLATIONIS ERGO SACER ESTO.

Leuit. 19, 24. *Quarto anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino.*

CXX. ANGVLVM MESSIS ET PROVENTVS EGENIS PERMITTITO.

Leuit. 19. *Cùm messueris segetes terræ tuæ, non tondebis vsque ad solum superficiē terræ,* SED *pauperibus & peregrinis carpenda dimittes. Ego Dominus, &c.*

CXXI. RACEMORVM AC FRVCTVVM CÆTERORVM RELIQVIAS EGENO HOSPITIQVE PERMITTITO.

Leuit. 19. *Nec remanētes spicas colliges. Pauperibus & peregrinis carpēda dimittes.*

CXXII. MANIPVLVM EXCIDENTEM EGENO ET HOSPITI RELINQVITO.

Deut. 24. *Quando messueris segetes in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reuerteris vt tollas illum, sed aduenam, & pupillum, & viduam auferre patieris.*

CXXIII. RELIQVOS VINEÆ RACEMOS EGENO ET HOSPITI SINITO.

Ibidem. *Si vindemiaueris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in vsum aduenæ, pupilli, & viduæ. memento quòd & tu seruieris in Aegypto, & idcirco præcipio tibi vt facias hanc rem.*

CXXIV. VITIS DECIDENTES BACCAS EGENIS LINQVITO.

Leuit. 19. *Nec in vinea tua grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes.*

CXXV. PRIMITIAS PRIMORVM TERRÆ TVÆ DEO SACRATO.

Exodi 13, 19 *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Dei tui.*

CXXVI. PRIMITIÆ ANNONÆ SACERDOTVM SVNTO.

Deut. 18, 4. *Primitias frumenti, vini, & olei, & lanarum partem ex ouium tonsione.*

CXXVII. DECVMAS DEO REDDITO.

Leuit. 27, 30 *Omnes decimæ terræ siue de frugibus, siue de pomis arborū, Domini sunt.*

CXXIIX. DECVMAM ALTERAM IN SANCTO COMEDITO.

Deut. 14, 22. *Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis quæ nascuntur in terra per annos singulos, & comedes in conspectu Dei tui in loco quem elegerit, vt in eo nomen illius inuocetur.*

CXXIX. LEVITES DECVMARVM DECVMAM SACERDOTIBVS REDDITO.

Num. 18, 26. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Præcipe Leuitis atque denuncia: Cùm acceperitis à filiis Israel decimas quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ, vt reputetur vobis in oblationem primitiuorum, tam de areis quàm de torcularibus.*

CXXX. TERTIO QVOQVE ANNO DECVMAM TERTIAM LEVITÆ, PAVPERI, ET HOSPITI REPONITO.

Deut. 14, 26. *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tem-*

*tempore, & repones intra ianuas tuas, venietq́; Leuites, qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, & peregrinus, ac pupillus, & vidua qui intra portas tuas sunt, & comedent, & saturabuntur.* Myster.

CXXXI. SANCTA IVSTA A TE PRÆSTITA CONFITETOR.

*Loquèris in conspectu Domini Dei tui, Attuli quod sanctificatum est de domo mea, & dedi illud Leuitæ & aduenæ, & pupillo ac viduæ, sicut iussisti &c.* Deut.26,13.

CXXXII. BENEFICIA DIVINA GRATVLABVNDVS RECOLITO.

*Accedesq́; ad sacerdotem qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quòd ingressus sum in terram pro qua iurauit patribus nostris, &c.* Ibid.26,5.

CXXXIII. LIBVM EX MASSA TVA DEO SACRATO.

*Cùm veneritis in terram quam dabo vobis, & comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino de cibis vestris: sicut de areis primitias separabitis, ita de pulmentis dabitis primitiua Domino.* Num.15,18.

CXXXIV. SEPTIMO QVOQVE ANNO AGRI VACANTO.

*Sex annis seminabis terram, & congregabis fruges eius; anno autē septimo dimittes eam, & requiescere facies, vt comedant pauperes populi tui.* Exodi 23,11

CXXXV. SEPTIMO ANNO AB OPERA RVSTICA VACATO.

*Septimo anno sabbathum erit terræ requietionis Domini. &, Septimo cessabis arare & metere.* Leuit.25,3. Exodi 34, 21

CXXXVI. ANNVM QVINQVAGESIMVM SACRVM DVCITO.

*Sanctificabis annum quinquagesimum.* Leuit.25,10.

CXXXVII. SEPTIMO MENSE, DIE DECIMA ANNI QVADRAGESIMI NONI BVCCINA LIBERTATEM INDICITO.

*Numerabis tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem, & clanges buccina mense septimo, decima die mensis.* Ibid.25,8.

CIIXL. PRÆDIA ET AGRI EODEM ANNO GRATIS RESTITVVNTOR.

*Cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur. Anno Iubilæi redibunt omnes ad possessiones suas.* Ibid. 25,13.

CIXL. DOMVS INTRA MVROS VENDITAE INFRA ANNVM REDEMPTIO ESTO, POST ANNVM EMPTORI CONFIRMATOR.

*Qui vendiderit domum intra vrbis muros, habebit licentiam redimendi donec vnus impleatur annus: si non redemerit, & anni circulus fuerit deuolutus, emptor possidebit eam, & posteri eius in perpetuum.* Ibid.25,29.

CXL. ANNORVM AD IVBILÆVM RATIO CERTA HABETOR.

*Numerabis tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem.* Ibid.25.8.

CXLI. ANNO SEPTIMO DEBITVM FRATRI TVO REMITTITO.

*Septimo anno facies remissionem, quæ hoc ordine celebrabitur: Cui debetur aliquid ab amico vel proximo, ac fratre suo, repetere non poterit.* Deut.15,3.

CXLII. AB EXTERIS DEBITVM REPETITO.

*A peregrino & aduena exiges.* Ibid.15,2.

CXLIII. EX OMNI HOSTIA MACTATA, BRACHIVM, RENES, ET VENTRICVLVS SACERDOTI CEDITO.

*Hoc erit iudicium sacerdotum à populo, & ab iis qui offerunt victimas,* Deut.18,3.

Myster. *siue bouem, siue ouē immolauerint, dabunt sacerdoti armum & ventriculum.*

CXLIIII. VELLERVM PRIMITIAS SACERDOTI REDDITO.

Deut. 18, 4. *Lanarum partem ex ouium tonsione [dabis illi.]*

CXLV. DEVOTARVM RERVM IVDICIVM ESTO.

Leuit. 27. *Omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager, sicut possessio consecrata, ad ius pertinet sacerdotum.*

CXLVI. ANIMALI IVGVLATO VESCITOR.

Deut. 12, 21. *Quando dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus est tibi, & volueris vesci carnibus quas desiderat anima tua, locus autem quem elegerit Dominus Deus tuus, vt sit nomen eius ibi, procul fuerit; occides de armentis & pecoribus quæ habueris, sicut præcepit tibi.*

CXLVII. IVGVLATI ANIMALIS CRVOREM HVMO OCCVLITO.

Leuit. 17, 13. *Fundat sanguinem eius, & operiat illum terra.*

CXLIIX. NIDI CAPTI MATREM MITTITO.

Deut. 22, 7. *Abire patieris matrem, captos tenens filios.*

CXLIX. EX QVADRVPEDIBVS QVOD GEMINATIS VNGVLIS RVMINAT, EDERE FAS ESTO.

Leuit. 11, 2. *Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ: Omne quod habet diuisam vngulam, & ruminat in pecoribus, comedetis.*

CL. AVIBVS PVRIS VESCITOR.

Deut. 14, 11. *Omnes aues mundas comedito.*

CLI. LOCVSTARVM DELECTVS AD CIBVM ESTO.

Leuit. 11, 21. *Quidquid ambulat quidem super pedes, sed habet longiora retro crura, per quæ salit super terram, comedere debetis.*

CLII. PISCIBVS SQVAMOSIS AC PINNATIS VESCITOR.

Leuit. 11, 9. *Hæc sunt quæ gignuntur in aquis, & vesci licitum est: Omne quod habet pinnulas & squamas, tā in mari quàm in fluminibus & stagnis, comedetis.*

CLIII. MENSIVM INSTITVENDORVM RATIO HABETOR.

Exodi 12, 1. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.*

CLIV. SEPTIMO QVOQVE DIE QVIESCITO.

Exodi 20, 10 *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: septimo autem die sabbathum Domini Dei tui est.*

CLV. SABBATHVM COMMEMORATIONE SACRA CELEBRATO.

Exodi 20, 8. *Memento vt diem sabbathi sanctifices. Memento diei sabbathi ad sanctificandum illum.*

CLVI. DECIMAQVARTA MENSIS PRIMI FERMENTVM E DOMO AVFERTO.

Exodi 12, 15 *In die primo non erit fermentum in domibus vestris.*

CLVII. LIBERTATIS ÆGYPTIACÆ DIVINVM BENEFICIVM DIEI QVINCTÆ DECIMÆ INITIO ENARRATO.

Exodi 13, 8. Ibidem 3. *Narrabisque filio tuo in die illo, dicens: Hoc est quod fecit mihi Dominus quando egressus sum de Ægypto. & , Mementote diei huius in quo egressi estis de Ægypto, & de domo seruitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto.*

CLV.

CLVIII. EADEM DIE INFERMENTATVM EDITO. Myster.

*Primo mense quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma, vsque ad diem vicesimam primam eiusdem mensis ad vesperam.* Exodi 12,18.

CLIX. EODEM DIE AB OPERA VACATO.

*Dies prima erit sancta atque solennis.* Ibid. 16.

CLX. EIVSDEM FESTI SEPTIMVM DIEM VACATIONE OBSERVATO.

*Et dies septima eadem festiuitate venerabilis.* Ibid.

CLXI. A FESTO GHOMER DIES NOVEM ET QVADRAGINTA NVMERATO.

*Numerabitis ergo ab altero die sabbathi, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies.* Leuit. 23,15. Deut. 16,8.

CLXII. QVINQVAGESIMA DIE FERIATOR.

*Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum: omne opus seruile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis & generationibus vestris.* Leuit. 23,21.

CLXIII. MENSIS SEPTIMI PRIMVM DIEM SACRVM SANCTVM HABETO.

*Mensis etiam septimi prima dies venerabilis & sancta erit: omne opus seruile non facietis in eo.* Num. 29,1.

CLXIV. DECIMA SEPTIMI MENSIS DIE A VICTV CONTINETO.

*Mense septimo, decima die mensis affligetis animas vestras.* Leuit. 16,29.

CLXV. EADEM DIE AB OPERIS VACATO.

*In hac die expiatio erit atque mundatio ab omnibus peccatis vestris coram Domino. Sabbathum requietionis est.* Ibidem.

CLXVI. VMBRACVLORVM DIES PRIMVS SACER SANCTVSQVE ESTO.

*Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus.* Leuit. 23,35.

CLXVII. VMBRACVLORVM OCTAVVS FERIALIS AC SANCTVS ESTO.

*Dies quoque octauus erit celeberrimus atque sanctissimus.* Ibidem.

CLXIIX. TOTIS SEPTEM DIEBVS VMBRACVLA HABITATOTE.

*Et habitabitis in vmbraculis septem diebus. Omnis qui de genere Israel est, manebit in tabernaculis, vt discant posteri vestri quòd in tabernaculis habitare fecerim filios Israel cùm educerem eos de terra Aegypti. Ego Dominus Deus vester.* Ibidem.

CLXIX. LVLEBVM SEPTEM VMBRACVLORVM DIEBVS CIRCVMFERTO, LÆTITIAMQVE CVRATO.

*Sumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasq; palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo vestro.* Ibid.

CLXX. SEPTIMI MENSIS DIE PRIMA CLANGOREM CELEBREM REDDITO.

*Dies clangoris est, & tubarum.* Num. 29,1.

CLXXI.

Myster. CLXXI DIMIDIVM SICLI SINGVLI QVOTANNIS IN SANCT[illegible] PENDVNTO.

Exod. 30,12 *Quando tuleris summam filiorum Israel iuxta numerum, dabunt sin-
guli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis cùm fue-
rint recensiti. Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli
iuxta mensuram templi.*

CLXXII VATI DEI AVTHORITATEM EDICENTI OBAVDITO.

Deut. 18,14. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Do-
minus Deus tuus: ipsum audies.*

CLXXIII. REGEM TIBI PRÆFICITO.

Ibid 17,15. *Cùm ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, &
possederis eam, habitaueris q; in illa, & dixeris, Cōstituam super me Regem,
sicut habent omnes per circuitum nationes: eum constitues, quem Dominus
Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.*

CLXXIV. MAGISTRATVI OBSEQVITOR.

Ibid. 17,11 Conclusum. *Et facies quodcunque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus,
& docuerint te iuxta legem eius, sequeris q; sententiam eorum.*

CLXXV. IN IVDICIIS PLVRIMORVM SENTENTIAM SEQVITOR.

Exodi 21,2

CLXXVI. MAGISTRATVS AC IVDICVM COLLEGIA IN CIVITA-
TIBVS INSTITVVNTOR.

Deut. 16,18 *Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis quas Dominus
Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, vt iudicent populum iusto
iudicio.*

CLXXVII. IVRE EXERCENDO IVSTE FACITO.

Leuit. 19,16 *Iustè iudica proximo tuo.*

CLXXIIX. TESTIS QVOD NOVERIT RESPONDETO.

*Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testis q; fuerit quòd aut
ipse viderit, aut conscius est; nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam.*

CLXXIX. TESTIMONIA DILIGENTER SVMITO.

Deut 13,14 *Quære solicitè, & diligenter rei veritatem perspecta, &c.*

CLXXX. TESTIS FALSI FICTIVE PRO MENTE POENAS DATO.

Ibid. 19,18 Mos. *Cumq; diligentier perscrutantes, inuenerint falsum testem dixisse contra
fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit.*

CLXXXI. HOMICIDIVM INCERTO AVTHORE DEPREHENSVM
RITE EXPIANDVM PROCVRATO.

Deut. 21,1 *Cùm inuentum fuerit in terra quam Dominus Deus tuus daturus est
tibi, hominis cadauer occisi, & ignorabitur cædis reus; egredientur maiores
natu, & iudices tui, & metientur à loco cadaueris singularum per circui-
tum spatia ciuitatum; & quam viciniorem cæteris esse perspexerint, seniores
res ciuitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit iugum, nec ter-
ram scidit vomere, & ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ
nunquam arata est, nec sementem recepit; & cædent in ea ceruices vitulæ:
accedent q; sacerdotes filij Leui, quos elegerit Dominus Deus tuus vt mini-
strent ei, & benedicant in nomine eius, & ad verbum eorum omne ne-
go[illegible]*

tium: & quicquid mundum vel immundum est, iudicetur. Et venient omnes maiores natu ciuitatis illius ad interfectum, lauabuntq; manus suas super vitulam quæ in valle percussa est, & dicent: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt. propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti, Domine, & ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel. Et auferetur ab eis reatus sanguinis: tu autem alienus eris ab innocentis cruore qui fusus est, cùm feceris quod præcepit Dominus. Myster.

CLXXXII. HOMICIDIIS REPENTINIS VRBES SEX PERFVGII CAVSA COMPARATO, VIAS INSTRVITO.

Tres ciuitates separabis tibi in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem, sternens diligenter viam: & in tres æqualiter partes totam terræ tuæ prouinciam diuides: vt habeat è vicino qui propter homicidium profugus est, quò possit euadere. Hæc erit lex homicidæ fugientis, cuius vita seruanda est. Qui percusserit proximum suum nesciens, & qui heri & nudiustertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur; sed abiisse cum eo simpliciter in syluam ad ligna cædenda, & in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumq; lapsum de manubrio, amicum eius percusserit, & occiderit: hic ad vnam supradictarum vrbium confugiet, & viuet: ne forsitan proximus eius, cuius effusus est sanguis, dolore stimulatus, persequatur, & apprehendat eum si longior via fuerit, & percutiat animam eius qui non est reus mortis: quia nullum contra eum qui occisus est, odium prius habuisse monstratur. Idcirco præcipio tibi, vt tres ciuitates æqualis inter se spatij diuidas. Cùm autem dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut iurauit patribus tuis, & dederit tibi cunctam terram quam eis pollicitus est, (si tamen custodieris mandata eius, & feceris quæ hodie præcipio tibi, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius omni tempore) addes tibi tres alias ciuitates, & supradictarum trium vrbiũ numerũ duplicabis: vt non effundatur sanguis innoxius in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam, ne sis sanguinis reus. Si quis autem odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ eius, surgénsque percusserit illum, & mortuus fuerit, fugeritq; ad vnam de supradictis vrbibus, mittent seniores ciuitatis illius, & arripient eum de loco effugij, tradentq; in manu proximi, cuius sanguis effusus est, & morietur. Non misereberis eius, & auferes innoxium sanguinem de Israel, vt bene sit tibi. Deut. 19,1.

CLXXXIII. HABITANDI CAVSA LEVITIS VRBES ASSIGNANTOR.

Præcipe filiis Israel vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum: vt ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus & iumentis: quæ à muris ciuitatum forinsecus, per circuitum, mille passuum spatio tendentur, contra Orientem duo millia erunt cubiti, & contra Meridiem similiter erunt duo millia: ad mare quoque quod respicit ad Occidentem, eadem mensura erit, & Septentrionalis plaga æquali termino finietur. eruntq; vrbes in medio, & foris suburbana. Num. 35.

*De ipsis autem oppidis, quæ Leuitis dabitis, sex erunt in fugitiuorum auxilia separata, vt fugiat ad ea qui fuderit sanguinem: & exceptis his, alia quadragintaduo oppida, id est, simul quadraginta octo cũ suburbanis suis. Ipsæq; vrbes quæ dabuntur de possessionibus filiorum Israel, ab his qui plus habent, plures auferentur: & qui minus, pauciores. singuli iuxta mensuram hæreditatis suæ, dabunt oppida Leuitis.*

CLXXXIV. ÆDIFICANDO PERICVLIS CAVETO.

Deut.22,8. *Cùm ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum: ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labẽte alio, & in præceps ruẽte.*

CLXXXV. VANORVM NVMINVM CVLTVM PRORSVS TOLLITO.

Deut.12,2. *Subuertite omnia loca in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos & colles, & subter omne lignum frondosum. Dissipate aras earum, & confringite statuas, lucos igne comburite, & idola comminuite: disperdite nomina earum de locis illis.*

CLXXXVI. VRBEM DEVOTAM IGNI ABSVMITO.

Deut.13,12. *Si audieris in vna vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos, Egressi sunt filij belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis suæ, atque dixerunt, Eamus, & seruiamus diis alienis quos ignoratis; quære solicitè: & diligenter rei veritate perspecta, si inueneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, omniaq; quæ in illa sunt vsque ad pecora. quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succendes, ita vt vniuersa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus.*

CLXXXVII. NATIONES TIBI A DEO TRADITAS PRORSVS DELETO.

Deut.20,16. *De his autem ciuitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omnino patieris viuere, sed interficies in ore gladij; Hethæum videlicet, & Amorrhæum, & Chananæum, Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæum; sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus.*

CLXXXIIX. AMALEKITAM PRORSVM DELETO.

CLXXXIX. INIMICITIARVM AMALEKI MEMENTO.

Deut.25,17. *Memento quæ fecerit tibi Amalech in via quãdo egrediebaris ex Aegypto quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame & labore confectus, & non timuerit Deũ. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subiecerit cũcta as per circuitum nationes in terra quam tibi pollicitus est; delebis nomen eius sub cælo*

CXC. CVM HOSTE REMOTIORE DE PACE AGITO: VOLENTE, ÆQVA CONDITIONE SERVATO; NOLENTE, BELLVM INITO, VIROS OCCIDITO, FEMINAS AC PVEROS ABDVCITO, SPOLIATO, PRÆDAM FACITO.

Deut.20,10. *Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas; cunctus populus qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & ceperit contra*

contra te bellum, oppugnabis eam. Cúmque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis masculini est, in ore gladij, absque mulieribus & infantibus, iumentis & cæteris quæ in ciuitate sunt. Omnem prædam exercitui diuides, & comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. Sic facies cunctis ciuitatibus quæ à te procul valde sunt, & non sunt de his vrbibus quas in possessionem accepturus es.

CXCI. SACERDOS LEGITIMI BELLI CAVSA CONSTITVTVS, PARTES SVAS PERAGITO.

Appropinquante autem iam prœlio, stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum: Audi Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis: non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo. Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt: Quis est homo qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat, & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius dedicet eam. Quis est homo qui plantauit vineam, & necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat, & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio. Quis est homo qui despondit vxorem, & non accepit eam? vadat, & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo accipiat eam. His dictis addent reliqua, & loquentur ad populum: Quis est homo formidolosus, & corde pauido? vadat, & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. Deut.20,a.

CXCII. LOCVM EXTRA CASTRA MVNDICIÆ CAVSA OPTATO.

Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ. Deut. 23,b

CXCIII. PAXILLVM IN BALTHEO, AD FODIENDI VSVM, BELLI TEMPORE GESTATO.

Gerens paxillum in balitheo. cúmque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo operies quo releuatus es: (Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum tuorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos) & sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te. Ibidem.

CXCIV. REM PER VIM, FVRTVMVE, FRAVDEMVE, DOLVMVE MALVM ALII ABLATAM, EI, CVIVS FVERAT, INTEGRAM RESTITVITO. SIN MINVS, SATISDATO, QVINCTVPLVM ADDITO.

Anima quæ peccauerit, & contempto Domino negauerit proximo suo depositum, quod fidei eius creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, siue rem perditam inuenerit, & inficians insuper peierauerit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines; conuicta delicti, reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere, integra, & quinctam insuper partem domino cui damnum intulerat. Leuit.6,a.

Mysterium. CXCV. PAVPERI SVBSIDIVM PORRIGITO.

Deut.1. *Aperies manum pauperi, & dabis mutuum quo eum indigere perspexe-*
Leuit.25,35. *ris. &, Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum quasi aduenam & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias vsuras ab eo, nec amplius quàm dedisti. Time Deum tuum, vt possit viuere frater tuus apud te.*

CXCVI. SERVVM DIMISSVM DONIS PROSEQVITOR.

Deut.15, 14. *Dabis viaticum de gregibus, & de area, & torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi.*

CXCVII. PAVPERI MVTVVM DATO.

Exodi 22, 24 *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum.*

CXCIIX. AB ALIENIGENA FOENVS CAPITO.

Deut.23,19. *Alieno fœnerabis.*

CXCIX. PIGNVS PAVPERI OPORTVNE VSVS CAVSA CONCEDITO.

Deut.24,13. *Reddes ei ante solis occasum; vt dormiens in vestimento suo benedicat tibi, & habeas iustitiam coram Domino Deo tuo.*

CC. MERCENARIO OPERÆ MERCEDEM PERSOLVITO.

Ibid. 24,15. *Eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.*

CCI. OPERÆ DE VINEÆ, VEL DE SEGETIS FRVCTV VESCI PAS ESTO.

Deut.23, 24 *Ingressus vineam proximi tui comede vuas quantum tibi placuerit: foras autem ne efferas tecum. Si intraueris segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres, falce autem non metes.*

CCII. INIMICI IVMENTVM SVB ONERE IACENS, SVBLEVATO.

Exodi 23,5 *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.*

CCIII. IVMENTVM ONERARE LABORANTI AVXILIATOR.

Deut.22,4. *Si videris asinum fratris tui, aut bouem cecidisse in via, non despicies, sed subleuabis cum eo.*

CCIV. REM ALTERI PERDITAM, VBI INVENERIS, REFERTO.

Deut.22,1. *Reduces fratri tuo, etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum: duces in domum tuam, & erunt apud te quàm diu quærat ea frater tuus, & recipiat. Similiter facies de asino & de vestimento, & de omni re fratris tui quæ perierit, si inueneris eam.*

CCV. FRATREM ERRANTEM CORRIPITO.

Leuit. 19,17 *Publicè argue eum.*

CCVI. PROXIMVM VTI IPSVM TE AMATO.

Ibid. 19,18 *Diliges amicum tuum sicut te ipsum. Ego Dominus.*

CCVII. ADVENAM IMPENSE AMATO.

Deut.10,18. *Et vos ergo amate peregrinos, quia & ipsi fuistis aduenæ in terra Ægypti.*

CCIIX. LIBRÆ IVSTA ÆQVAQVE RATIO OBSERVATOR.

Leuit.19,36 *Statera iusta, & æqua sint pondera; iustus modius, æquusque sextarius.*

CCIX. MAGISTRATVI ET SENECTÆ HONOREM DEFERTO.
*Coram cano capite consurge, & honora personam senis, & time Dominum Deum tuum. Ego sum Dominus.* Ibid 19,32.

CCX. PATREM AC MATREM AMPLIFICATO.
*Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Exodi 20,12

CCXI. PARENTES REVERENTER COLITO.
*Vnusquisque patrem suum, & matrem suam timeat.* Leuit.19,3.

CCXII. FRVCTVM FERTO, NVMERVM AVGETO.
*Et vos crescite & multiplicamini, & replete terram.* Genesis 9,7.

CCXIII. VXOR DVCTA VIRO, CERTO MVNERE DICATOR.
*Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam.* Deut. 24,1.

CCXIV. VIRO APVD VXOREM PRIMO ANNO IMMVNITATEM DATO.
*Vacabit absque culpa, vt vno anno lætetur cum vxore.* Ibid.24,5.

CCXV. MASCVLVM OMNEM CIRCVNCIDITO.
*Circuncidetis vobis omne masculinum, & circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos.* Genesis 17.

CCXVI. DEMORTVI ABSQ. LIBERIS VXOREM AFFINIS DVCITO.
CCXVII. SI NOLIT, CALCEO DETRACTO DESPVITOR.
*Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel. Sin autem noluerit accipere vxorem fratris sui quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam ciuitatis, & interpellabit maiores natu, dicetq́: Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel, nec me in coniugium sumere. Statimq́ accersiri eum facient, & interrogabunt. Si responderit, Nolo eam vxorem accipere: Accedet mulier ad eum coram senioribus, & tollet calceamentum de pede eius, spuetq́ in faciem illius, & dicet: Sic fiet homini qui non ædificat domũ fratris sui. Et vocabitur nomen illius in Israel, Domus discalceati.* Deut. 25,5

CCXIIX. VIRGINEM QVI VITIARIT, MVLCTATOR, VXOREMQ. PERPETVAM HABETO.
*Si inuenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad iudicium venerit: dabit, qui dormiuit cũ ea patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam vxorem, quia humiliauit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.* Deut.22,28.

CCXIX. QVI DVCTAM SIBI VXOREM PROBRI FALSO INSIMVLARIT, VAPVLATO, EAMQ. PERPETVO HABETO.
*Si duxerit vir vxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritq́ occasiones quibus dimittat eam, obijciens ei nomen pessimum, & dixerit, Vxorem hanc accepi, & ingressus ad eam, non inueni virginem: tollent eam pater & mater eius, & ferens secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis qui in porta sunt: & dicet pater, Filiam meam dedi huic vxorem: quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, vt dicat, Non inueni filiam tuam virginem: & ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. expandent vestimentum corã se-* Ibid. v.14

*moribus ciuitatis: apprehendentq́; senes vrbis illius virum, & verberabunt illum; condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ, quoniam diffamauit nomen pessimum super virginem Israel: habebitque eam vxorem, & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ suæ.*

CCXX. QVI VIRGINEM SEDVCTAM VITIARIT, DOTEM DATO, AC DVCITO, PATRE NON RENVENTE.

Exodi 22,16 *Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritq́; cum ea: dotabit eam, & habebit eam in vxorem. Si pater eius dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis quam virgines accipere consueuerunt.*

CCXXI. MVLIEREM CAPTIVAM QVI DVCERE VOLET, RITE INITIATAM, LEGITIME DVCITO.

Deut. 21,10 *Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captiuóque duxeris, & videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, voluerisq́; habere vxorem, introduces eam in domum tuam: quæ radet cæsariem, & circuncidet vngues, & deponet vestem in qua capta est: sedénsque in domo tua, flebit patrem & matrem suam vno mense: & postea intrabis ad eam, dormiesq́; cum illa, & erit vxor tua.*

CCXXII. VXOREM QVI OB TVRPITVDINEM DIMISERIT, LIBELLO REPVDII PROSEQVITOR.

Ibid. 24,1. *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua.*

CCXXIII. VXOREM VIRO ADVLTERII SVSPECTAM RITVALI DEVOTIONE EXAMINATAM, IN CVLPA, VEL EXTRA CVLPAM PONITO.

Num. 5,12. *Vir cuius vxor errauerit, maritúmque contemnens dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiuerit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inuenta in stupro: si spiritus zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur: adducet eam ad sacerdotem, & offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ: non fundet super eam oleum, nec imponet thus: quia sacrificium zelotypiæ est, & oblatio inuestigans adulterium. Offeret igitur eam sacerdos, & statuet coram Domino: assumétque aquam sanctam in vase fictili, & pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam. Cumq́; steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput eius, & ponet super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem zelotypiæ: ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cū execratione maledicta congessit, adiurabitque eam, & dicet: Si non dormiuit vir alienus tecum, & si non polluta es deserto mariti thoro, non te nocebūt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi. Sin autem declinasti à viro tuo, at-*

polluta es, & concubuisti cum altero viro; his maledictionibus subiacebis: Det te Dominus in maledictionem exemplúmque cunctorum in populo tuo. putrescere faciat femur tuum, & tumens vterus tuus disrumpatur. ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & vtero tumescente putrescat femur. Et respondebit mulier, Amen, amen. Scribétque sacerdos in libello ista maledicta, & delebit ea aquis amarissimis, in quas maledicta congessit, & dabit ei bibere. Quas cùm exhauserit, tollet sacerdos de manu eius sacrificium zelotypiæ, & eleuabit illud coram Domino, imponétque illud super altare: ita dumtaxat vt priùs pugillum sacrificij tollat de eo quod offertur, & incendat super altare; & sic potum det mulieri aquas amarissimas. Quas cùm biberit, si polluta est, & contempto viro adulterij rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur: eritq; mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo. Quòd si polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos. Ista est lex zelotypiæ. Si declinauerit à viro suo, & si polluta fuerit, maritusq; zelotypiæ spiritu concitatus adduxerit eam in conspectu Domini, & fecerit ei sacerdos iuxta omnia quæ scripta sunt, maritus absque culpa erit, & illa recipiet iniquitatem suam.

CCXXIV. PLAGAS COMMERITVS VAPVLATO PRONVS.

Sin autem eum qui peccauerit, dignum viderint plagis; prosternent, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati, erit & plagarum modus. Deut. 25, 2.

CCXXV. QVI HOMICIDIVM NON EX STVDIO FECERIT, IN PERFVGII VRBE TVTVS MANETO.

Quòd si fortuitu, absque odio & inimicitiis, quicquam horum fecerit, Num. 35, 22. & hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem & propinquum sanguinis quæstio ventilata: liberabitur innocens de vltoris manu, & reducetur per sententiam in vrbem ad quam confugerat, manebitq; ibi, donec sacerdos magnus, qui oleo sancto vnctus est, moriatur.

CCXXVI. SCELVS VLCISCITOR.

Qui percusserit seruum suum vel ancillam virga, & mortui fuerint Exodi 21, 20. in manibus eius, criminis reus erit.

CCXXVII. SCELERVM PARS STRANGVLATIONI OBNOXIA ESTO.

Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur. Leuit. 20, 9. & 20 cap.

CCXXVIII. FLAGITIA IGNI VINDICATO.

Qui supra vxorem filiam, duxerit matrem eius, scelus operatus est: viuus ardebit cum eis. Ibid. 20, 14.

CCXXIX. IMPIETATEM SAXIS PVNITO.

Cum reperti fuerint apud te intra vnam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier qui faciant malum in conspectu Deut. 17, 2.

Domi-

*Domini Dei tui, & transgrediantur pactum illius, vt vadant, & seruiant diis alienis, & adorent eos, solem & lunam, & omnem militiam cæli, quæ non præcepi; & hoc tibi fuerit nunciatum, audiensq; inquisieris diligenter, & verum esse repereris, & abominatio facta est in Israel: educes virum & mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas ciuitatis tuæ, & lapidibus obruentur.*

CCXXX. SVSPENSIO QVOQVE POENÆ GENVS ESTO.

CCXXXI. IVDICII SENTENTIA INTERFECTVS, SEPELITOR.

Deut. 21, 22. *Quando peccauerit homo quod morte plectendum est, & adiudicatus morti, appensus fuerit in patibulo:*
Ibidem. *In eadem die sepelietur.*

CCXXXII. SERVIS HEBRÆIS PECVNIA EMPTIS, VITAE, COMMODI, AC LIBERTATIS CERTVM IVS OBSERVATOR.

Exodi 21, 2. *Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi, septimo egredietur liber gratis. Cum quali veste intrauerit, cum tali exeat. Si habens vxorem, & vxor egredietur simul. Sin autem Dominus dederit illi vxorem, & pepererit filios & filias: mulier & liberi eius erunt domini sui; ipse vero exibit cum vestitu suo.*

CCXXXIII. ANCILLAM ISRAELITEM QVI DVXERIT, VT LIBERAM HABETO, VEL DIMITTITO.

CCXXXIV. ANCILLA ISRAELITES FASTIDIENTI HERO REDIMITOR.

Ibid. v. 8. *Si displicuerit oculis domini sui, cui tradita fuerat, dimittet eam.*

CCXXXV. SERVITII CHANANAEI PERPETVA SERVITVS ESTO.

Leuit. 25, 44. *Seruus & ancilla sint vobis de nationibus quæ in circuitu vestro sunt, & de aduenis qui peregrinantur apud vos: vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos, & hæreditario iure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum.*

CCXXXVI. IN NOCENTEM VLTIONIS IVDICIVM DATOR.

Exodi 21, 22 *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa vixerit; subiacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint. Sin autem mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.*

CCXXXVII. SI BOS CORNV FERIENS HOMINEM OCCIDERIT, SAXIS OBRVITOR, BOVIS DOMINVS IMMVNIS IVDICATOR, NISI PRÆMONITVS CAVERE NEGLEXERIT.

Exodi 21, 28 *Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedentur carnes eius: dominus quoque bouis innocens erit. Quod si bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius, & contestati sunt dominum eius, nec recluserit eum dominus, occideritq; virum aut mulierem: & bos lapidibus obruetur, & dominum eius occident. Quod si pretium fuerit ei impositum, dabit pro anima sua quidquid fuerit postulatus. Filium quoque & filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subiacebit.*

CCXXXVIII. SI QVADRVPES IN PVTEVM FOVEAMVE PATENTEM DECIDENS, LAESA FVERIT, QVI FODERIT, PRETIVM REDDITO, QVADRVPEDEMQVE SIBI CAPESSITO.

*Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritq́ bos aut asinus in eam, reddet dominus cisternæ pretium iumentorum: quod autem mortuum est, ipsius erit.* Exodi 21, 33.

CCXXXIX. FVR PRO BOVE QVEM FVRTO ABEGERIT, QVINCVPLVM, PRO OVE QVADRVPLVM, INTEGRA REPERTA, EI DVPLVM REDDITO. IDEM SI PARIETEM PERTVNDERE DEPREHENSVS NOCTV OCCIDATVR, OCCISOR INDEMNATVS ABITO. FVRTI MVLCTAM, QVI SOLVENDO NON ERIT, EX EDICTO VENITO.

*Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, & occiderit, vel vendiderit: quinque boues pro vno boue restituet, & quatuor oues pro vna oue. Si effringens fur domum, siue suffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quòd si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipse morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venundabitur. si inuentum fuerit apud eum quod furatus est, viuens, siue bos, siue asinus, siue ouis, duplum restituet.* Ibid. 22, 1.

CCXL. QVI ALIENVM FVNDVM INCENDERIT, OPTIMA FVNDI SVI PARTE MVLCTATOR.

*Si læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit iumentum suũ vt depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet.* Ibid. v. 5.

CCXLI. QVI INCENDIO CAVSAM NON SPONTE TVLERIT, DAMNVM RESARCITO.

*Si egressus ignis inuenerit spinas, & comprehenderit aceruos frugum, siue stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit.* Ibid. v. 6.

CCXLII. ALIENAM QVADRVPEDEM QVI SINE MERCEDE CVSTODIERAT, MORTVAM AVT IMMINVTAM, VEL VI ABACTAM, SI VEL TESTIBVS DOCVERIT, VEL IVRAMENTO CONFIRMAVERIT, IMMVNIS MITTITOR. FVRTO ABLATAM EXSOLVITO. A FERIS RAPTAM INDICATO.

*Si quis commendauerit proximo suo asinum, bouem, ouem, & omne iumentum ad custodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusq́ hoc viderit: iusiurandum erit in medio, quòd non extenderit manum ad rem proximi sui: suscipietq́ Dominus iuramentum, & ille reddere non cogetur. Quòd si furto ablatum fuerit, restituet damnum domino. Si comestũ à bestia, deferat ad eum quod occisum est, & non restituet.* Ibid v. 10

CCXLIII. REI VEL PECVNIÆ DEPOSITÆ, AC FVRTO ABLATÆ, IVDICIVM EX IVRAMENTO FACITOR, VEL IMMVNITATIS, VEL SATISDATIONIS. SI FVR INVENTVS FVERIT, DVPLVM SOLVITO.

*Si quis commendauerit amico pecuniam aut vas in custodiam, & ab eo qui susceperat, furto ablata fuerint: si inuenitur fur, duplum reddet: si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos, & iurabit quòd non extenderit manum in rem proximi sui, ad perpetrandam fraudem, tam in boue quàm* Ibid. v. 7.

*in asino, & oue, ac vestimento, & quidquid damnum inferre p*
*deos vtriusque causa perueniet: & si illi iudicauerint, duplum*
*proximo suo.*

CCXLIIII. COMMODATA QVADRVPES, QVÆ ABSENTE D
PERIERIT, IMMINVTAVE FVERIT, AB EO QVI ACCEPE
TISDATOR, NISI MERCEDIS CONDITIO PRÆIVERIT.

Ibid.v.14. *Qui à proximo suo quidquā horum mutuò postulauerit, & de*
*aut mortuum fuerit, domino nō præsente: reddere compelletur. Qu*
*præsentiarum dominus fuerit, non restituet, maximè si conductum*
*pro mercede operis sui.*

CCXLV. EMPTIO AC VENDITIO EX IVRE ET ÆQVITAT
NESTIS CONDITIONIB. TRANSIGVNTOR.

Leuit.25,14. *Quando vendes quippiam ciui tuo, vel emes ab eo, ne contr*
*trem tuum.*

CCXLVI. FRAVDIS DOLIQVE MALI IVS IVDICIVMQVE E

Exodi 22,9. *Ad perpetrandam fraudem, tam in boue quàm in asino, & ou*
*stimento, & quidquid damnum inferre potest; ad deos vtriusque*
*ueniet: & si illi iudicauerint, duplum restituet proximo suo.*

CCXLVII. VIM CVIPIAM ILLATAM, VEL VI ARCETO
REM SEMPER SERVATO.

Deut. 25,11. *Si habuerint inter se iurgium viri duo, & vnus contra alter*
*cœperit, volensq́ vxor alterius eruere virum suum de manu forti*
*ritq́ manum, & apprehenderit verenda eius: abscindes manum*
*flectêris super eam vlla misericordia.*

CCXLVIII. HÆREDITAS COGNATIS EX ORDINE VENIT

Num.27,8. *Homo cùm mortuus fuerit absque filio, ad filiam eius transibit h*
*si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos. quòd si & fr*
*fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris eius. sin autem nec pa*
*buerit, dabitur hæreditas his qui ei proximi sunt. eritq́ hoc filiis I*
*ctum lege perpetua, sicut præcepit Dominus Moysi.*

HACTENVS IVSSORVM SERIES.

# Vetitorum tabulæ.

## CAPVT IX.

Exodi 20,3. I DEOS ALIOS PRÆTER ME VNVM NE HABETO
*Non habebis deos alienos coram me.*

Ibid.v.4. II SIGNVM CVLTVS CAVSA NE FACITO.
*Non facies tibi sculptile, neque omnem similitud*
*est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, neq́ eorum quæ sun*
*sub terra. Non adorabis ea, neque coles.*

III. SIMVLACRVM DIVINVM NVLLO PACTO CONFLA

Exodi 34,17. *Deos conflatiles non facies tibi.*

IIII. SIGNA RELIGIOSA NVLLA EX MATERIA FACITO.
*Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis.* Exodi 20,23

V. CVLTVM ALIENIS DIIS NON EXHIBETO.
*Non adorabis ea.* Ibid.v.5.

VI. NVLLO MODO QVIDQVAM ALIVD COLITO.
*Neque coles.* Ibidem.

VII. MOLOCHO NIHIL DE SEMINE TVO PERMITTITO.
*De semine tuo non dabis vt consecretur idolo Moloch.* Leuit.18,21

VIII. INTERROGATIONES SVPERSTITIOSAS NE INITO.
*Non declinetis ad Magos.* Leuit.19,31

IX. ARIOLOS NE CONSVLITO.
*Nec ab ariolis aliquid sciscitemini.* Ibidem.

X. VANARVM RERVM RATIONEM NVLLAM HABETO.
*Nolite conuerti ad idola.* Ibid. v.4.

XI. STATVAM NE FIGITO.
*Non facies tibi atq; constitues statuam: quæ odit Dominus Deus tuus.* Deut. 16,22

XII. LAPIDEM RELIGIOSVM NE PONITO.
*Nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum.* Leuit.26,1.

XIII. LVCVM NEC DEO TVO CONSERITO.
*Non plantabis lucum & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui.* Deut. 16,21

XIIII. VANI DEOR. NOMINIS RATIONEM NVLLAM HABETO.
*Et per nomen externorum deorum non iurabitis, neque audietur ex ore vestro.* Exodi 23,13

XV. VANVM CVLTVM AVT RITVM NEC TRACTATO, NEC ID AGENTI OBSEQVITOR, NEC OMNINO MEMORATO.
*Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, siue vxor quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis vt animam tuam, clàm dicens; Eamus, & seruiamus diis alienis, quos ignoras tu & patres tui, cunctarum in circuitu gentium quæ iuxtà vel procul sunt, ab initio vsque ad finem terræ: non acquiescas ei, neque audias, neque parcat ei oculus tuus vt miserearis & occultes eum, sed statim interficies. sit primùm manus tua super eum, & post te omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Aegypti, de domo seruitutis: vt omnis Israel audiens timeat, & nequaquam vltrà faciat quippiam huius rei simile. Si audieris in vna vrbiū tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: Egressi sunt filij belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis suæ, atque dixerunt: Eamus, & seruiamus diis alienis quos ignoratis: quære sollicitè, & diligenter rei veritate perspecta, si inueneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, omniaq; quæ in illa sunt, vsq; ad pecora. quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succendes, ita vt vniuersa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus. & iterum, Neq; audietur ex ore vestro.* Deut.13,6. Exodi 23,13

XVI. SVPERSTITIONEM NEC ALIENO EXEMPLO INITO, NEC IMITATOR, NEVE ÆMVLATOR.

Deut. 13.12. *Vt omnis Israel audiens timeat, & nequaquam vltrà faciat quicquam huius rei simile.*

XVII. SVPERSTITIOSVM CVLTVM MONENTI, QVISQVIS MONITVS FVERIT, NE PARETO.

Ibid. v. 8. *Non acquiescas ei.*

XVIII. EIDEM NVLLO PACTO AVDIENS ESTO.

Ibidem. *Neque audias.*

XIX. SVPERSTITIONIS QVI TIBI AVTHOR FVERIT, NE PARCITO.

Ibidem. *Non parcet ei oculus tuus.*

XX. EIDEM NE PATROCINATOR.

Ibidem. *Neque miserearis eius.*

XXI. INDICARE AC DEFERRE SVPERSTITIONIS AVTHOREM NE DVBITATO.

Ibidem. *Neque occultes eum.*

XXII. REBVS VANO CVLTVI DICATIS, NE FAVETO, NEVE VTITOR.

Deut. 7, 25. *Non concupisces argentum & aurum de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quòd abominatio est Domini Dei tui. Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut & illud est.*

XXIII. VRBEM SVPERSTITIONIS CRIMINE DAMNATAM ET INCENSAM NE RESTITVITO.

Ibid. 13, 16. *Non ædificabitur ampliùs.*

XXIIII. EX DAMNATA VRBE NVLLAM REM VSVRPATO.

Ibid. v. 17. *Et non adhærebit de illo anathemate quicquam in manu tua.*

XXV. NIHIL TIBI CAPITO QVOD AD VANVM CVLTVM PERTINVERIT.

Deut. 7, 26. *Nec inferes quicquam ex idolo in domum tuam, ne sis anathema, sicut & illud est.*

XXVI. VANORVM NVMINVM NOMINE NE VATICINATOR.

Ibid. 18, 20. *Propheta autem qui, arrogantia deprauatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi vt diceret, aut ex nomine alienorum deorum,*

Exodi 23, 13. *interficietur. & illud, Et per nomen externorum deorum non iurabitis, neque audietur ex ore vestro.*

XXVII. NOMEN DEI VATICINATVRVS NE FALSO APPELLATO, NEVE NON MANDATA PRONVNCIATO.

Deut. 18, 20. *Propheta autem qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo quæ ego non præcepi illi vt diceret.*

XXVIII. VATI SVPERSTITIOSO FALSOVE NE AVDITO.

Ibid. 13, 4. *Non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris.*

XXIX. VANVM VATEM NE VERETOR, NEVE OBSERVATO.

Ibid. 18, 22 *Idcirco non timebis eum.*

XXX. SVPERSTITIONE GENTIVM NE AFFICITOR.

Leuit. 20, 23 *Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante*

Deut. 12, 30. *vos. Omnia hæc fecerunt, & abominatus sum eas. & illud, Caue ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subuersæ, & requiras ceremonias earum*

*earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita & ego colam. Non facies similiter Domino Deo tuo.*

XXXI. AVGVRIA NE TRACTATO, NEVE HABETO.

*Ne inueniatur in te qui obseruet auguria.* Deut.18,10.

XXXII. MATHEMATICOS NE PETITO.

*Ne inueniatur in te qui ariolos sciscitetur. & alio loco, Ne auguremini.* Ibidem. Leuit.19,26.

XXXIII. INCANTATOREM NE PERMITTITO.

*Neque inueniatur in te incantator.* Deut.18,10

XXXIIII. MALEFICVM NE FERTO.

*Neque inueniatur in te maleficus.* Ibidem.

XXXV. PRÆSTIGIATOREM NE ADMITTITO.

*Neque inueniatur in te* HHOBER, HHEBER. Ibidem.

XXXVI. PYTHONEM NE ADITO.

*Neque qui pythonem consulat.* Ibidem.

XXXVII. NEMO RESPONSA A MORTVIS PETITO.

*Neque qui quærat à mortuis veritatem.* Ibidem.

XXXVIII VIRI GESTAMEN FEMINA NE INDVITO.

*Ne induatur mulier veste virili.* Deut.22,5.

XXXIX. MVLIERIS VESTEM VIR NE INDVITO.

*Nec vir vtetur veste feminea.* Ibidem.

XL. NOTIS CORPVS NE INVRITOR.

*Neque figuras aliquas aut stigmata faciatis vobis.* Leuit.19,28.

XLI. SAGHATNAZVM NE VESTITOR.

*Non indueris vestimento quod ex lana linoq; confectum est.* Deut.22,11.

XLII. CAPITIS ANGVLVM NE ROTVNDATO.

*Neque in rotundum attondebitis comam.* Leuit.19,27.

XLIII. BARBÆ ANGVLOS NE TOLLITO.

*Neque radetis barbam.* Ibid.

XLIIII. CORPVS NE INCIDITO.

*Non vos incidetis.* Deut.14,1.

XLV. ÆGYPTVM NE REPETITO.

*Nequaquam amplius per eandem viam reuertamini: Per viam de qua dixi tibi, vt eam amplius ne videres. Aegyptios quos nunc videtis, nunquam amplius videbitis in sempiternum.* Deut.17,16. Ibid.28.-8. Exodi 14,13.

XLVI. CORDIS HVMANI VIAS NE SEQVITOR.

*Ne sequantur cogitationes suas, & oculos per res vanas fornicantes.* Num.15,39

XLVII. CVM IMPIIS FOEDVS NE FERITO.

*Non inibis cum eis fœdus.* Deut.7,2.

XLVIII. NEMINI EX SEPTEM NATIONIBVS PARCITO.

*De iis autem ciuitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere.* Ibid.20,16.

XLIX. NATIONES SEPTEM IN GRATIAM NE RECIPITO.

*Nec misereberis earum.* Ibid.7,2.

L. VANOR. DEOR. CVLTORES REGIONEM TVAM NE HABITANTO.

*Non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me, si seruieris diis eorum.* Ibid.23,33.

LI. CONNVBIA AFFINITATESVE CVM IISDEM NE IVNGITO.

Deut.7, 4. *Neque sociabis cum eis coniugia: filiam tuam non dabis filio eius, neque filiam illius accipies filio tuo.*

LII. AMMONITAM ET MOABITAM AFFINEM NVNQVAM ESSE TIBI SINITO.

Ibid. 23,3. *Ammonites & Moabites, etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum.*

LIII. IDVMÆVM AB AFFINITATE NE ARCETO.

Ibid. v.7. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est.*

LIIII. ÆGYPTII AFFINITATE NE ABHORRETO.

Ibid. *Nec Ægyptum, quia aduena fuisti in terra eius.*

LV. AMMONITIS ET MOABITIS PACEM NE PROPONITO, NEVE DATO.

Ibid. *Non facies cum eis pacem, nec quæres eius bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum.*

LVI. HOSTIVM NON STERILEM ARBOREM, NEC BELLI ETIAM TEMPESTATE PERDITO.

Ibid. 20,19. *Quando obsederis ciuitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis vt expugnes eam, non succides arbores de quibus vesci potest; nec securibus per circuitum debes vastare regionem, quoniam lignum est, & non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum.*

LVII. HOSTEM CERTVM IN PROELIO NE PAVETO, NEVE METVITO.

Ibid 7,21. *Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est. &, Noli ti-*
Ibid.v.18. *mere, sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, & cunctis Ægyptiis, plagas maximas quas viderunt oculi tui, & signa atque portenta, manúmque robustam, & extentum brachium, vt educeret te Dominus Deus tuus. sic faciet cunctis populis quos metuis. Insuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque disperdat qui te fugerint, & latere potuerint.*

LVIII. GHAMALEKITARVM INIVRIÆ NE OBLIVISCITOR.

Ibid. 25,19. *Caue ne obliuiscaris, &c.*

LIX. SACROSANCTVN NOMEN DEI NE TEMERATO.

Ibid.22, 27. Leuit. 19, 12 *Diis non detrahes. & alibi, Non pollues nomen Dei tui.*

LX. NOMEN DEI NE VANE IVRATO.

Leuit.19.12. *Non periurabis in nomine meo.*

LXI. NOMEN DEI FRVSTRA NE APPELLATO.

Exodi 20, 7. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.*

LXII. SANCTITATEM DIVINI NOMINIS NE PROPHANATO.

Leuit.22, 31. *Ne polluatis nomen meum sanctum, vt sanctificer in medio filiorũ Israel.*

LXIII. DEVM GVBERNATOREM TVVM NE TENTATO,

Deut. 6, 16. *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

LXIIII. DE SACRA DICATAVE RE NE PERDITO.

Ibid.12, 4. *Non facietis ita Domino Deo vestro; sed ad locum quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis: & offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras,*

deci-

decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria, primogenita boum & ouium. Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri: ac lætabimini in cunctis ad quæ miseritis manum vos, & domus vestræ, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester.

LXV. SVSPENSI CADAVERA IN LIGNO VLTRA LVCEM NE SINITO.

Non permanebit cadauer eius in ligno. Deut.21.23.

LXVI. SACRI TEMPLI CVSTODIAM NE NEGLIGITO.

Excubate in custodia sanctuarij, & in ministerio sanctuarij; ne oriatur indignatio super Israel. Num.18.5.

LXVII. SACERDOS TEMPLVM NE PRO ARBITRIO INGREDITOR.

Loquere ad Aaron fratrē tuū ne omni tempore ingrediatur sanctuariū. Leuit.16,2.

LXVIII. SACERDOS VITII SIBI CONSCIVS ADYTVM NE SVBITO.

Ita dumtaxat vt intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, qui maculam habet, & contaminare non debet sanctuarium meum. Leuit.21,23

LXIX. SACERDOS HÆRENTE VITIO AFFECTVS, SACRVM NE OPERATOR.

Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo. Ibid.v.17.

LXX. SACERDOS, QVOAD VITIO OBNOXIVS FVERIT, SACRVM NE FACITO.

Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino. Ibid.v.21.

LXXI. LEVITES ET SACERDOS PRÆSCRIPTA MVNIA NE INVICEM VSVRPANTO, NEVE CONFVNDITO.

Excubabuntq́; Leuitæ ad præcepta tua, & ad cuncta opera tabernaculi: ita dumtaxat vt ad vasa sanctuarij & altare non accedant, ne illi moriantur, & vos pereatis simul. Num. 18,3.

LXXII. SANCTA TRACTATVRVS VINVM NE BIBITO, NEC SICERAM.

Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis tabernaculum testimonij, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras: & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum: doceatísque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi. Leuit.10,9.

LXXIII. ALIENVS A GENTE LEVITICA NE AD MVNIA SACRA ACCEDITO.

Alienigena non miscebitur vobis. &, Externus qui ad ministrandum accesserit, morietur. Num.18,4. Ibid.v.7.

LXXIIII. SACERDOS IMPVRVS NE MINISTRATO.

Loquere ad Aaron & ad filios eius, vt caueant ab his quæ consecrata sunt filiorum Israel, & non contaminent nomen sanctificatorum mihi, quæ ipsi offerunt. ego Dominus. Dic ad eos, & ad posteros eorum: Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. ego sum Dominus. Leuit.22,2.

LXXV.

LXXV. SACERDOS EX IMPVRITATE LOTVS, ANTE SOLIS OCCASVM NE SERVITO.

Leuit.22,6. *Et non polluent nomen Dei sui.*

LXXVI. IMPVRVS NE SANCTVM INGREDITOR.

Num 19,16. *Tam masculum quàm feminam eiicite de castris, ne contaminent ea. &*
Num.5,3. Leuit.12,4. *Neq; ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ.*

LXXVII. IMPVRVS AD SACRVM LOCVM NE PROPE ACCEDITO.

Deut. 23,10 *Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, & non reuertetur, priusquam ad vesperam lauetur aqua: & post solis occasum regredietur in castra.*

LXXVIII. ARAM E SECTIS LAPIDIBVS NE STRVITO.

Exodi 20,25 *Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim leuaueris cultrum super eam, polluetur.*

LXXIX. AD ARAM PER GRADVS NE ADSCENDITO.

Ibid.20,26. *Non adscendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua.*

LXXX. IGNIS IN ARA NE EXSTINGVITOR.

Leuit.6,12. *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subiiciens ligna manè per singulos dies, & imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.*

LXXXI. SVPER ALTARE AVREVM PRÆTER SVFFIMENTVM DESTINATVM, NIHIL INCENDITO, NEVE IMPONITO.

Exodi 30,9. *Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem & victimam, nec libabitis libamina.*

LXXXII. VNGVENTVM SACRO SIMILE NEMO IMITATOR.

Ibid. 30,32. *Iuxta compositionem eius non facietis aliud.*

LXXXIII. VNGVENTO SANCTO PRÆTER SACERDOTEM MAGNVM AC REGEM NEMO VNGITOR.

Ibidem. *Caro hominis non vngetur ex eo.*

LXXXIIII. SVFFIMENTI SACRI INSTAR NVLLVS FACITO.

Ibid.v.37. *Talem compositionem non facietis in vsus vestros.*

LXXXV. VECTES AB ARMILLIS CISTÆ HÆRENTIBVS NE DETRAHANTOR.

Ibid 25.v.13 *Facies quoque vectes de lignis setim, & operies eos auro, inducésque per circulos qui sunt in arcæ lateribus, vt portetur in eis: qui semper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis.*

LXXXVI. HOSEN AB EPHOD NE SEPONITOR.

Ibid.28,v.28 *Et stringatur rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina, vt maneat iunctura fabrefacta, & à se inuicem rationale & superhumerale nequeant separari.*

LXXXVII. TVNICÆ PONTIFICALIS CAPITIVM NE RVMPITOR.

Ibid.v.32. *In cuius medio supra erit capitium, & ora per gyrum eius textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facilè rumpatur.*

LXXXVIII. SACRA PRÆTERQVAM IN OPTATO LOCO NE FACITO.

Deut.12 14. Leuit.17,4,9 *Caue ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris.*

LXXXIX. VICTIMAM NVLLAM EXTRA SANCTVM LOCVM MACTATOR.

Ibid.17,3. *Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bouem, aut ouem, siue capram,* in

*In castris vel extra castra, & non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit: quasi si sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi sui.*

XC. MACVLOSVM NIHIL IN SANCTA AFFERTO.
*Si maculam habuerit, non offeretis.* Leuit. 22,20.

XCI. VITIOSVM NIHIL IEHVEH AFFERTO.
*Non offeretis ea Domino.* Ibid. v. 22.

XCII. VITIOSI CRVOREM ARÆ IEHVEH NE INFERTO.
*Non offeretis Domino.* Ibid. v. 24.

XCIII. VITIOSVM NIHIL IN ARA IEHVEH ADOLETO.
*Nec adolebitis ex eis super altare Domini.* Ibid. v. 22.

XCIIII. BOVE PECVDEVE PRÆSENTI MACVLA VEL VITIO NE FACITO.
*Non immolabis Domino Deo tuo bouem & ouem, in quo est macula, aut quippiam vitij.* Deut. 17,1.

XCV. HOSTIAM MACVLATAM VITIOSAMVE NEC AB ALIENIGENA ADMITTITO.
*Omne animal quod vel contritis, vel tunsis, vel sectis, ablatisque testiculis est, non offeretis Domino, & in terra vestra hoc omnino ne faciatis. De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro, & quidquid aliud dare voluerit: quia corrupta, & maculata sunt omnia: non suscipietis ea.* Leuit. 22,24.

XCVI. NIHIL MACVLATVM IN SANCTA AFFERTO.
*Vt acceptabile sit, omnis macula non erit in eo.* Ibid. v. 21.

XCVII. FERMENTI MELLISVE NIHIL IN SACRIFICIA ADHIBETO.
*Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini.* Leuit. 2,11

XCVIII. ABSQVE SALE NE FACITO.
*Nec auferes sal fœderis Dei tui, de sacrificio tuo.* Ibid. v. 13.

XCIX. MERETRICIS DONA CANISVE PRETIVM IN SANCTVM NE AFFERTO.
*Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud est, quod vouerint: quia abominatio est vtrumque apud Dominum Deum tuum.* Deut. 23,18

C. PARENTEM ET PROLEM EADEM DIE NE IVGVLATO.
*Non immolabuntur vna die cum fœtibus suis.* Leuit. 22,28.

CI. HOSTIÆ EXPIATRICI OLEVM NE ADDITO.
*Non mittet in eam oleum.* Leuit. 5,11.

CII. EXPIANTI HOSTIÆ THVS NE ADIVNGITO.
*Nec thuris aliquid imponet super eam, quia pro peccato est.* Ibid. v. 11.

CIII. SVSPICIONIS MVNERI OLEVM NE MISCETO.
*Non fundet super eam oleum.* Num. 5,15.

CIIII. SVSPICIONIS MVNERI THVS NE INFERTO.
*Nec imponet thus, quia sacrificium zelotypiæ est.* Ibid. v. 15.

CV. SANCTA NE MVTATO.
*Animal autem quod immolari Domino potest, si quis vouerit, sanctum erit; & mutari non poterit, id est, nec melius malo, nec peius bono.* Leuit. 27,9.

k CVI.

CVI. SANCTVM NE VARIATO.

Leuit. 27, 26 *Primogenita quæ ad Deum pertinent, nemo sanctificare poterit, & vituere, siue bos, siue ouis fuerit: Domini sunt.*

CVII. SANCTVM IEHVEH NE REDIMITO.

Num. 18, 17 *Primogenitum autem bouis, & ouis, & capræ non facies redimi.*

CVIII. DECVMAS NE VENDITO NEVE REDIMITO.

Leuit. 27, 28 *Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, & omnis consecratio quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.*

CIX. NIHIL SACRVM VEL* DEVOTVM VENITO.

Ibid. v. 28. *Omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager, non veniet, nec redimi poterit.*

CX. AGER SACER NE REDIMITOR.

Ibidem. *Siue ager, non veniet, nec redimi poterit.*

CXI. AVIS FACIENDÆ CAPVT NE SEPARATO.

Leuit. 5, 8. *Qui primum offerens pro peccato, retorquebit caput eius ad pennulas, ita vt collo adhæreat, & non penitus abrumpatur.*

CXII. SANCTIS NE ABVTITOR.

Deut. 9, 19. *Non operaberis in primogenito bouis.*

CXIII. PECVS SACRATVM NE TONDETO.

Ibidem. *Et non tondebitis primogenita ouium.*

CXIIII. PHASE PRÆSENTE FERMENTO NE FACITO.

Exodi 14, 25 & 23, 10. *Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ.*

CXV. EX SACRO PHASE NIHIL IN CRASTINVM RELIQVI MANETO.

Exodi 23, 18 *Nec remaneat adeps sollemnitatis tuæ vsque manè.*

CXVI. HOSTIÆ CARNEM IN CRASTINVM NE RELINQVITO.

Leuit. 22, 29 *Si immolaueritis hostiam pro gratiarum actione Domino, vt possit esse placabilis, eodem die comedetis eam, non remanebit quicquam in manè alterius diei.*

CXVII. EX CARNE VESPERTINA PRIMI FESTI NIHIL IN CRASTINVM MANETO.

Deut. 16, 4. *Non remanebit de carnibus eius quod immolatum est vespere in die primo, vsque manè.*

CXVIII. IN SECVNDI MENSIS PHASE NIHIL IN CRASTINVM RELINQVITO.

Num. 9, 12. *Non relinquent ex eo quippiam vsque manè.*

CXIX. EX GRATVLATORIA LEGITIMA HOSTIA NIHIL IN CRASTINVM RELINQVITO.

Leuit. 22, 29 *Si immolaueritis hostiam pro gratiarum actione Domino, vt possit esse placabilis, eodem die comedetis eam, non remanebit quicquam in manè alterius diei.*

CXX. OS NVLLVM AGNI PHASE FRANGITO.

Exodi 12, 46 *Nec os illius confringetis.*

CXXI. EX PHASE POSTERIORI OS NE FRANGITO.

Num. 9, 12. *Et os eius non confringent.*

CXXII. EX CARNE PHASE NIHIL FORAS EFFERTO.
*Nec efferetis ex carnibus eius foras.* Exodi 12,46.

CXXIII. RELIQVIAS MVNERIS IN FERMENTO NE COQVITO.
*Ideo autem non fermentabitur.* Leuit. 6, 17.

CXXIIII. CARO PHASE NEQ. CRVDA, NEQ. ELIXA ESTOR.
*Non comedetis ex eo crudum quid, neq. coctum aqua.* Exodi 12,9

CXXV. ADVENA PHASE NE COMEDITO.
*Aduena & mercenarius non comedent ex eo.* Ibid. v 45.

CXXVI. PRÆPVTII COMPOS PHASE NE VESCITOR.
*Si quis autem incircuncisus fuerit, non comedet ex eo.* Ibid.v.48.

CXXVII. NEMO VANI CVLTVS PHASE ESTO.
*Omnis alienigena non comedet ex eo.* Ibid.v.44.

CXXVIII. NEMO IMPVRVS PHASE COMEDITO.
*Omne sanctum non tanget, neque ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ.* Leuit. 12,4.

CXXIX. CARO SANCTA SI CONTAMINETVR, NE ESTOR.
*Caro quæ aliquid tetigerit immundi, non comedetur.* Leuit.7,19.

CXXX. CARO SANCTA POST PRÆSCRIPTVM TEMPVS NE COMEDITOR.
*Quidquid autem residuum fuerit in diem tertium, igne comburetis. Si quis post biduum comederit ex ea, profanus erit, & impietatis reus: portabitque iniquitatem suam, quia sanctum Domini polluit, & peribit anima illius de populo suo.* Leuit. 19,6.

CXXXI. SANCTORVM RELIQVIÆ EXTRA TEMPVS NE COMEDVNTOR.
*Non comedentur, quia sanctificata sunt.* Exodi 29,3.

CXXXII. NEMO ALIENVS A RELIGIONE SANCTIS VESCITOR.
*Omnis alienigena non comedet de sanctificatis.* Leuit.22,10.

CXXXIII. MERCENARIVS HOSPESQVE SACERDOTIS NEC PRIMOGENITA, NEQVE SEPOSITA ESTO.
*Inquilinus sacerdotis & mercenarius eius non vescentur ex eis.* Ibid.

CXXXIIII. PRÆPVTII COMPOS SEPARATVM NE COMEDITO.
*Si quis autem circuncisus non fuerit, non comedet ex eo.* Deut. 12,48.

CXXXV. SACERDOS IMPVRVS SEPARATVM NE ESTO.
*Homo de semine Aaron qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur.* Leuit.22,4.

CXXXVI. SACERDOTIS FILIA PROFANO DVCTA, SANCTVM NE COMEDITO.
*Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit; de his quæ sanctificata sunt, & de primitiis non vescetur.* Ibid. v.12.

CXXXVII. MVNVS AD SACERDOTEM PERTINENS, NEMO EX POPVLO ESTO.
*Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo.* Leuit.6,23.

CXXXVIII. SACERDOS PIACVLVM INTRA ADYTVM ILLATVM NE ESTO.
*Hostia enim quæ cæditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij ad expiandum in sanctuario, non comeditur, sed comburetur igni.* Ibid v.30.

CXXXIX. CONTAMINATVM NE COMEDITO.

Deut.14,3. *Non comedatis quæ immunda sunt.*

CXL. ALTERAM FARRIS DECVMAM SECVNDAM PRIVATE NE COMEDITO.

Ibid.12,17. *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, primogenita armentorum & pecorum, & omnia quæ voueris, & spontè offerre volueris, & primitias manuum tuarum.*

CXLI. DECIMA ALTERA MVSTI PRIVATE NE FRVITOR.

Ibidem. *Non poteris comedere decimam vini, &c.*

CXLII. DECIMA ALTERA OLEAGINOSA PRIVATE NE VTITOR.

Ibidem. *Non poteris comedere decimam olei tui.*

CXLIII. PRIMITIVA PECVARIA NE PRIVATE COMEDITO.

Deut.12,17 *Primogenita armentorum & pecudum.*

CXLIIII. PIACVLVM ET EXEMPLVM EXTRA SANCTVM NE COMEDITO.

Ibid. *Armentorum & pecorum.*

CXLV. HOLOCAVTOMA NE PRIVATE COMEDITO.

Ibid. *Et omnia quæ voueris.*

CXLVI. LIBERALE MVNVS PRIVATE NE ESTO.

Ibid. *Et quæ spontè offerre volueris.*

CXLVII. EXTRANEVS SANCTA NE COMEDITO.

Exodi 29,33 *Alienigena non vescetur ex eis, quia sancta sunt.*

CXLVIII. SACERDOS IN PRIVATIS ÆDIBVS PRIMITIVA MANVALIA NE COMEDITO.

Deut.12,17. *Nec primitias manuum tuarum.*

CXLIX. DECVMA ALTERA IMPVRE NE ESTOR.

Ibid.26,14. *Non separaui ea in qualibet immunditia.*

CL. QVISQVIS IN LVCTV AGIT, DECVMAM ALTERAM NE ESTO.

Ibidem. *Non comedi ex eis in luctu meo.*

CLI. DECVMÆ POSTERIORIS PRETIVM NISI IN CIBVM POTVMVE NE PONITO.

Ibidem. *Nec expendi de his quicquam in re funebri.*

CLII. FRVCTIBVS ANTE SEPOSITIONEM NE FRVITOR.

Leuit.22,15 *Nec contaminabunt sancta filiorum Israel quæ offerunt Domino.*

CLIII. SEPARANDORVM SERIEM NE INVERTITO.

Exodi 22,28 *Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere.*

CLIIII. SIVE EX VOTO, SIVE EX SPONTE FERENDA NE INVERTITO.

Deut.23,21. *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

CLV. DEI FACIEM ABSQVE MVNERE NE VISITO.

Ibid.v.15. *Non apparebis in conspectu meo vacuus.*

CLVI. QVOD SI QVIS SIBI INDIXERIT, QVODVE INTERDIXIT, NE RESCINDITO, NEVE IRRITVM FACITO.

Num.30,3. *Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento: non faciet irritum verbum suum.*

CLVII. SACERDOS MERETRICEM VXOREM NE DVCITO.
*Scortum non ducet vxorem.* Leuit. 21,7

CLVIII. SACERDOS PROFANATAM NE ACCIPITO.
*Et vile prostibulum non ducet.* Ibid.

CLIX. REPVDIATAM AB ALIO SACERDOS NE ACCIPITO.
*Nec eam quæ repudiata est à marito.* Ibid.

CLX. VIDVAM FEMINAM SACERDOS NE DVCITO.
*Viduam autem non accipiet.* Ibid.v.14.

CLXI. SACERDOS VIDVÆ NE COMMISCETOR.
*Ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ.* Ibid.v.15.

CLXII. SACERDOS NE PROLIXVM CRINEM PASCITO.
*Capita vestra nolite nudare.* Ibid 10,6.

CLXIII. SACERDOS VESTEM NE DIDVCITO.
*Vestimenta nolite scindere.* Ibid.

CLXIIII. SACERDOS VICE SVA TEMPLVM NE EGREDITOR.
*Vos autem non egrediemini foras tabernaculi.* Ibid.v.7.

CLXV. SACERDOS MINOR MORTVIS NON NECESSARIIS NE POLLVITOR.
*Loquere ad sacerdotes filios Aaron, & dices ad eos: Ne contaminetur sacerdos in mortibus ciuium suorum, nisi tantùm in consanguineis, ac propinquis, id est, super patrem & matrem, & filium & filiam, fratrem quoque, & sororem virginem, quæ non est nupta viro.* Ibid.21,2.

CLXVI. PONTIFEX AD NVLLVM MORTVVM ACCEDITO.
*Et ad omnem mortuum non ingredietur omnino.* Ibid.v.11.

CLXVII. PONTIFEX NVLLO PACTO CONTAMINATOR.
*Super patre quoque suo, & matre, non contaminabitur.* Ibid.

CLXVIII. LEVITES IN TERRA PRÆDIVM NE HABETO.
*Nihil accipient de possessione fratrum suorum.* Deut.18,2.

CLXIX. LEVITES SPOLII HOSTILIS PARTEM NE CAPITO.
*Nec habebitis partem inter eos. Non habuit Leui partem neque possessionem cum fratribus suis.* Deut 10,9. 12 12 Deut.14,27.

CLXX. CALVITIVM TIBI NE FACITO.
*Non facietis vobis caluitium super mortuo. Nec radent caput.* Deut.14.1. Leuit 21,5.

CLXXI. IMPVRVM ANIMAL NE COMEDITO.
*Quidquid autem ruminat quidem, & habet vngulam, sed non diuidit eam, non comedetis illud.* Leuit.11,3.

CLXXII. AQVATILE IMPVRVM NE ESTO.
*Quidquid autem pinnulas & squamas non habet eorum quæ in aquis mouentur, & viuunt, abominabile vobis exsecrandúmque erit: carnes eorum non comedetis.* Ibid. 10, 11.

CLXXIII. AVEM ET MVREM NE COMESTO.
*Hæc sunt quæ de auibus comedere non debetis.* Ibid.v.13.

CLXXIIII. REPTILE ALATVM NE ESTO.
*Et omne quod reptat, & pinnulas habet, immundũ erit, & nõ comedetur.* Deut. 14,19.

CLXXV. REPTILI TERRESTRI NE VESCITOR.
*Omne quod reptat super terram, abominabile erit, nec assumetur in cibum.* Leuit.11, 41.

CLXXVI. NVLLVM INSECTVM COMESTO.

Leuit. 11,43 *Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quicquam eorum, ne immundi sitis.*

CLXXVII. VERMEM NVLLVM COMEDITO.

Ibid.v.42. *Quidquid super pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, siue per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile est.*

CLXXVIII. NIHIL HORRIBILE COMESTO.

Ibid.v. 44. 20, 25. *Ne polluatis animas vestras in omni reptili, quod mouetur super terram.*

CLXXIX. NVLLVM CADAVER COMEDITO.

Deut.14, 21 *Quidquid morticinum est, ne vescamini ex eo.*

CLXXX. CARNE RAPTA NE VESCITOR.

Exodi 22, 31 *Carnem quæ à bestiis fuerit prægustata, non comedetis.*

CLXXXI. VIVENTIS ANIMANTIS PARTEM NE COMESTO.

Deut.12, 23 *Non debes animam comedere cum carnibus.*

CLXXXII. ISRAELITA NERVVM COXÆ NE ESTO.

Genesis 9, 4. *Non comedunt neruum filij Israel, qui emarcuit in femore Iacob vsque in præsentem diem: eo quòd tetigerit neruum femoris eius, & obstupuerit.*

CLXXXIII. SANGVINE NE VESCITOR.

Leuit.7, 26 *Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tam de auibus, quàm de pecoribus.*

CLXXXIIII. ADIPEM ANIMALIS MVNDI NE COMESTO.

Ibid.v.23. *Adipem bouis, & ouis, & capræ non comedetis.*

CLXXXV. HAEDVM IN MATERNO LACTE NE COQVITO.

Deut.14, 22 *Non coques hædum in lacte matris suæ.*

Leuit.23, 19. & 34,26. CLXXXVI. HAEDVM MATERNO LACTE COCTVM NE COMESTO.

Ibid v.22. *Non coques hædum in lacte matris suæ.*

CLXXXVII. BOVIS LEGITIMA LAPIDATIONE DAMNATI CARNES NE COMEDVNTOR.

Exodi 26. v. *Non comedent carnes eius.*

21, & 29. CLXXXVIII. PANEM EX NOVIS FRVGIBVS ANTE INITIATIONEM NE ESTO.

Leuit.23,14. *Panem, & polentam, & pultes non comedetis ex segete, vsque ad diem qua offeratis ex ea Deo vestro. præceptum est sempiternum in generationibus, cunctisq́ habitaculis vestris.*

CLXXXIX. TOSTVM ANTE INITIATIONEM NE COMEDITOTE.

Ibidem. *Et polentam ne comedatis.*

CXC. CARMEL ANTE INITIATIONEM NE VESCIMINOR.

Ibidem. *Et pultes non comedatis.*

CXCI. PRÆPVTIVM FRVCTVS EX ARBORE NE COMEDITO.

Leuit.19, 23 *Quando ingressi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum. Poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis.*

CXCII. MIXTVRAM EX VINEA NE COMEDITO.

Deut.22, 9 *Ne & sementis quam seuisti, & quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur.*

CXCIII.

CXCIII. VINVM SVPERSTITIONI ADDICTVM NE BIBITOR.
*De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.* Deut. 32, 38

CXCIIII. AD SANGVINIS PERICVLVM NE COMEDITO.
*Non comedetis carnem cum sanguine.* Leuit. 19, 26

CXCV. IN DIE EXPIATIONVM NE GVSTATO.
*Omnis anima quæ afflicta non fuerit die hac, pereat de populis suis.* Ibid. 23, 25

CXCVI. IN FESTO PEZZAHH FERMENTATVM NE ESTOR.
*Vt non comedatis fermentatum panem.* Exodi 13, 3

CXCVII. NIHIL FERMENTACEVM PER IDEM FESTVM COMESTO.
*Omne fermentatum non comedetis in cunctis habitaculis vestris.* Ibid. 12, 15

CXCVIII. FERMENTATVM EODEM FESTO A MERIDIE NE COMESTO.
*Non comedetis in eo panem fermentatum.* Deut. 16, 3

CXCIX. FERMENTATVM NIHIL ILLIS FESTIS DIEB. EXSTATO.
*Non apparebit apud te aliquid fermentatum in cunctis finibus tuis.* Exodi 13, 7

CC. EODEM PEZZAHH SEPTENARIO NIHIL FERMENTATVM PRIVATE REPERITOR.
*Septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus vestris.* Ibid. 12, 19

CCI. NAZARÆVS NIHIL EX VVIS EXPRESSVM BIBITO.
*Et quidquid ex vua exprimitur, non bibet.* Num. 6, 3.

CCII. NAZARÆVS VVAM INTEGRAM NE ESTO.
*Vuas recentes non comedet.* Ibidem.

CCIII. NAZARÆVS VVA PASSA ARIDAVE NE VESCITOR.
*Siccasq; non comedet.* Ibidem.

CCIIII. NAZARÆVS NE VVÆ BACCAM ESTO.
*Ab vua passa vsque ad acinum non comedet.* Ibid. v. 4.

CCV. NAZARÆVS NEC VVÆ FOLLICVLVM ESTO.
*Ab vua passa vsque ad acinum non comedent.* Ibidem.

CCVI. NAZARÆVS MORTVI ERGO NE CONTAMINATOR.
*Super patris quidē; & matris, & fratris, sororisq; funere cōtaminabitur.* Ibid. v. 6.

CCVII. NAZARÆVS AD MORTVVM NE ACCEDITO.
*Omni tempore separationis suæ super mortuum non ingredietur.* Ibid. v. 6.

CCVIII. NAZARÆVS, QVAM DIV SEPARATVS ERIT, NE TONDETOR.
*Omni tempore separationis suæ nouacula non transibit per caput eius vsque ad completum diem quo Domino consecratur.* Ibid. v. 5.

CCIX. ANGVLVM AGRI TVI METENDO NE EXIGITO.
*Cùm messueris segetes terræ tuæ, non tondebis vsque ad solum superficiem terræ.* Leuit. 19, 9

CCX. SPICARVM RELIQVIAS NE REPETITO.
*Nec remanentes spicas colliges.* Ibid. v. 9.

CCXI. VINEÆ TVÆ RACEMOS NE AVFERTO.
*Neque in vinea tua racemos.* Ibidem.

CCXII. VVARVM BACCAS DECIDVAS NE LEGITO.
*Nec grana decidentia congregabis.* Ibidem.

CCXIII. MANIPVLVM PRÆTERMISSVM NE REQVIRITO.
*Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reuerteris vt tollas illum.* Deut. 24, 19

CCXIIII.

CCXIIII. CONFVSA IN AGRO TVO NE SERITO.

Leuit.19. 19 *Agrum tuum non seres diuerso semine.*

CCXV. VINEÆ TVÆ ALIVD SEMEN NE IACITO.

Deut.22,9. *Non seres vineam tuam altero semine, ne & sementis quam seuisti, & quæ nascuntur ex vinea, sanctificentur.*

CCXVI. IVMENTA TVA NE CONFVNDITO.

Leuit.19.29. *Iumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus.*

CCXVII. VARIIS IVMENTIS PARITER NE ABVTITOR.

Deut.22,19. *Non arabis simul in boue & asino.*

CCXVIII. BOVI LABORANTI PABVLVM NE SVBDVCITO.

Ibid.25,4. *Non ligabis os bouis triturantis in area fruges tuas.*

CCXIX. AGRVM TVVM ANNO SEPTIMO NE SERITO.

Leuit.25,4. *Septimo autem anno sabbathum erit terræ requietionis Domini: agrum non seres.*

CCXX. SEPTIMO ANNO VINEAM TVAM NE COLITO.

Ibidem. *Et vineam non putabis.*

CCXXI. SEPTIMO ANNO ARBORVM TVARVM FRVCTVS NE EXIGITO.

Ibid.v.5. *Quæ sponte gignet humus, non metes.*

CCXXII. FRVCTIBVS SEPTIMI ANNI NON VTI DOMINVS VTITOR.

Ibidem. *Et vuas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam.*

CCXXIII. ANNO QVINQVAGESIMO AGER NE COLITOR.

Ibid.v.11. *Quinquagesimus annus iubileus est: non seretis.*

CCXXIIII. ANNO QVINQVAGESIMO SPONTE NATA NE METITO.

Ibid. 25,11. *Neque metetis sponte in agro nascentia.*

CCXXV. ANNO QVINQVAGES. FRVCTVS ARBORVM NE REQVIRITO.

Ibidem. *Et primitias vindemiæ non colligetis.*

CCXXVI. AGER IN IVS PERPETVVM NE VENDITOR.

Ibid.v.17. *Tempus enim frugum vendet tibi: nolite affligere contribules vestros.*

CCXXVII. LEVITARVM SVBVRBANA NE MVTANTOR.

Leuit.27,34 *Suburbana Leuitarum ne veneant.*

CCXXVIII. LEVITEN NE DESERITO.

Deut.12,29. *Caue ne derelinquas Leuiten in omni tempore quo versaris in terra.*

CCXXIX. REMISSIONIS ANNO DEBITVM NE EXIGITO.

Ibid.15,2. *Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini.*

CCXXX. ANTE REMISSIONEM COMMODARE PROXIMO NE RECVSATO.

Ibid.v.9. *Caue ne fortè subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo, Appropinquat septimus annus remissionis; & auertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum.*

CCXXXI. PAVPERI DIFFICILIS NE ESTO.

Ibid.v.7. *Si vnus de fratribus tuis qui moratur intra portas ciuitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem deuenerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum quo eum indigere perspexeris.*

CCXXXII.

CCXXXII. SERVVM HEBRÆVM LEGE REMISSVM, IMMVNIS NE DIMITTITO.
*Et quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris.* Deut. 15,

CCXXXIII. PAVPERI CVI COMMODAVERIS NE INSTATO.
*Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes.* Exodi 22, 25

CCXXXIIII. FOENORE QVÆSTVM NE FACITO.
*Pecuniam tuã non dabis ad vsurã, & frugũ superabundantiã non exiges.* Leuit. 25, 37.

CCXXXV. ARGENTVM, FAR, AVT QVIPPIAM ALIVD NE FOENERATOR.
*Non fœnerabis fratri tuo pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliã rem.* Deut. 23, 20

CCXXXVI. VSVRÆ NEGOTIA NE AGITO.
*Nec vsuris opprimes.* Exodi 23, 25

CCXXXVII. MERCEDEM OPERÆ IN CRASTINVM NE DIFFERTO.
*Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque manè.* Leuit. 19, 13

CCXXXVIII. PIGNVS A DEBITORE PRIVATVS NE CAPITO. Deut. 24, 15
*Cùm repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum eius, vt pignus auferas; sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit.* Ibid. v. 10.

CCXXXIX. PIGNORIS NECESSARII VSV PRO TEMPORE PAVPEREM NE FRAVDATO.
*Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum: vt dormiens in vestimento suo, benedicat tibi, & habeas iustitiam coram Domino Deo tuo.* Ibid. v. 12.

CCXL. VIDVAM PIGNORE NE COGITO.
*Nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum.* Ibid. v. 16.

CCXLI. SVPELLECTILEM AD VICTVM PARATAM NE PIGNERATOR.
*Non accipies loco pignoris inferiorem & superiorem molam: quia animam suam apposuit tibi.* Ibid. v. 6.

CCXLII. HOMINEM PROXIMVM NE FVRTO ABDVCITO.
*Furtum non facies. Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ, morte moriatur.* Deut. 5, 18 Exodi 21, 16

CCXLIII. FVRTO REM NVLLAM CAPITO.
*Non facietis furtum.* Leuit. 19, 11

CCXLIIII. DEBITVM PER VIM NE RECIPITO.
*Non opprimes proximum vi.* Ibid. v. 13.

CCXLV. POSSESSIONVM TERMINVM NE CONVELLITO.
*Non assumes & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores, in possessione tua quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terra quam acceperis possidendam.* Deut. 19, 14.

CCXLVI. NEMINEM PREMITO.
*Non facies calumniam proximo tuo.* Leuit. 19, 13

CCXLVII. NE NEGATO.
*Nec mentiemini.* Ibid. 19, 11

CCXLVIII. NE MENTITOR.
*Nec decipiet vnusquisque proximum suum.* Ibid. v. 11.

CCXLIX. IN CONTRACTIBVS NEMINEM AFFLIGITO.
*Quando vendes quippiã ciui tuo, vel emes ab eo, ne cõtristes fratrẽ tuum.* Ibid. 25, 14.

CCL. POPVLARI TVO NE EXPROBRATO.

Leuit.25,17. *Nolite affligere contribules vestros, sed timeat vnusquisque Deũ suum, quia ego Dominus Deus vester.*

CCLI. ADVENÆ NE EXPROBRATO.

Exodi 22,21 *Aduenam non contristabis.*

CCLII. ADVENAM NE AFFLIGITO.

Ibidem. *Neque affliges eum.*

CCLIII. SERVVM EX ALIENO LOCO IN TVAM REGIONEM TRANSFVGIENTEM, HERO NE TRADITO.

Deut.23,15. *Nec trades seruum domino suo, qui ad te confugerit: habitabit tecum in loco qui ei placuerit.*

CCLIIII SERVO IN VESTRAM REGIONEM RECEPTO NE EXPROBRATO.

Ibidem. *In vna regionum tuarum requiescet: ne contristes eum.*

CCLV. NEQVE VIDVAM, NEQVE PVPILLVM AFFLIGITO.

Exodi 22. v. 22,23. *Vidua & pupillo non nocebitis.*

CCLVI. SERVO HEBRÆO SERVILEM SERVITVTEM NE IMPONITO.

Leuit. 25,39. *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes seruitute famulorum.*

CCLVII. SERVOS HEBRÆOS SERVITVTIS MORE NE VENITO.

Ibidem. *Non veneant conditione seruorum.*

CCLVIII. SERVO HEBRÆO INCLEMENTER NE IMPERATO.

Ibid.v.41. *Ne affligas eum per potentiam.*

CCLIX. SERVVM HEBRÆVM ADVENÆ INCLEMENTER SERVIRE NE PATITOR.

Ibid. v.53. *Non affligent eum in conspectu tuo.*

CCLX. ANCILLAM HEBRÆAM ALIENO NE VENDITO.

Exodi 21,6 *Populo autem alieno vendendi eam non habebit potestatem.*

CCLXI. ANCILLÆ HEBRÆÆ CVI SPOPONDERIS, IVRA SVA NE SVBDVCITO.

Ibid.v.9. *Sin autem filio suo desponderit eam, iuxta morem filiarum faciet illi. Quòd si alteram ei acceperit, prouidebit puellæ nuptias, & vestimenta, & pretium pudicitiæ non negabit.*

CCLXII. ALIENIGENA FEMINA FORMÆ ERGO DVCTA, NE VENDITOR.

Deut.24,14. *Si autem postea non sederit animo tuo, dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecunia.*

CCLXIII. ALIENIGENAM QVAM TIBI DESPONDERIS, NE SERVILITER EXERCETO.

Ibidem. *Nec opprimere per potentiam, quia humiliasti eam.*

CCLXIIII. ALIENAM REM NE OPTATO.

Deut.5,19 *Non concupisces vxorẽ proximi tui: non domum, non agrũ, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, & vniuersa quæ illius sunt.*

CCLXV. ALIENVM NE CVPITO.

Ibidem. *Et non concupisces, &c.*

CCLXVI. OPERARIVS ALIENAS FRVGES SIBI NE METITO.

Ibid.23,25. *Si intraueris segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres: falce autem non metes.*

CCLXVII.

CCLXVII. OPERARIVS ALIENO PRÆDIO NIHIL EFFERTO.

*Ingressus vineam proximi tui, comede vuas quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum.* Ibid.v.24.

CCLXVIII. ALTERIVS REPERTAM REM NE DISSIMVLATO.

*Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo. Etiam si non est propinquus frater tuus, nec nosti eum, duces in domum tuam, & erunt apud te, quàm diu quærat ea frater tuus, & recipiat. Similiter facies de asino, & de vestimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit. Si inueneris eam, ne negligas quasi alienam.* Deut.22,1,2,3.

CCLXIX. ONERI SVCCVMBENTI AVXILIVM NE NEGATO.

*Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.* Exodi 23,5

CCLXX. MENSVRAM IVSTAM NE FRAVDATO.

*Non facies quod iniquũ est, in iudicio, in regula, & pondere, & mensura.* Leuit.19,15 35.

CCLXXI. MENSVRÆ INIQVÆ NIHIL APVD TE ESTO.

*Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus: nec erit in domo tua modius maior & minor. pondus habebis iustũ & verum, & modius æqualis & verus erit tibi: vt multo viuas tempore super terram quam Dominus Deus tuus dederit tibi. abominatur enim Dominus tuus eum qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam.* Deut.25,v.13,14,15,16

CCLXXII. IVDICIVM NE INVERTITO.

*Non facies quod iniquum est, nec iniustè iudicabis.* Leuit.19,15.

CCLXXIII. IVDEX DONVM NE ACCIPITO.

*Non accipies munera, quia etiam excæcant prudentes.* Exodi 23,8.

CCLXXIIII. IVDEX MAGNATEM NE REVERETOR.

*Nec honores vultum potentis.* Leuit.19,15.

CCLXXV. IVDEX NEMINEM VERETOR.

*Nec accipietis cuiuspiam personam, quia Dei iudicium est.* Deut.1,17.

CCLXXVI. IVDEX PAVPEREM NE REVERETOR.

*Non declinabis in iudicium pauperis.* Exodi 23,6.

CCLXXVII. PAVPERIORIS CAVSAM NE INVERTITO.

*Non declinabis in iudicium pauperis.* Leuit.19,5. Exodi 23,6.

CCLXXVIII. MVLIERI SONTI NE PARCITO.

*Abscindes manum illius, nec flectêris super eam vlla misericordia.* Deut.25,12

CCLXXIX. ADVENÆ PVPILLIVE IVS NE INVERTITO.

*Non peruertes iudicium aduenæ & pupilli.* Ibid.24,23

CCLXXX. NEVTRVM LITIGANTIVM MENDOSE AVDITO.

*Non suscipies vocem mendacij.* Exodi 23,1

CCLXXXI. IN DETERIOREM PARTEM PLVRIBVS NE SECVNDATO.

*Non sequêris turbam ad faciendum malum.* Ibid.v.2.

CCLXXXII. SENTENTIAM EX NVMERO NE DICITO.

*Neque in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ.* Ibid.

CCLXXXIII. NEMINEM PRIVATA CAVSA SVSCIPITOTE.

*Nulla erit distantia personarum.* Deut.1,16.

CCLXXXIIII. TESTIMONIVM VANVM NE RESPONDETO.

*Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium.* Ibid.20,16. & 5.v.20.

CCLXXXV. IMPROBI TESTIMONIVM NE SVSCIPITO.

Exodi 23,1 *Non iunges manum tuam vt pro impio dicas falsum testimonium.*

CCLXXXVI. PROPINQVORVM TESTIMONIVM NE CONSTATO.

Deut.24,16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filij pro patribus.*

CCLXXXVII. ADVERSVM SONTEM SINGVLARIS TESTIS NE SISTITOR.

Ibid.19,15. *Nō stabit testis vnus cōtra aliquē, quidquid illud peccati & facinoris fuerit.*

CCLXXXVIII. INSONTEM CAPITIS NE DAMNATO.

Exodi 20,13 *Non occides.*

Deut.5,17. CCLXXXIX. NEMINEM ABSQ. LEGITIMO TESTIMONIO OCCIDITO.

Exodi 23,7. *Insontem & iustum ne occidito.*

CCXC. TESTIS SINGVLARIS IN CAVSA SONTICA NIHIL PRÆTER TESTIMONIVM RESPONDETO.

Num.35,30 *Ad vnius testimonium nullus condemnabitur. Nemo occidatur vno*

Deut.17,6. *contra se dicente testimonium.*

CCXCI. ANTE EXACTVM IVDICIVM NEMO SONTIVM OCCIDITOR.

Num.35,12. *Cognatus occisi non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis, & causa illius iudicetur.*

CCXCII. HOMICIDIO INSTANTEM VEL VI PROHIBETO.

Deut.25,12 *Abscindes manum illius, nec flecteris super eum vlla misericordia.*

& 22,27. CCXCIII. QVI VIM PASSVS PECCARIT, NE PVNITOR.

Deut.22,26. *Puella nihil patietur, nec est rea mortis: quoniā sicut latro consurgit contra fratrem suum, & occidit animam eius, ita & puella perpessa est. Sola erat in agro: clamauit, & nullus affuit, qui liberaret eam.*

CCXCIIII. HOMICIDII LEVIORIS MVLCTA NVLLO PRETIO MVTATOR.

Num.35,31. *Non accipietis pretium ab eo qui reus est sanguinis.*

CCXCV. HOMICIDII DELIBERATI POENA NVLLO PRETIO MVTATOR.

Ibid.v.32. *Qui reus est sanguinis, statim & ipse morietur.*

CCXCVI. PERICLITANTEM CVM SERVARE POSSIS, NE PRÆTERMITTITO.

Leuit.19,17 *Non stabis contra sanguinem fratris tui.*

CCXCVII. PERICVLI OFFENSIONISQVE CAVSAM NVLLAM APVD TE DATO.

Deut.22,8. *Cùm ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitū, ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, & in præceps ruente.*

CCXCVIII. CAVSAS AD CVLPAM ALII NE DATO.

Leuit.19,14 *Nec coram cæco ponas offendiculum.*

CCXCIX. PLAGIS DIGNVS PRÆTER IMPROBITATIS AC VIRIVM MODVM NE VERBERATOR.

Deut.25,2. *Sin autem eum qui peccauerit dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari: pro mensura peccati erit & plagarum modus.*

CCC. DELATOR, PERCONTATOR, CRIMINATOR NE ESTO.

Ibid.19,16. *Non eris criminator nec susurro in populo.*

CCCI. NEMINEM EX ANIMO ODERIS.

Ibidem. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.*

CCCII. NEMINEM TVRPITER ARGVITO.

Ibidem. *Argue eum, nec habeas super illum peccatum.*

CCCIII. NE VLCISCITOR.

Ibidem. *Ne quæras vltionem.*

CCCIIII.

CCCIIII. NE OBSERVATO.
*Nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Ibid.

CCCV. AVEM CVM PVLLIS VNA NE CAPITO.
*Si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum auis inueneris, & matrem pullis vel auis desuper incubantem: non tenebis eam cum filiis.* Deut. 22,6

CCCVI. ANGVLVM IN LEPRÆ SVSPICIONE NE RADITO.
*Si non creuerit macula, & capillus sui coloris est, & locus plagæ carni reliquæ æqualis: radetur homo absque loco maculæ.* Leuit.13,32.

CCCVII. LEPRÆ MALVM NE DISSIMVLATO.
*Obserua diligenter ne incurras plagã lepræ, sed facies quæcunque docuerint te sacerdotes Leuitici generis, iuxta id quod præcepi eis, & imple solicitè.* Deut. 24,8

CCCVIII. LOCVM VITVLÆ OB OCCVLTVM HOMICIDIVM CÆSÆ NE COLITO, NEVE SERITO.
*Seniores ciuitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit iugum, nec terram scidit vomere: & ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ nunquam arata est, nec sementem recepit.* Ibid.21,3.

CCCIX. MALEFICO NE PARCITO.
*Maleficum non patieris viuere.* Exodi 22,17

CCCX. QVI RECENS VXOREM DVXERIT, PRIMO ANNO NIHIL PVB. IMPERATOR.
*Cùm acceperit homo nuper vxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis iniungetur publicæ; sed vacabit absque culpa domui suæ, vt vno anno lætetur cum vxore sua.* Deut 24,5.

CCCXI. MAGISTROR. LEGITIMOR. DOCVMENTA NE PRÆTERMITTITO.
*Veniésque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quærésque ab eis: qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerísque sententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.* Deut.17, v. 9,10,11.

CCCXII. DIVINO EDICTO NE ADIVNGITO.
*Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino; nec addas quicquam.* Deut.12, 32.

CCCXIII. DE EDICTO DEI NE SVBDVCITO.
*Nec diminuas.* Ibid.

CCCXIIII. IVDICES NE ELEVATO.
*Diis non detrahes.* Exodi 22,28

CCCXV. PRÆFECTO NE IMPRECATOR.
*Principi populi tui non maledices.* Ibid.

CCCXVI. NE CVIQVAM DETRAHITO.
*Non maledices surdo.* Leuit.19,14.

CCCXVII. PARENTIBVS NE DETRAHITO.
*Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Exodi 22. v. 16,28.

CCCXVIII. PARENTES NE PERCVTITO.
*Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur.* Ibid. 22, 21.

CCCXIX. SABBATHO OPERAM NE DATO.
*Septimo autem die sabbathum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, &c.* Ibid.20,10.

CCCXX. SABBATHIS VESTRIS PRÆSCRIPTVM LOCVM NE PRÆTERGREDITOR.

Exodi 16,29 *Nullus egrediatur de loco suo die sabbathi.*

CCCXXI. SABBATHO NEMO SVPPLICIO AFFICITOR.

Ibid.35,3. *Non succendetis ignem in omnibus habitationibus vestris.*

CCCXXII. IN FESTO PEZZAH OPERAM NE DATO.

Num. 28,18 *Nihil operis facietis in eis.*

Exodi 12,16 CCCXXIII. SEPTIMA DIE PEZZAH OPERAM NE DATO.

Ibid.v.18. *Dies prima erit sancta atque solennis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescēdū pertinēt.*

CCCXXIIII. FESTO COETVS OPERAM NE DATO.

Num.28,25. *Dies quoque septima celeberrimus & sanctus erit vobis: omne opus seruile non facietis in eo.*

CCCXXV. SEPTIMI MENSIS PRIMO DIE OPERAM NE DATO.

Leuit.23,24 Num.29,1. *Mense septimo prima dies mēsis erit vobis sabbathū, memoriale, clangentibus tubis, & vocabitur sanctum: omne opus seruile non facietis in eo.*

CCCXXVI. MESSIS FESTO DIE OPERAM NE DATO.

Leuit.23,27 28. Num. 29,12 *Decimo die mensis huius septimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus; affligetisq́ animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino. Omne opus seruile non facietis in tempore diei huius: quia dies propitiationis est, vt propitietur vobis Dominus Deus vester.*

CCCXXVII. SEPTIMI MENSIS DIE OPERAM NE DATO.

Leuit. 23,35 *Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus: omne opus seruile non facietis in eo.*

CCCXXVIII. EXPIATIONVM DIE OPERAM NE DATO.

Num.29,35 *Die octauo, qui est celeberrimus, omne opus seruile non facietis.*

CCCXXIX. MATERNA VERENDA NE DETEGITO.

Leuit.18,7,8 *Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies, mater tua est: non reuelabis turpitudinem eius. Turpitudinem vxoris patris tui non discooperies, turpitudo enim patris tui est.*

CCCXXX. VERENDA VXORIS PATRIS TVI NE DETEGITO.

Ibid.v.8. *Turpitudinē vxoris patris tui nō discooperies: turpitudo enim patris tui est.*

CCCXXXI. VERENDA SORORIS TVÆ NE DETEGITO.

Ibid.v.9. *Turpitudinem sororis tuæ ex patre siue ex matre, quæ domi vel foris genita est, non reuelabis.*

CCCXXXII. VERENDA FILIÆ VXORIS PATRIS TVI NE DETEGITO.

Ibid.v.11. *Turpitudinem filiæ vxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua, non reuelabis.*

CCCXXXIII. VERENDA FILIÆ FILII TVI NE DETEGITO.

Ibid.v.10. *Turpitudinem filiæ filij tui, vel neptis ex filia, non reuelabis: quia turpitudo tua est.*

CCCXXXIIII. VERENDA NEPTIS TVÆ EX FILIA NE DETEGITO.

Ibid. *Vel neptis ex filia, non reuelabis: quia turpitudo tua est.*

CCCXXXV. VERENDA FILIÆ TVÆ NE DETEGITO.

Ibid.v.17. *Turpitudinem vxoris tuæ & filiæ eius non reuelabis. Turpitudinem filiæ filij tui, vel filiæ filiæ tuæ, non reuelabis.*

CCCXXXVI. VERENDA MVLIERIS ET FILIÆ EIVS NE REVELATO.
*Turpitudinem vxoris (tuæ) & filiæ eius non reuelabis.* Leuit. 18, 17

CCCXXXVII. VERENDA MVLIERIS ET NEPTIS EIVSDEM NE D.
*Filiam filij eius non sumes.* Ibidem.

CCCXXXVIII. VERENDA MVLIERIS ET NEPTIS EIVSDEM EX FILIA N.D.
*Filiam filiæ eius non sumes.* Ibidem.

CCCXXXIX. VERENDA AMITAE NE DETEG.
*Turpitudinẽ sororis patris tui non discooperies: quia caro est patris tui.* Ibid. v. 12.

CCCXL. VERENDA MATERTERAE NE DETEG.
*Turpitudinẽ sororis matris tuæ non reuelabis, eo quòd caro sit matris tuæ.* Ibid. v. 13.

CCCXLI. VERENDA VXORIS PATRVI TVI NE DETEG.
*Ne accedas ad vxorem eius quæ tibi affinitate coniungitur.* Ibid. 13, 14.

CCCXLII. VERENDA NVRVS TVAE NE DETEG.
*Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis, quia vxor filij tui est: nec discooperies ignominiam eius.* Ibid. v. 15.

CCCXLIII. VERENDA VXORIS FRATRIS TVI NON DISCOOP.
*Turpitudinẽ vxoris fratris tui nõ reuelabis: quia turpitudo fratris tui est.* Ibid. v. 16.

CCCXLIIII. VXORIS TVAE VIVENTIS NE SOROREM HABETO.
*Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius, adhuc illa viuente.* Ibid. v. 18.

CCCXLV. FEMINAM EX MENSIB. NON RITE LOTAM NE TANGITO.
*Ad mulierẽ quæ patitur menstrua nõ accedes; nec reuelabis fœditatẽ eius.* Ibid. v. 19.

CCCXLVI. CVM ALTERIVS VXORE REM NE HABETO.
*Cũ vxore proximi tui non coibis, nec seminis commistione maculaberis.* Ibid. v. 20.

CCCXLVII. CVM BRVTO NE REM HABETO.
*Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo.* Ibid. v. 23.

CCCXLVIII. MVLIER CVM BRVTO NE MISCETOR.
*Mulier non succumbet iumento, nec miscebitur ei: quia scelus est.* Ibidem.

CCCXLIX. CVM MARE MAS NE CONCVMBITO.
*Cum masculo non commiscearis coitu femineo, quia abominatio est.* Ibid. v. 22

CCCL. VERENDA PATERNA NE DETEGITO.
*Turpitudinem patris tui ne reuelato.* Ibid. v. 7.

CCCLI. VERENDA PATRVI NE DETEGITO.
*Turpitudinem patrui tui non reuelabis.* Ibid v. 14.

CCCLII. CONSANGVINITATIS AVT AFFINITATIS SANCTITATEM NVLLO ACCESSV TENTATO.
*Omnis homo ad proximum sanguinis sui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius.* Ibid. v. 6.

CCCLIII. OPERAM SPVRIIS GIGNENDIS NE DATO.
*Non ingredietur* MAMZER *in Ecclesiã Dñi vsq; ad decimã generationẽ.* Deut. 23, 2.

CCCLIIII. MVLIEREM NON NISI LEGITIME ADITO.
*Non erit meretrix de filiabus Israel.* Ibid. v. 17.

CCCLV. REPVDIATAM TIBI, ALII QVE DVCTAM, QVAMVIS DEINDE VACVAM, PRIOR VIR NE RVRSVM DVCITO.
*Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudij, & dabit in* Deut. 24, 1, 2, 3, 4.

*manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumq́; egressa alterum maritum duxerit; & ille quoque oderit eam, dederitq́; ei libellum repudij, & dimiserit de domo sua; vel certè mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in vxorē, quia polluta est, & abominabilis facta est corā Domino: ne peccare facias terram tuā, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam.*

CCCLVI. VIDVA MARITI DEMORTVI PROPINQVIS DESTINATA NVLLI ALII ANTENVBITO.

Deut. 25,5. *Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri.*

CCCLVII. CONIVGII CVM COMPRESSA SIBI MVLIERE DAMNATO REPVDII IVS NE ESTO.

Ibid. 22. v. 28, 29. *Si inuenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad iudicium venerit: dabit qui dormiuit cum ea, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eā vxorem, quia humiliauit illam: non poterit dimittere eam cūctis diebus vitæ suæ.*

CCCLVIII. VXOREM QVAM QVIS CALVMNIATVS FVERIT, POST CALVMNIAE IVDICIVM REPVDIANDI IVS NE ESTO.

Ibid. 22, v. 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19. *Si duxerit vir vxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritq́; occasiones quibus dimittat eam, obijciens ei nomen pessimum, & dixerit vxorem hanc accepi, & ingressus ad eam, non inueni virginem: tollent eam pater & mater eius, & ferent secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis qui in porta sunt: & dicet pater, Filiam meam dedi huic vxorem: quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, vt dicat, Non inueni filiam tuam virginem: & ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. expandent vestimentum coram senioribus ciuitatis: apprehendentq́; senes vrbis illius virum, & verberabunt illum; condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ, quoniam diffamauit nomen pessimum super virginē Israel: habebitq́; eam vxorem, & non poterit dimittere omnibus diebus vitæ suæ.*

CCCLIX. EVNVCHVS FACTVS VXOREM ISRAELITIDEM NE ADITO.

Deut. 23. 1. *Non intrabit eunuchus attritis vel amputatis testiculis, & absciſſo veretro, ecclesiam Domini.*

CCCLX. ANIMAL NVLLVM CASTRATO.

Leuit. 22, 24. *Omne animal quod vel contritis, vel tunsis, vel sectis ablatisq́; testiculis est, non offeretis Domino, & in terra vestra hoc omnino ne faciatis.*

CCCLXI. ALIENIGENAM TIBI NE REGEM PRÆFIGITO.

Deut. 17, 15. *Non poteris alterius gentis Regem facere, qui non sit frater tuus.*

CCCLXII. REX EQVOS PLVRES NE SIBI COMPARATO.

Ibid. v. 16. *Equitatus numero subleuatus.*

CCCLXIII. REX VXORVM NVMERVM NE AVGETO.

Ibid. v. 17. *Non habebit vxores plurimas.*

CCCLXIIII. REX SIBI AVRI ARGENTIVE VIM NE PARATO.

Ibidem. *Nec argenti & auri immensa pondera.*

LIBER

# LIBER QVINTVS.

## De Legis promulgatione, exceptione, fœdere: de duplici promissorum ratione: tum de minis & maledicto.

### Caput I.



*Igitur sexcentis ac tredecim partibus, hoc est, membris & articulis, vniuersa pietatis, honestatis, & officij ratio cōprehensa, integrum iuris humanæ vitæ obseruandi genus conflatum, atque ex antiquo debito in sua nomina reuocatum fuit; instauratore doctrinæ Deo, Moyse verò Vate ac Scriba in codicem referente, eodemq; singula promulgante & exponente. Namque hæc eadem omnia hominum generi, dum illa diuinæ similitudinis imago integra maneret ab initio, & cognita, & in suarum partium definitionem, studium, exercitationemq; data, ipsæ per se tum iussorum, tum etiam vetitorum formæ ipsum recti & praui discrimen, quod cōmuni sensu non carentibus diiudicatur, docere possunt apertè; ideoq; idem hoc maximus ille hominum præceptor & institutor Iesus Dei Filius indicat, cùm ait: Quis autem vestrûm habens seruum arantem aut pascentem, qui regresso* Lucæ 17. *de agro dicat illi, Statim transi, recumbe: & non dicit ei, Para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes? Numquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat? Non puto. Sic & vos cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.*

*Nihilominus tamen interim dum homo illam tantùm imaginem ac similitudinem Adæ patris tueretur, dum minor hominis pars viuens valensq; vigeret, hanc huius legis obseruandæ & colendæ exercitationem & curam ex diuina benignitate doctus tenere & perpetuam subire ac tueri debuit; &, quod ad opus attinet, potuit; atque hoc pacto vitam suam animalem authori probare suo, & probatæ præmium obtinere, nec illud quidem simplici, verùm duplici genere definitum, altero quod ad eandem animalem vitam faceret, maximasq; commoditates præberet, idq; proximum promissum ac præstitum fuit huius legis obseruandæ ac diligenter colendæ præmium, quod & eam ipsam inferiorem hominis portionem, hoc est, femineam partem in hoc mundo, quantum rerum ac locorum ratio & naturæ status ferre poterat, bearet, earum rerum copia & affluentia, sine quibus mortalis vita hæc commodè propagari nequit; cuiusmodi sunt victus, cultus, & aëris, cœli ac soli salubritas, & harum rerum conseruatrix publica ac priuata securitas, periculorumq;*

*lorumq́; externorum contemptio: namque hæc summa est beneficiorum quæ externam hanc, & communem hominum naturæ legem ritè colentibus, aptè promissa fuerunt, quam suo loco opportunè posthac, subductis enumeratisq́; rationibus & partibus, faciemus.*

*Alterum verò præmij genus, quod ad hominis felicitatem veram facit, caput ipsum primarium; quod ad legis verò externæ obseruantiam, secundarium dicendum: quo diuina illa benedictio, quæ Abrahami posteritati destinata fuerat, arcanis promissis denunciata ac proposita est, non omnibus iis qui legis externum cultum tantummodo seruarent, sed iis qui Abrahami fidem imitati, & legem colerent pariter, & illud ipsum mysterium ardenter optarent; atque ab eodem qui pollicitus fuerat Deo studiosè poscerent, & attentè exspectarent. Quo in mysterio legis non externo tantùm opere, sed interno quoque studio & cultu præstandæ facultas & copia, atque ex his oritura cælestis regni hæreditas, continebantur. Atque hanc ad vtrumque præmij genus facientem distinctionem cognoscere ac tenere expedierit iis, quibus nec in sacris scriptis hallucinari, nec in ea, quæ ad felicitatem ducit, via errare, cura studiumq́; fuerit. Huius quippe vel ignoratio, vel obliuio, aut negligentia & contemptio, Israelitarum gentē ab æterni regni promisso atque hæreditate excepit, exceptumq́; exclusit. Contrà verò eiusdem distinctionis notitia & obseruantia nationes gentium diuina misericordia ad regnum vocatas & obsequentes admisit. S. S. E. Quid ergo dicemus? Quòd*
Rom.9. *» Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam*
*» autem quæ ex fide est. Israel verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ*
*» non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. offenderunt*
*» enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem of-*
*» fensionis, & petram scandali: & omnis qui credit in eo, non confundetur.*
*Hunc offensionis lapidem semen illud sacrosanctum intelligimus esse, cuius virtute ac benedictione familiæ terræ omnes benedictū iri, responsum fuerat. Namque vt lex propter carnis eorum, quibus data siue repetita est, infirmitudinem neminem ad perfectum deducere potuit.* Ibid.8. *Quod verò impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Verbum missurus proprium sibi perficiendum receperat. Interea tamen dum ille venturus exspectabatur, & legem hanc à Deo, Moyse interprete, promulgatam, eo, quo obseruari liceret, pacto obseruatam & cultam oportuit, & quidquid ex illius summa per humani status imbecillitatem desideraretur, hoc est, præceptorum interna spiritualisq́; obseruantia ac præstantia, ad diuinæ liberalitatis promissum suo tempore expediendum ac præstandum, fide ac spe firmissima reuocaretur; cum cognitione proprij defectus ex illa prima hominum calamitate relicti; non quidem legis ipsius defectus, quippe quæ, quod ad externum cultum attinet, integra, vera, perfecta & sancta suo in iure ac foro erat; quod verò ad interiorem perfectionem facit, eadem ipsa omnem continebat rationem earum rerum quas etiam spiritu præstare oportuerat eos qui ad*

maxi

maximum illud summæ felicitatis contenderent præmium. Eadem quoque vnumquemque ex filiis Adami ab illa, quam ipsa exigeret, perfectione atque sanctitudine procul abesse indicans, arguebat. S. S. E. Itaque lex sancta, & Rom.7.12.
" mandatum sanctum, & iustum, & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem: vt fiat supra modum peccans peccatũ per mandatum: Scimus enim quòd lex spiritualis est: ego autem carnalis sum.

Et quidem nullam legis partem, quamuis minimam, mysterio vacare, nullam otiosam manémve rerum esse credere, latoris authoritati, & eorũ, quorum causa illa tum iussa, tum vetita conscripta fuerant, vtilitati, atque vtriusque partis rationibus consentaneum est: tametsi quædam in his offenduntur, quorum cùm significatio aperta non fuerit, figura, speciésque ipsa mirabilis apparet, omnium tamen magnam grauitatem, maximamq́ authoritatem, atque ex consequenti, certam probandamq́ obseruantiam haberi oportuit. S. S. E. Omnia mandata tua veritas. &, Quomodo dilexi testimonia tua Domine? tota die meditatio mea est. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in æternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi: quia mandata tua exquisiui. Atque idem Vates, vbi eadem statuta præceptaq́ omnia studiosè meditatus cognouisset, in hunc modum decantare solet. Lex Domini immaculata, conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ Domini rectæ, lætificãtes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Timor Domini sanctus, permanẽs in seculum seculi: iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum: & dulciora super mel & fauum. Etenim seruus tuus custodit ea, & in custodiendis illis retributio multa. Non solùm magnam retributionem iis, qui diuina mandata præstiterint, paratam Vates ait, sed multam siue multiplicem: namq́ hæc verbi, RAB, ab illo pronunciati significatio est: quo vtrumque præmiorum genus indicatum fuit: alterum quidem externorum, atque ad hanc mortalem vitam opportunorum beneficiorum, propter cultam externisq́ officiis & sacrificiis exercitam legem eo modo quo præstare ab homine posse Deus nouerat, præstandamq́ postulabat: Alterum verò virtutis ac benignitatis diuinæ, id demum effecturæ, vt quæ nec prorsus caueri, nec planè præstari poterant iussa ac vetita, Spiritualia, inquam (namque hoc verbum deinceps vsurpari in loco expediens fuerit) quæ animalis homo ne sensu quidem & cogitatione capere valet, prioribus condonatis delictis, demum conficerentur ac præstarentur, atque ex legis spiritus vitæ facultate & vsu externæ legis nominibus abundè fieret satis. Ita adeò vtriusque generis cùm externorum, tum internorum beneficiorum, iis qui ex fide firma promittentis atque imperantis operam legi nauarent faciendam copiam pulcherrimo carmine, vt sibi optatam, canebat Vates: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda Psal.18.

Marginal references: Psal.118. (beside "Omnia mandata tua veritas"); Psal.18. (beside "Lex Domini immaculata").

„ *me Domine: & ab alienis parce seruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc*
„ *immaculatus ero: & mundabor à delicto maximo. Et erit, vt complaceant*
„ *eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Hæc verò diuina efficientia sibi concessum ac donatum iri ipso carminis extremo ver-*
„ *su declarabat: Dominus adiutor meus, & susceptor meus.*

# De seueritate, concinnitate, ac sanctimonia legis externæ.

## Capvt II.

SPIRITVALIS *legis maiestatem admirandam (quia nec huius quod nunc agimus fori, nec nostri nunc instituti, immo neque ingenij est indicare) in proprium, cùm Deus concesserit, reseruamus locum: atque eius, quam externam in tabulas codicémque relatam nouimus, rationes de integro repetimus.*

*Externum legis cultum homini rationis ac sermonis compoti imperatum, naturæ documēto, ac præcipuè diuino monitu cognouimus. Nulla enim adeò barbara, adeò ab humanitatis sensu aliena est natio, quæ non aliquam eorum quæ cùm in priuata, tum in publica vitæ ratione agenda fuerint, viam ac doctrinam sibi instituat; & quo doctior, ac disciplinis melioribus instructior gens fuerit, eo meliora atque cultiora vitæ præcepta institutaq́; sibi parare studet. Legum autem summa ratio ad duo prima referri in genere solet capita, vnum eorum, quæ vnumquemque mortalem secum agere, meditari, & exercere deceat, quod ad vtramque sui partem, id est, animum & corpus, excolendam faciat: quamquam ipsum seorsum agere, & à cæterorū hominum communicatione & societate semotum viuere res aliqua impulerit, vel vis coëgerit. Alterum verò caput, rationes actionésque eas postulat, quæ hominem erga eos, quibus cum, vel sub quibus agit, cognoscere, tenere, atque efficere oporteat. Namque hominem non sibi vni natum, omninóque solum & singularem esse decere, iam ex prima naturæ illius origine intelleximus, do-*
Genes. 2. *cente asseuerantéque Deo. Non est bonum hominem esse solum: quamobrem suas cognoscere partes operæpretium ducimus, quibus partibus cùm apud se ipsum, tum apud alios defungi, ipsius naturæ ac personæ consequens consentaneúmque sit.*

*Vt verò certo ordine atque decente seriè vitæ actionumq́; ratio ineatur, caput illud, quod animaduersionem continet eorum officiorum quibus erga alios vacandū sit, in duo partimur nomina, eius videlicet, quod hominis naturam superat, atque eius quod eundem in naturæ dignitate locum obtinet. vltrà hominis animalis & mortalis naturam nulla alia superior, nisi immortalis, ac vitæ melioris compos, quàm animal est, credi, cogitaríve potest. Hanc igitur primùm quærere & cognoscere, & quo nam pacto, quibus officiis,*

fectis, quibúsque actionibus coli oporteat, diligenter curari, rationi consentaneum est. Namque ex huius notitia & recto cultu, qua ratione cùm se ipsum, tum verò cætera vel sibi paria vel minora inferioraq́; accipere tractaríque conueniat, nouisse, in promptu fuerit. Quamobrem quicunque boni ac sapientes legum institutores celebriores fuêre, à religionis rationibus initium fecisse obseruantur: in quibus de ea natura, quam immortalem atque homine maiorem ducebant, quámque diuinitatis aut numinis prærogatiua frui credebant, atque de pietate ac iustitia, sanctitate ac religione, quæ supremæ naturæ huic tribuenda esset, primùm disseruere. Deindeverò de priuatis singulorum hominū moribus, tertio autem loco de communi inter se hominum societate leges ac decreta fecerunt. Hunc autem locum, pro personarum cùm priuatarum, tum publicarum diuersitate ac ratione, longè latéque patentem tractarunt. Atque institutionum ac sanctionum omnium, quibus humana vita informari, atque hominum societas coniunctioq́; rectè seruari posŝit, hæ communes habentur summæ, quas formas nullis humanæ sapientiæ professoribus, nullis legum cōditoribus pleniùs ac meliùs quàm Deo ipsi expressas fuisse, nemo inficias ire poteſt, qui modò Deū & homines posse adloqui, & allocutum fuisse intellexerit. Qua de re in huius operis præfatione, ac primo vestibulo nos, vt videmur, copiosè ac dilucidè satis disseruimus.

Igitur primam huius operis atque supremam partem institutionibus ac decretis iis, quæ de diuina natura, deq́; illius colendæ ratione, modo, ritu, & pompa, atque ceremoniarum iure facta sunt, comprehensam esse Deus voluit: eam verò, quamquam rebus corporeis, aliisq́; ad sensum & ad tactum pertinentibus, exhiberi iusŝit; propriis tamen subiunctis causis ac significationibus non continuò apertè declarauit, sed vno tantùm monitu mysteriis omnia plena esse indicauit, iisdémque non vulgo propalādis, verùm suo tempore ac loco explicandis; quæ tamen iis qui aŝsiduam & attentam pietati operam darent, singulari magisterio insinuarentur, quoad illud è diuino consilio præfixum adesset seculum, quo cælestium arcanorum diuitiæ ad feliciŝsimum verè piorum vsum explicatæ proponerentur. Namque ante illud tempus, quamquam hominum genus, accepta iam lege, Israel vulgo appellari poterat; nondum tamen virtutem illam admirandam nomine Israelis adumbratam obtinebat, sed inferius illud atque humilius nomen IAGHACOB tantummodo tuebatur; cum magna tamen fide atque spe promotionis amplificationisq́; suæ, cumq́; perpetuo tanti doni ac beneficij voto. Quam rem oratio prexq́; illa, à Iacobo studiosè facta, arcanè significabat: Vouit etiam votum, Genesis 28.
dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induēdum: »
reuersusq́; fuero prospere ad domū patris mei, erit mihi Dominus in Deum: »
& lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei. Cunctorum quæ »
dederis mihi, decimas offeram tibi. Huiusmodi itaque personam hominum genus repræsentabat, quàm diu sub illis imaginibus, vmbris, figuris, &

*spectris, somniisq́ ageret: quorum argumentum somnium illud à Iacobo, fratrem fugiente, visum continebat. Attamen eo tempore quo res conuertende, Iacobusq́ ille ab exsilio ac fuga reducendus esset; tum verò & nomen illi imponendum parabatur nouum, & aperta maximorum mysteriorum notitia*
Esa. 45, 3. *ac disciplina communicanda promittebatur: Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum: vt scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum Deus Israel. Propter seruum meum Iaghacob, & Israel electum meum, & vocaui te nomine tuo: assimilaui te, & non cognouisti me. Ego Dominus, & non est amplius: & vltrà me non est Deus: accinxi te, & non cognouisti me. Vt sciant ij qui ab ortu solis, & qui ab occidente, quoniam absque me non est. Igitur quæ de notitia Dei, quæ de cultu, quæ de maximorum à cælo donorum & beneficiorum in homines exspectatione, quæ de huius diuini propositi ratione explicanda & conficienda prouidentissimo consilio decreta fuerant; ea legis ac doctrinæ pars, quæ in religionum sacrorumq́ procuratione consumitur, significantissimis imaginibus exhibebat, & assidua tum meditatione tum cogitatione teneri ac tractari iubebat. Nihil verò in toto hoc genere otiosum, nihil præter rem, nihil ad inanem aut vulgarē occupationem, ad ambitiosi ornamenti pompam aut apparatum, institutum imperatúmve fuerat. Quin potiùs magnam solidamq́ significationis virtutem sub illo rudiori ac sensibus peruio spectaculo occultabant. Neque verò interim dum illa cognitionum & actionū durauit ætas, frustra aut sine vsu aliquo eiusmodi cùm studiis, tum exercitationibus cura operaq́ impendebatur sua: namque expiationum saltem externarum efficientia rebus illis tum tribuebatur non ex vi aut efficacitate naturæ ipsarum, sed ex fide virtutis illius diuinæ, cuius vera ac propria expiandi, renouandi, & amplificandi authoritas est, hoc est, Verbi Dei olim omnia perfecturi, & interim obsequium exigentis, & pie-*
Hebr. 9, 10. *tatis culturam eo modo, quo adhiberi tunc liquebat, postulantis. S.S.E. His verò ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes. In secundo autē semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offerret pro sua & populi ignorãtia: hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. Quæ parabola est temporis instantis, iuxta quam munera & hostiæ offeruntur: quæ non possunt iuxta cōscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibis & in potibus, & iustitiis carnis, vsque ad tempus correctionis impositis.*

*A diuinarum verò constitutione rerum proxima ea occurrit, quæ priuatam cuiusque hominis vitam, quatenus homo est, à brutisq́ differt, quemadmodū institui coliq́ oporteat, præcipit. Namque hæc, antequam quid Deus esset, quid à Deo humana sortita esset natūra, nosceretur: non potuit rectè, vti decuit, commonstrari. Cuius generis actiones omnes integritatis & continentiæ nominibus definiuntur. Atque hanc partem ea iussa, instituta, decreta, vetitaq́ docent, quibus de amore ac dilectione erga Deum, de ciborum*

ac

ac potuum delectu arcana significatione tenendo, de cultu & habitu, déque huiusmodi rebus & curis, quæ vnumquemque priuatè spectare videntur.

Tertiam in humanis actionibus circuli partem ea vendicāt omnia, quæ aduersus omnium cæterorum hominum personas atque res vnumquemque pro loci sui ratione atq; honestate obseruare ac præstare decorum ac dignum fuerit; siue cæteri, cum quibus agendum erit, necessarij eiusdem familiæ affinitate coniuncti; siue eiusdem Reipub. conciues, siue alienæ ciues fuerint. Quam partem omnem abstinentia, modestia, & innocentia atque iustitia vsurpant, quarum virtutum summam vnicum officij complectitur verbum; cuius partis variæ ac multiplicia membra articulatim diuisa, disertissimeq; disposita, sacri illius voluminis monumentis exhibentur, in quo à pietate erga parentes, & obseruantia erga principes, ad clementiam vsque erga seruos, omnibus personis cõuenientia præcepta redduntur: munerum quoque publicorum leges quæ prouidentiam, quæq; iustitiam spectant, sancitæ & stabilitæ promulgantur. Hæc autem cùm ita decreta, statuta, traditaq; fuerint, præter ingentem dignitatem authoritatemq; quam habent, quantum ex legislatoris Dei maiestate est, summam quoque vtilitatem & nullarum humanarum legum pulchritudini comparandum decus, iis gentibus ac rebus publicis afferre possunt, quæ vitæ rerumq; suarum rationes ad huiusmodi normam disciplinæ dirigere studuerint. S. S. E. Scimus enim quòd lex bona est, si quis ea 1 Tim. 1, 8.
legitimè vtatur. Atque huius legis vltra cæteras omnes, quæ in orbe terrarũ " præcipua commendatione dignæ essent, excellentem præstantiam, nationum omnium confeßione ac testimonio defensum probatumq; iri, Deus ipse confirmabat. Et nunc Israel audi præcepta & iudicia quæ ego doceo te: vt facies Deut. 4, 1.
ea viuas, & ingrediens poßideas terram quam Dominus Deus patrũ vestrorum daturus est vobis. Non addetis ad verbũ quod vobis loquor, nec au- " feretis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis. " Oculi vestri viderunt omnia quæ fecit Dominus contra Baghalphegor, quo- " modo contriuerit omnes cultores eius de medio vestri. Vos autem qui adhæ- " retis Domino Deo vestro, viuitis vniuersi vsque in præsentem diem. Scitis " quòd docuerim vos præcepta atque iustitias, sicut mandauit mihi Dominus " Deus meus: sic facietis in terra ea quam possessuri estis: & obseruabitis, & " implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis, " vt audientes vniuersi præcepta hæc, dicant, En populus sapiens & intelligẽs, " gens magna. Nec enim est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropin- " quantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ " est enim alia gens sic inclyta, vt habeat ceremonias, iustaq; iudicia, & vni- " uersam legem, quam ego propenam hodie ante oculos vestros? Custodi igitur " temetipsum, & animam tuam solicitè. "

Quamquam verò Deus hominibus à durißima seruitute liberatis quolibet modo vti potuerit, non tamen vt coactis mancipiis, verùm vt manu assertis ac libertate donatis, maximorumq; beneficiorum cumulo amplificatis,

vit

*vti voluit, videlicet ciuitate quadam ex illis in terrarum orbe instituta, & rebus ac personis, cùm priuatis tum publicis, in certos ordines decentissimè redactis, legibus atque decretis faciendis, quorum omnium authorem, censorem, ac dictatorem perpetuum, vindicémque se ipse præberet, quo gentis atque ciuitatis mortalemq; degentis vitam statu nihil beatius contingere in terris mortalem vitam degentibus hominibus potuit, nec in votum etiã quicquam præstantius venire. Nihilominus tamen, vt nemo coactionem aut violentiam excusare aut excipere vnquam posset, comitiis habitis per iustum ac legitimũ ministrum, voluntate, fide, & obsequio tam plebis quàm procerum rogatione facta, latam ac promulgatam voluit; promisso cum primis facto ac recepto non modò optimi, iustissimi, & clementissimi imperij, sed loci etiam ad gentis habitationem oportuni, & omnibus, quæ ad vitam suauiter & quietè traducendam expetuntur, commodis instructi. illaq; rogatio huiusmodi fuit:*

Exodi 19, 3. » *Moyses autem ascendit ad Deum: vocauitq; eum Dominus*
» *de monte, & ait: Hæc dices domui Iaghacob, & annunciabis filiis Israel:*
» *Vos ipsi vidistis quæ fecerim Aegyptiis, quomodo portauerim vos super alas*
» *aquilarum, & assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, & custo-*
» *dieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est*
» *enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.*

*Comitia igitur facta, conciliumq; maiorum ac senatorum (per quos ad populum de rogatione referri oportuerat) tertio à libertatis publicæ mense coactum est.*

Ibidem. *Venit Moyses, & conuocatis maioribus natu populi, exposuit om-*
» *nes sermones quos mandauerat Dominus. Respondítq; omnis populus simul:*
» CVNCTA QVÆ LOCVTVS EST DOMINVS, FACIEMVS.

*Ne qua verò vnquam vel publicè, vel priuatè exsistere posset exceptio simulationis ac fallaciæ à ministro confictæ in allocutione & sermone Dei, veritatem constantiamq; suam palàm populo probatam Deus voluit, videlicet sermone primò, qui legum ac iuris contineret summam, habito, voce ex superiore loco demissa, orationeq; facta, quæ numinis testaretur præsentiam & consiliũ, voluntatem atq; authoritatem declararet.*

Exodi 19, 8 *Cumq; retulisset Moyses*
» *verba populi ad Dominum, ait ei Dominus: Iam nunc veniam ad te in cali-*
» *gine nubis, vt audiat me populus loquentẽ ad te, & credat tibi in perpetuum.*

*Id quod ita peractũ esse iam antea indicauimus, vbi de decem primorum diuini iuris elementorum doctrina & promulgatione disserebamus. Verumenimuero quòd illa allocuti numinis maiestas maior ac terribilior esset, quàm vt hominum sensu & animis intrepidè spectari audiríve posset; nec iam deinceps, quod ad faciendam numinis præsentis fidem pertineret, quicquam præterea requireretur, vt responso potiùs per vatem accepto & relato deinceps ageretur, postulatum primùm, deinde pactum, conuentum, atq; prastitum fuit. S.S.E.*

Ibid 20, 18 *Cunctus autem populus videbat voces & lampades, &*
» *sonitum buccinæ, montemq; fumantem: & perterriti ac pauore concussi,*
» *steterunt procul, dicẽtes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis*

nobis Dominus, ne fortè moriamur. Et ait Moyses ad populum: Nolite ti- «
mere: vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & «
non peccaretis. Stetitq; populus de longè, Moyses autem accessit ad caliginem «
in qua erat Deus. Dixit præterea Dominus ad Moysen: Hæc dices filiis Is- «
rael: Vos vidistis quòd de cælo locutus sim vobis. Nec multo antè quàm hæc «
gererentur, ministri authoritatem colloquiis & responsis vltro citroq; datis
firmatam & amplificatam populus apertè cognouerat. Totus autem mons Exodi 19,18
Sinai fumabat: eo quòd descendisset Dominus Deus super eum in igne, «
& adscenderet fumus ex eo quasi de fornace: eratq; omnis mons terribilis. «
Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixiùs tendebatur: «
Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei. Ex quo factum est vt populus, «
tantam perhorrescens maiestatem, ad conditionem de interpretis munere
& officio à Moyse suscipiendo, vltro etiam descenderit. Deus verò clemen-
tiæ causa eadem conditione vsus, locum atque tempora modumq; declaraue-
rit, quo se Moysi legum atque institutorum præceptorumq; capita omnia di-
ctantem ostenderet. Locum quidem certum veluti regiam aulam in medio
gentis sibi ad eam rem, ad publicosq; conuentus, atque ad ministeria erga
regem exercenda, beneficiaq; regia ac diuina postulanda, sibi legitimis atque
opportunis partibus construendum præscripsit: tempus verò oraculi quærẽdi
ac referendi ipso epularum diuinarum, hoc est, sacrificiorũ articulo, modum
præterea & habitum quo se Deus præsentem probaret, nubis fundendæ den-
situdinem circum aulam illam, quam tabernaculum Latinè dicimus, regiam
dicere quoque possumus: id enim nomen MISCHAN rectè etiam admittit.
Atque de iis, quæ indicamus, ita alio alioq; in capite legimus: Duos quoque Exodi 25,18
Cherubim aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi. Cherub «
vnus sit in latere vno, & alter in altero. Vtrumque latus propitiatorij tegãt «
expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantq; se mutuò versis vul- «
tibus in propitiatorium quo operienda est arca, in qua pones testimonium «
quod dabo tibi. Inde præcipiam, & loquar ad te supra propitiatorium, ac de «
medio duorum Cherubim, qui erunt super arcã testimonij, cuncta quæ man- «
dabo per te filiis Israel. & rursus: Alterum verò agnum offeres ad vespe- Ibid. 29,41.
rum iuxta ritum matutinæ oblationis, & iuxta ea quæ diximus in odorem «
suauitatis. sacrificium est Domino, oblatione perpetua in omnes generatio- «
nes vestras, ad ostium tabernaculi testimonij coràm Domino, vbi cõstituam «
vt loquar ad te: ibiq; præcipiam filiis Israel. Id quod ita fieri cœptum, ac de- «
inceps porrò factitatum intelligimus, ab eo die, quo primùm sacra illa regia
initiata ac dedicata fuit. Postquam omnia perfecta sunt, operuit nubes ta- Ibid. 40,32
bernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud. Nec poterat Moy- «
ses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maiestate Domini co- «
ruscante, quia cuncta nubes operuerat. Si quando nubes tabernaculum dese- «
rebat, proficiscebantur filij Israel per turmas suas: si pendebat desuper, ma- «
nebant in eodem loco. Nubes quippe Domini incumbebat per diem taberna- «

» culo, & ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israel per cunctas mansiones suas. Vocauit autem Moysen, & locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonij, dicens: Loquere filiis Israel, & dices ad eos, Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino; & cætera, quæ plurima illo in loco diuino ministro referuntur dictata, quæq; non suo, sed planè diuino consilio ac mandato idem ipse adscribit. Ne obliuiscaris verborum quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ: docebis ea filios ac nepotes tuos, diem in quo stetisti coram Domino Deo tuo in Horeb, quando Dominus locutus est mihi, dicens: Congrega ad me populum, vt audiant sermones meos, & discant timere me omni tẽpore quo viuunt in terra, doceantq; filios suos. Et accessistis ad radices montis qui ardebat vsque ad cælum: erantq; in eo tenebræ, & nubes, & caligo. Locutusq; est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum eius audistis, & formam penitus nõ vidistis. Et ostendit vobis pactum suum quod præcepit vt faceretis, & decem verba quæ scripsit in duabus tabulis lapideis. Mihiq; mandauit in illo tempore, vt docerem vos ceremonias & iudicia quæ facere deberetis in terra quã possessuri estis: custodite igitur solicitè animas vestras.

Leuit. 1, 1.

Deut. 4, 9.

# De fœderis pactionibus & conditionibus.

## CAPVT III.



ITTAQVE legibus & institutis viuendi latis, ac disciplina data, à populo sanctiundo, fœdere æquis conditionibus transactum est; idq; per interpretem quidem Moysen, legis in ipsarum fidelem scribam, nuncium verò Pontificem, qui vtrasque partes ageret, Dei videlicet atque hominum. Pontificem autem ipsum vtrique parti familiarem esse oportuit: vt qui vtriusque procurandas res ex animo & studio suscepturus esset. Atqui hominibus familiarem ipsa naturæ communio effecerat; quippe cùm homo ipse ex hominibus assumptus, humani nihil à se alienum duceret. Vt verò idem Deo etiam propior & familiarior euaderet, hominéq; sublimiorem quoque gereret personam, certi ritus diuina sapientia præscripti, atque aptè initi & expediti, præstitere; non ex rerum ipsarum, quibus ij actitarentur, natura aut virtute, verùm ex diuini verbi ac mãdati efficacitate, atque adeò ex arcana illorum rituum significatione maius aliquid & excellentius ad postera secula portendente, & sacerdotem alium longè præstantissimum indicante, cuius authoritate summa, eadémq; propria, quod illis temporibus absolui non potuerat, tandem perficiendum esset. Verùm prout ætas illa ferebat, in qua ignea lex, terrore animis hominum iniecto, legislator adhuc inter fulgura, tonitrua, fumum, caliginem, & nubem sese tremendum magis quàm conspiciendum præbebat; nuncium huiusmodi ac Pontificem rebus iis quæ videri, audiri, sentiriq; possent, initiatum & con-

consecratum ad illa ministeria externa satis esse idoneum Deus declarauit. Cuius consecrationis formam, vt ad institutum nostrum non adeò facientem, ex ipsis sacris voluminibus cognoscendam potiùs, quàm hoc loco referendam, duximus.

Igitur declarato atque adornato iam antea interprete Moyse, & optato creatoq; sacerdote maximo, eodemq; nuncio Dei appellato; conditiones dictæ primùm; quæ & à populo curam, studium, obsequiumq; legum cum fide exigerent, & à Deo tutelam, beneficentiam, singularemq; prouidentiam, eandemq; perpetuam pollicerentur hoc pacto, vt, dum homines legibus per hunc humanum & familiarem nuncium repetendis atque explicandis obtemperarent, Deus per alium cælis demissum nuncium, hominum rebus perpetua prospicientia & felicitate faueret: & quamquam hæc omnia in huius mortalis vitæ theatro edita spectarentur, tamen & imaginem referrent, siue vmbram æternorum bonorum, & horum etiam spem alerent, exspectationemq; promouerent. Conditionum autẽ, quibus vtrimque transactum fuit, illa summa sunt capita. Ecce ego mittam Angelum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem præparaui. Obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet cùm peccaueris, & est nomen meum in illo. Quòd si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Præcedétque te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pheresæum, Chananæúmque, & Heuæum, & Iebusæum, quos ego conteram. Non adorabis deos eorum, nec coles eos: non facies opera eorum, sed destrues eos, & confringes statuas eorum. Seruietisq; Domino Deo vestro, vt benedicam panibus tuis & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui. Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua: numerum dierum tuorum implebo. Terrorem meũ mittam in præcursum tuũ, & occidam omnẽ populum ad quem ingredieris: cunctorumq; inimicorũ tuorũ coram te terga vertam: emittens crabrones priùs, qui fugabunt Heuæum, & Chananæum, & Hethæum, antequam introeas. Non eiiciam eos à facie tua anno vno: ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ. Paulatim expellã eos de conspectu tuo, donec augearis, & possideas terram. Ponam autem terminos tuos à mari rubro vsque ad mare Palæsthinorum, & à deserto vsque ad fluuium: tradam in manibus vestris habitatores terræ, & eiiciam eos de conspectu vestro. Non inibis cum eis fœdus, neque cum diis eorum. Non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me, si seruieris diis eorum: quod tibi certè erit in scandalum. (Exodi 23.20)

Ante confectas leges populum rogatum superiùs retulimus, ac de colendo principe Deo consultum communi sententia consensisse. illis verò iam conscriptis & editis, ac sacerdote sacerdotiiq; authoritate constitutis, rursus de iisdem legibus, deq; vtrarumq; partium conditionibus rogatum, atque rogationi adnuentem, in fœderis communionem receptum Deus voluit: fœdus (Rogatio cõditionum, & fœderis celebritas.)

verò ipsum antiquo ritu celebratum est, mactatis hostiis, & parte vtraque ferita pecudis sanguine respersis, atque hoc ritu pactionem constante. Pacta enim ac fœdera societatū, pignore vtrimque deposito, cum partibus professis ac purè & legitimè ominatis conflabantur. Quippe fœdera eiusmodi testamentum hominis repræsentabant, cuius authoritas, vel eius, qui fecerat, morte firmabatur, vel certis obsignabatur ritibus ac signis, ex quibus, quæ sanguine fuso fiebant, grauissima habebantur: vndique enim id felix ac faustum acclamabatur, pro cuius firmitudine ac sanctitate ad mortem potiùs deuouere sese, quàm fœdere rupto vitam producere vnusquisque optare profitebatur. Atque hoc est quod Apostolus ex antiqua rerum veritate ac receptis publicè moribus doctrinæ à se explicandæ causa in exemplum produxit.

Hebr. 9, 17. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioqui nōdum valet, dum » viuit qui testatus est. Qua verò ratione, quo modo, quóque ritu rogatio posterior facta, atque illam consecuta pactio celebrata sit; ipse vtriusque partium interpres & publicus minister Moyses posteritatis memoriæ literis

Exodi 24, 1. mandauit consignatum. Moysi quoque dixit: Ascende ad Dominum tu, & » Aaron, & Nadab, & Abiu, & septuaginta senes ex Israel, & adorabitis » procul. Solusq; Moyses ascendet ad Dominum, & illi non appropinquabunt; » nec populus ascendet cū eo. Venit ergo Moyses, & narrauit plebi omnia verba » Domini, atque iudicia: respondítque omnis populus vna voce: OMNIA » VERBA DOMINI, QVÆ LOCVTVS EST, FACIEMVS. » Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini: & manè consurgens, » ædificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus » Israel. Misitq; iuuenes de filiis Israel, & obtulerunt holocausta, immolaueruntq; victimas pacificas Domino, vitulos duodecim. Tulit itaque Moyses » dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras: partem autem residuam » fudit super altare. Assumensq; volumen legis, legit audiente populo: qui dixerunt: OMNIA QVÆ LOCVTVS EST DOMINVS, FACIEMVS; ET » ERIMVS OBEDIENTES. Ille verò sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: HIC EST SANGVIS FOEDERIS QVOD PEPIGIT DOMI- » NVS VOBISCVM SVPER CVNCTIS SERMONIBVS HIS. Ascenderuntq; » Moyses & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel, & » viderunt Deum Israel, & sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & » quasi cælum cùm serenum est. Nec super eos qui procul recesserant de filiis » Israel, misit manum suam, videruntq; Deum, & comederunt, ac biberunt. » Dixit autem Dominus ad Moysen: Ascende ad me in montem, & esto ibi: » DABOQVE TIBI DVAS TABVLAS LAPIDEAS, ET LEGEM, AC MAN- » DATA QVÆ SCRIPSI, VT DOCEAS EOS. Surrexerunt Moyses, & Iosue minister eius: ascendensq; Moyses in montē Dei, senioribus ait: Expectate hîc donec reuertamur ad vos. habetis Aaron, & HVR vobiscum: si » quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos. Cumq; ascendisset Moyses, » operuit nubes montē, & habitauit gloria Domini super Sinai, tegens illum

nube

nube sex diebus: septimo autem die vocauit eum de medio caliginis. Erat au- "
tem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis in con- "
spectu filiorum Israel. Ingressusq; medium nebulæ, ascendit in montem: & "
fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Atque hæc omnia cō- "
silium propositumq; Dei legis, & institutorum fidem & sanctitatem, & mi-
nistri authoritatem spectantibus hominibus palàm ac publicè probarunt: il-
lis verò quadraginta diebus veram regni cælestis in hominum animis con-
stituendi rationem, atque huius imaginem in terris edendam, spectandam,
& obseruandam, assiduaq; meditatione recolēdam, Vates ille edoctus cogno-
uit: quam imaginem, illinc reuersus, religiosè comparandam curauit, longo
tempore in regio sacróque tentorio (quod aliàs tabernaculum dicitur) con-
struendo ac dedicando occupatus: quoad constituta in medio regia, ac duode-
cim tribubus circum ex ordine collocatis, integri terrarū orbis, Dei præsen-
tia & prouidentia gubernandi, adumbratum ad speciem exemplum positum
fuit, cuius visendum admirabile exemplū, quænam & quanta illa forent,
quæ Deus intra humanum animum efficienda parasset, cogitandum, & ex-
petendum, atque exspectandum commendaret. S. S. E. Inspice, & fac se- Exodi 25, 40. & 26. 30.
cundùm exemplar quod monstratum est tibi in monte.

## De legis promissis & veritate.

### CAPVT IIII.



QVAMQVAM quidem præcepta institutáque omnia à Deo per Moysem in volumen relata, hominum genus propter naturæ excellentiam obseruare & præstare debuerit, si modò proprium decus conseruare vellet, vt iam aliàs disserendo commonstrabamus (Cùm feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite; Serui inutiles su- "
mus: quod debuimus facere, fecimus) tamen eadem non sine magna terre- "
næ etiam beatitatis vsura iis, qui studiosè ac purè pieq; colerent, feliciter cedere, idem qui doctor instauratorq; fuit, Deus, voluit ac recepit, complura ad hanc mortalem vitam pollicitus commoda, quæ vsu fructuq; sui maiora, immo maxima illa significabant, quibus veri olim internæ legis cultores, ac sanctorum ciues domesticiq; Dei afficiendi amplificandiq; erant. Atque promissorum bonorum huiusmodi exemplum illud est: Si autem audieris vocem Deut. 28, 1.
Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius quæ ego præ- "
cipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus "
quæ versantur in terra: venientq; super te vniuersæ benedictiones istæ, & "
apprehendent te; si tamen præcepta eius audieris: Benedictus tu in ciuitate, "
& benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, "
fructusq; iumentorum tuorum, gregis armentorum tuorum, & caulæ ouium "
tuarum. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris "

» *ingrediens & egrediens. Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt ad-*
» *uersum te, corruentes in conspectu tuo: per vnam viam venient contra te, &*
» *per septem fugient à facie tua. Emittet Dominus benedictionem super cel-*
» *laria tua, & super omnia opera manuum tuarum: benedicétque tibi in ter-*
» *ra quam acceperis.*

*Hæc terrenorum commodorum summa promißi fuit iis, qui diligenter ac sedulò legem colerent, facti, in quibus, vti diximus, arcana cælestium bonorum ac beneficiorum latebat ratio, quæ demum fidem obsequiumq́ præstantibus exhibenda erant, maxima cum mutatione in melius personarum, & omnium, quæ ad vitam & felicitatem pertinēt, rerum amplificatione ex diuina*
1 Cor. 10, 11 *benignitatis efficientia, cuius causa omnia illa externa agebātur. S. S. E. Om-*
» *nia in figura contingebant illis. Atque mysterium hoc si non prorsus aper-*
Deut. 2, 9. *tum, significatum tamen Deus hoc eodem loco subiunxit:* SVSCITABIT
» TE DOMINVS SIBI IN POPVLVM SANCTVM, SICVT IVRAVIT TIBI,
» SI CVSTODIERIS MANDATA DOMINI DEI TVI, ET AMBVLAVERIS
» IN VIIS EIVS: VIDEBVNTQVE TERRARVM POPVLI QVOD NOMEN
» DOMINI INVOCATVM EST SVPER TE, ET TIMEBVNT TE. *Abun-*
» *dare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu vteri tui, & fructu iumento-*
» *rum tuorum, fructu terræ tuæ, quam iurauit Dominus patribus tuis vt da-*
» *ret tibi. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum, vt tribuat*
» *pluuiam terræ tuæ in tempore suo, benedicétque cunctis operibus manuum*
» *tuarum, & fœnerabis gentibus multis, & ipse nullum fœnus accipies. Con-*
» *stituet te Dominus in caput, & non in caudam, & eris semper suprà & non*
» *subter. Si tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi*
» *hodie, & custodieris, & feceris, ac non declinaueris ab eis, nec ad dexteram,*
» *nec ad sinistram, nec secutus fueris deos alienos, neque colueris eos.*

*Illud verò ex iis quæ commemorando recitauimus, obseruari adnotariq́ operæpretium fuerit, externam illam legis obseruantiam nec sua natura veram summamq́ felicitatem esse, nec felicitatis nomen vsquam obtinere: eandem tamen à fidelibus & piis ritè exercitam, ad summæ felicitatis exspectationem quamplurimum adiuuare, felicitatis verò illius authorem vnicum*
Rom. 9. *Deum esse. S. S. E. Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.*
Iacobi 1. *&, Omne datum optimum, & omne donum perfectū desursum est, descen-*
» *dens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicißitudinis*
» *obumbratio. Quamobrem illud à legislatore modò referebamus interiectum:*
» *Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut iurauit tibi. Id quod aliter interpretatus aliquando Israelitis & fraudi fuit maximæ, & repulsæ causam attulit. sicut Apostolorum disputationibus redarguuntur. Quoniam*
Galat. 3, 11. *autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est: quia iustus ex*
» *fide viuit: lex autē non est ex fide, sed, qui fecerit ea, viuet in illis. Vitam autem legis obseruatoribus constantem interpretantur Apostoli, quam securitas ab hostibus, & à iudiciorum externorum vltionibus tuta promittit;*

quamq́

quæmque ea, quæ huius auræ spirabilis vsuræ commoda oportunaq́; habentur,
præstare possunt: nam qui non mœchantur, qui ab homicidio ac malo dam-
nóq; inferendo abstinet, innocentiæ pretium securitatem reportat. Qui vi-
tiis temperat, valetudini consulit: denique qui sese ad pietatem colendam, ad
religionis res curandas, diuini obsequij studio rectè addicit, promissa illa ex-
terna ex promittentis liberalitate promeretur. S.S.E. Ego Dominus Deus Leuit. 18, 4
vester. custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis. ego «
Dominus. Id quod iterum atque iterum adnotandum commendatur; vtpote
cuius ignorantia aut negligētia Iudæos à salute abalienatos deterret, ac mul-
tos ex iis, qui Christianum profitentur nomen, turbatos olim hodiéq; exer-
cet, alios quidē plurimum vsque, alios verò nihil prorsus legis obseruantiæ
tribuentes, vtrosque autē doctore & interprete egentes, quamuis doctrinam
interpretationemq́; Scripturarū sacrarum professos. Vt autem boni ominis
feliciumq́; prædictionum copiosa ac secunda exempla legis obseruatoribus
legitimis proposita; sic contrà omnium infelicitatum ac miseriarum plenissi-
mæ minæ iactatæ, pericula intenta, ac formidines legis illius violatoribus &
contemptoribus hominibus opposita fuère. Quòd si audire nolueritis vocem Deut. 28, 15
Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius, & ceremonias «
quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, & «
apprehendent te. Maledictus eris in ciuitate, & maledictus in agro. Male- «
dictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ven- «
tris tui, & fructus terræ tuæ; armenta boum tuorum, & greges ouium tua- «
rum. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. Mittet Dominus «
super te famem & esuriem, & increpationem in omnia opera tua quæ tu fa- «
cies: donec conterat te, & perdat velociter, propter adinuentiones tuas pessi- «
mas in quibus reliquisti me. Adiungat tibi Dominus pestilentiam, donec «
consumat te de terra ad quam ingrederis possidendam. Percutiat te Domi- «
nus egestate, febri & frigore, ardore & æstu, & aëre corrupto ac rubigine, «
& persequatur donec pereas. Sit cælum, quod supra te est, æneum: & terra, «
quam calcas, ferrea. Det Dominus imbrem terræ tuæ puluerē, & de cælo de- «
scendat super te cinis, donec conteraris. Tradat te Dominus corruentē ante «
hostes tuos: per vnam viam egrediaris contra eos, & per septem fugias, & «
dispergaris per omnia regna terræ. sitq́; cadauer tuum in escam cunctis vo- «
latilibus cæli, & bestiis terræ, & non sit qui abigat. Percutiat te Dominus «
hulcere Aegypti, & partē corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quo- «
que & prurigine: ita vt curari nequeas. Percutiat te Dominus amentia & «
cæcitate ac furore mētis, & palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in te- «
nebris, & non dirigas vias tuas. Omniq́; tempore calumniam sustineas, & «
opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te. Vxorē accipias, & alius dor- «
miat cum ea. Domum ædifices, & non habites in ea. Plantes vineam, & «
non vindemies eam. Bos tuus immoletur coram te, & non comedas ex eo. «
Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo, & non reddatur tibi. Oues tuæ den- «
tur

» tur inimicis tuis, & non sit qui te adiuuet. Filij tui & filiæ tuæ tradantur
» alteri populo, videntibus oculis tuis, & deficientibus ad conspectum eorum
» tota die, & non sit fortitudo in manu tua. Fructus terræ tuæ, & omnes labores
» tuos comedat populus quem ignoras: & sis semper calumniam sustinens,
» & oppressus cunctis diebus, stupens ad terrorem eorum quæ videbunt oculi
» tui. Percutiat te Dominus vlcere pessimo in genibus & in suris, sanaríque
» non possis à planta pedis vsque ad verticem tuum. Ducet te Dominus, &
» Regem quem constitues super te, in Gentem quam ignoras tu, & patres tui:
» & seruies ibi diis alienis, ligno & lapidi. Et eris perditus, in prouerbium
» ac fabulam omnibus populis ad quos te introduxerit Dominus. Sementem
» multam iacies in terram, & modicum congregabis: quia locustæ deuorabunt
» omnia. Vineam plantabis, & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea
» quippiam: quia vastabitur vermibus. Oliuas habebis in omnibus terminis
» tuis, & non vngêris oleo: quia defluent, & deperibunt. Filios generabis &
» filias, & non fruêris eis: quoniam ducentur in captiuitatem. Omnes arbores
» tuas & fruges terræ tuæ rubigo consumet. Aduena qui tecum versatur in
» terra, ascendet super te, & erit sublimior: tu autem descendes, & eris inferior.
» Ipse fenerabit tibi, & tu non fenerabis ei. Ipse erit in caput, & tu eris
» in caudam. Et venient super te omnes maledictiones istæ, & persequentes
» apprehendent te, donec intereas: quia non audisti vocem Domini Dei tui,
» nec seruasti mandata eius, & ceremonias quas præcepit tibi. Et erunt in te
» signa atque prodigia, & in semine tuo vsque in sempiternum: eo quòd non
» seruieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisq́; lætitia, propter rerũ omnium
» abundantiam. Seruies inimico tuo, quem mittet tibi Dominus, in fame, &
» siti, & nuditate, & omni penuria; & ponet iugum ferreum super ceruicem
» tuam, donec te conterat. Adducet Dominus super te Gentem de longinquo,
» & de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis cum impetu,
» cuius linguam intelligere non possis; Gentem procacissimam, quæ non deferat
» seni, nec misereatur paruuli, & deuoret fructum iumentorum tuorum,
» ac fruges terræ tuæ, donec intereas; & non relinquat tibi triticum, vinum,
» oleum, armenta boum, & greges ouium, donec te disperdat, & conterat in
» cunctis vrbibus tuis, & destruantur muri tui firmi atque sublimes, in quibus
» habebas fiduciam in omni terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni
» terra tua quam dabit tibi Dominus Deus tuus: & comedes fructũ vteri
» tui, & carnes filiorum tuorum & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus
» Deus tuus, in angustia & vastitate qua opprimet te hostis tuus. Homo
» delicatus in te, & luxuriosus valde, inuidebit fratri suo, & vxori quæ
» cubat in sinu suo, ne det eis de carnibus filiorũ suorum quas comedet; eo quòd
» nihil aliud habebat in obsidione, & penuria qua vastauerint te inimici
» tui intra omnes portas tuas. Tenera mulier & delicata quæ super terram
» ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere propter mollitiem & teneritudinem
» nimiam, inuidebit viro suo qui cubat in sinu eius, super filij & filiæ

carni-

carnibus, & illuuie secundinarum quæ egrediuntur de medio feminũ eius, "
& super liberis qui eadem hora nati sunt. comedent enim eos clàm propter "
rerum omnium penuriam, in obsidione & vastitate qua opprimet te inimi- "
cus tuus intra portas tuas. Nisi custodieris & feceris omnia verba legis hu- "
ius quæ scripta sunt in hoc volumine, & timueris nomen eius gloriosum & "
terribile, hoc est, Dominum Deum tuum: augebit Dominus plagas tuas, & "
plagas seminis tui, plagas magnas & perseuerantes, infirmitates pessimas "
& perpetuas: & conuertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti, "
& adhærebunt tibi. Insuper & vniuersos languores, & plagas quæ non "
sunt scriptæ in volumine legis huius, inducet Dominus super te, donec te "
conterat: & remanebitis pauci in numero, qui priùs eratis sicut astra cæli "
præ multitudine: quoniam non audisti vocem Domini Dei tui. Et sicut antè "
lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosq́; multiplicans: sic "
lætabitur disperdens vos atque subuertens, vt auferamini de terra ad quam "
ingredieris possidendam. Disperget te Dominus in omnes populos à summi- "
tate terræ vsque ad terminos eius: & seruies ibi diis alienis, quos & tu "
ignoras & patres tui, lignis & lapidibus. In gentibus quoque illis non "
quiesces, nec erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi "
cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore: & erit "
vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ "
tuæ. Manè dices, Quis mihi det vesperum? & vespere, Quis mihi det manè? "
propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea quæ tuis vide- "
bis oculis. Reducet te Dominus classibus in Aegyptum per viam de qua di- "
xit tibi vt eam ampliùs non videres. Ibi venderis inimicis tuis in seruos & "
ancillas, & non erit qui emat. Hactenus feriti fœderis conditiones, & ob- "
temperantibus commodorum promissa, rursusq́; negligentibus & contẽpto-
ribus incommodorum, calamitatum, atque ærumnarum minæ: vt tum præ-
miorum pactionibus magis obligati homines, tum pœnarũ perterriti metu,
legẽ religiosè colerent, hoc est, officiũ facerent suum, hominesq́; sese præsta-
rent: ita tamẽ vt decoris proprij atq; diuinæ gratiæ promissorumq́; rationem
omni terrore ac metu antiquiorem ducendam cognosceret. Nam præpostera
disciplina adscribendũ est, ei, qui non ex virtutis amore, sed ex pœnæ formi-
dine peccatis careat, culpamq́; tãtùm vitare studeat. Quare probitatis ac lu-
cis amorẽ, & consequentis ex hoc præmij spem, omni aliæ cogitationi in hu-
manis actionibus antestare oportuerit. S.S.E. Considera quòd hodie propo- Deut.30,15.
suerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortẽ & malum. "
Testes inuoco hodie cælum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & "
bonum, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, "
& semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atq; obedias voci eius, "
& illi adhæreas (ipse est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum) vt "
habites in terra pro qua iurauit Dominus patribus tuis Abraham, Isaac, "
& Iacob, vt daret eam illis. "

# De instaurato fœdere.

## Caput V.



HVMANARVM *legum atque sanctionum pondera, nulla alia authoritate, nullâve ratione exactiùs quàm vsu ipso examinantur. Vsus autem pater & educator tempus est, quod suis momentis singula deducens, solidum à vano discernit, & à floribus ac foliis fructum verum atq; vtilem seiungit, & quid vitiosum quidq; integrum sit, distinguit & separat. Itaque sapientißimum temporis habetur indicium, ex quo fit vt sapientia ac prudentiæ prærogatiua senioribus defe-*
Prou. 16, 30. *ratur. S. S. E. Corona dignitatis senectus, quæ in viis iustitiæ reperietur. Legum autem & institutionum, quæ ad vitæ viam informandam & componendam conduntur, eadem quæ cæterarum actionū examinatio est. Multa enim in rebus publicis ac priuatis decreta, immo ferè omnia quæ ex ingenio consilioq; hominum profecta sunt; vbi ad temporis lancem examinata fuerint, vel inania ac leuia, vel grauia nimium deprehensa sunt, vel certè adiectionem aut detractionem sui postularunt. Atque hinc illa quotidie humani iuris immutatio, varietas etiam, in eadem Repub., vel vt minimū correctio ac temperatio frequentißima. Verùm enimuero diuina illa legum doctrina ac disciplina, præter cæteras partes quibus sapientiam exsuperat humanam, hoc etiam præstat nomine, quod nullis temporibus, nullis ætatibus, nullis rerum aut negotiorum tempestatibus corrigendam aut immutandam sese concedit: vtpote quæ ex supremæ sapientiæ consilio nata, quid hominem*
Psal. 118. *perpetuo deceat, optimè ac plenißimè perspectū teneat, ac tradat. S. S. E. Iu-
„ stitia tua, iustitia in æternum; & lex tua veritas. Est autem nunc nobis oratio ac disputatio de lege iustitiæ cùm priuatæ tum publicæ. Nam de ritibus ac sacris curandis & constituēdis alia ratio etiam admiranda ac perpetua fuerit, dummodo arcanè, vt ipsa postulat, consideretur. Igitur factarum atque editarum à se legum examinationi ac probationi, & animaduersioni eius, qui ex illarum obseruantia percipi posset, vsus, quadraginta annorum tēpus concessit Deus, quod satis idoneum spatium, amplumq; fuit ad obseruationis vel neglectionis consilia cunctis ponderāda, maximè in loco commoditatum omnium quæ ad vitam expetuntur egentißimo, rursusq; incommodorum plurimorum refertißimo, nimirum in vastißima Arabiæ solitudine, in qua præter omnium rerum, quæ ad victum & cultum parantur, inopiam, atque adeò aquarum natiuam penuriam, nec cæli ac soli temperies hospitalitatem concedit, nec ferarum ac serpentum maleficū genus frequens deest vnquam, nec illa tempestate externa bellorum, atque turbarum, & inimicitiarum discrimina ius defuêre, quibus leges illæ datæ, & ad experiundū commissæ quoque fuerant. Quæ leges, vti iam intelleximus, veris cultoribus suis pacem, securitatem, tranquillitatem, oportunarumq; ad vitam rerum copiam, ex la-*
toris

toris liberalitate pollicebantur; contrà verò negligentibus & contemptoribus aduersa importunaq; omnia, & calamitosa atque acerbißima ex iusto iudicio minabantur. Quorum quidem omnium si prima pericula in regionibus cultißimis & frequentibus fierent, non vsque adeò manifesta certè ac singularis prouidentiæ argumenta & exempla vtrique parti probare fortaße viderentur (quæ humanæ sapientiæ Deo semper detrahentis peruersitas noscitur) verumtamen illo tanto tempore, illo importunißimo, atque aliàs incommodißimo loco, nulla ad exceptionem, aut ad interpretationem, vel ansa data, vel causa relicta est: vtpote cùm nihil vnquam, dum illa exerceretur disciplina, vel illa in solitudine & vastitate piis cultoribus defuerit earum rerum, quibus natura negatis doleat; nihil rursus periculorum atque difficultatum nocere obeßéve potuerit; contrà verò iis, qui improbiores fuerant, atque legum sanctitatem violarãt, digna sceleribus pœnæ ad interitum vsq; fuerint perlatæ, adeò vt nullus ex iis qui nefas admiserant, etiã iunioribus, & vigesimum non excedentibus annum, breuiori illi (si cum humanæ vitæ exemplis cunctis comparatio adhibeatur) annorum quadraginta curriculo superstes fuerit, atque ita in vtramque partem earũ, quæ à Deo dictatæ fuerant, legum cùm abusus, tum vsus certo & constanti experimẽto atq; euentu compertus est. Nulloq; deinceps ad exceptionem relicto loco, de instaurando atque firmando de integro fœdere iisdem tum secundarum rerum ac premiorum, tum maledictorum ac mulctarum conditionibus vltro citroq; conuentum, actum, transactumq; in hunc modum fuit. Hæc sunt verba fœderis quod præcepit Dominus Moysi vt feriret cum filiis Israel in terra Moab: « Deut.29,1.
« præter illud fœdus quod cum eis pepigit in Horeb. Vocauitq; Moyses omnem
« Israel, & dixit ad eos: Vos vidistis vniuersa quæ fecit Dominus coram vo-
« bis in terra Aegypti Pharaoni, & omnibus seruis eius, vniuersæq; terræ il-
« lius, tentationes magnas quas viderunt oculi tui, signa illa portentaq; ingen-
« tia, & non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & au-
« res quæ possunt audire, vsque in præsentem diem. Adduxit vos quadraginta
« annis per desertum; non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pe-
« dum vestrorum vetustate consumpta sunt. Panem non comedistis, vinũ &
« & siceram non bibistis; vt sciretis quia ipse est Dominus Deus vester. Et
« venistis ad hunc locum: egressusq; est Sehon Rex Hesebon, & Og Rex Ba-
« san, occurrentes nobis ad pugnam. Et percußimus eos, & tulimus terrã eo-
« rum, ac tradidimus poßidendã Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manasse.
« Custodite ergo verba pacti huius, & implete ea: vt intelligatis vniuersa quæ
« facitis. Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro, principes vestri
« & tribus, ac maiores natu, atque doctores, omnis populus Israel, liberi &
« vxores vestræ, & aduenæ qui tecum morantur in castris, exceptis lignorum
« cæsoribus, & his qui comportant aquas: vt transeas in fœdere Domini Dei
« tui, & in iureiurando quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum: vt
« suscitet te sibi in populum, & ipse sit Deus tuus sicut locutus est tibi, & sicut «

„ *iurauit patribus tuis Abraham, Isaac, & Iacob. Nec vobis solis ego hoc*
„ *fœdus ferio, & hæc iuramenta confirmo, sed cunctis præsentibus & absen-*
„ *tibus. Vos enim nostis quomodo habitauerimus in terra Aegypti, & quomo-*
„ *do transierimus per medium nationum, quas transeuntes vidistis, abomina-*
„ *tiones & sordes, id est, idola eorum, lignum & lapidem, argentum & au-*
„ *rum quæ colebant. Ne fortè sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus,*
„ *cuius cor auersum est hodie à Domino Deo nostro; vt vadat & seruiat diis*
„ *illarum Gentium: & sit inter vos radix germinans fel & amaritudinem:*
„ *cumq́; audierit verba iuramenti huius, benedicat sibi in corde suo, dicens:*
„ *Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei: & assumat ebria sitien-*
„ *tem, & Dominus non ignoscat ei: sed tunc quàm maximè furor eius fumet,*
„ *& zelus contra hominem illum, & sedeant super eum omnia maledicta quæ*
„ *scripta sunt in hoc volumine: & deleat Dominus nomen eius sub cælo, &*
„ *consumat eum in perditionē ex omnibus tribubus Israel, iuxta maledictio-*
„ *nes quæ in libro legis huius ac fœderis continentur. Dicetq́; sequens gene-*
„ *ratio, & filij qui nascentur deinceps, & peregrini qui de longè venerint, vi-*
„ *dentes plagas terræ illius, & infirmitates quibus eam afflixerit Dominus,*
„ *sulphure & solis ardore comburens, ita vt vltrà non seratur, nec virens*
„ *quippiam germinet, in exemplum subuersionis Sodomæ & Gomorrhæ, Ada-*
„ *mæ & Seboim, quas subuertit Dominus in ira & furore suo. Et dicent om-*
„ *nes Gentes, Quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est hæc ira furoris*
„ *eius immensa? Et respondebunt, Quia dereliquerunt pactum Domini quod*
„ *pepigit cum patribus eorum, quando eduxit eos de terra Aegypti: & seruie-*
„ *runt diis alienis, & adorauerunt eos quos nesciebant, & quibus nō fuerant*
„ *attributi: idcirco iratus est Dominus contra terram istā, vt induceret super*
„ *eam omnia maledicta quæ in hoc volumine scripta sunt: & eiecit eos de terra*
„ *sua in ira & in furore, & in indignatione maxima, proiecitq́; in terrā alienā,*
„ *sicut hodie comprobatur. Abscondita, Domino Deo nostro: quæ manifesta*
„ *sunt, nobis & filiis nostris vsque in sempiternum, vt faciamus vniuersa*
„ *legis huius. Denique legis illius obseruantiā in omnē vitæ partem, ad res om-*
*nes bello ac pace agendas, in otio, in negotio, ad consiliorum prudentiam, ad*
*euentorum felicitatem, nullo tempore, cùm domi tum foris, non vtilissimam*
*fore, Deus ipse iam iam promissa terrena præstiturus, duci à se creato, Moy-*
Iosue 1, 8. *sisq́; successori, præcipiens prædicebat: Non recedat volumen legis huius ab*
„ *ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt custodias, & facias om-*
„ *nia quæ scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Ecce*
„ *ego præcipio tibi, confortare, & esto robustus. Noli metuere, & noli timere:*
„ *quoniam tecū est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumq́; perrexeris.*

De

# De fide promissorum Dei.

## CAPVT VI.

IGITVR *latis atque experimentorum multiplici periculo examinatis legibus, fœdereq; inito & instaurato de populo in sua fide ac domo, & in Repub. collocando; actū deinceps fuit de promissis Dei, quæ in terra atque in hac mortali vita speranda fuerant, præstandis: vt hoc pacto atque exemplo maximorum ac planè diuinorum donorum & felicissimi æterniq; regni (quæ illis velut argumentis & imaginibus indicabantur) & fides amplificaretur, & cresceret spes. Ad hanc verò expeditionem Dux & Imperator delectus fuit, adeoq; nominatim exceptus, qui muneris & officij fide ac dexteritate, nominis etiam proprij significatione, præsentem rem feliciter gerendam polliceretur, & futuræ æternæ salutis exspectationem firmaret. is Iehosuagh dictus Nun filius, in legum diuiniq; iuris studio exercitatissimus Moysi perpetuus comes, & obsequentissimus minister. Qui cùm diu antea à Deo appellatus, delectus, ornatus, atque populo ad exspectationem propositus fuisset: rursus paulo ante Moysis obitum, dux & belli ac pacis renunciatus est imperator, ac demum magistro suo, vita ac muneribus defuncto, Spiritu diuino auctus, rem aggredi, persequi, & conficere iussus fuit. Ac primæ quidem tum appellationes, tum renunciationes in publicis ordinum omnium comitiis factæ celebrateq; fuere, idq; publicè ac palàm: rei verò inceptandæ dies præsenti ac singulari compellatione destinatus est, nec multo postea, in ipsis occupandæ seu potiùs expugnandæ regionis initiis, viri dignitas, authoritas atque potestas summa, miraculis, prodigiis, atque signis certissimis publicè declarata & confirmata est, hæc dignitatis & ornamentorum authoritatisq; illius viri series & forma fuit, quam, quibus temporibus & actionibus transactam absolutamq; obseruauerimus, recitare operæpretium fuerit: quippe id non ad illius tantùm negotia & gesta, verùm etiam ad spiritualium promissorum arcana cognoscenda apprimè contulerit. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Ascende in montem istum* Num. 27, 12
*Abarim, & contemplare inde terrā quam daturus sum filiis Israel: cumq; videris eam, ibis & tu ad populum tuum, sicut iuit frater tuus Aaron: quia offendistis me in deserto Sin in contradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram ea super aquas. hæ sunt aquæ contradictionis in Cades deserti Sin. Cui respondit Moyses: Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem qui sit super multitudinem hanc; & possit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere: ne sit populus Domini sicut oues absque pastore. Dixitq; Dominus ad eū: Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est Spiritus, & pone manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis synagoga filiorum Israel.*

„ rael. Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum.
„ Ad verbum eius egredietur & ingredietur ipse, & omnis Israel cum eo, &
„ cætera multitudo. Fecit Moyses vt præceperat Dominus. Cumq; tulisset
„ Iosue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote, & omni frequentia populi. Et
„ impositis capiti eius manibus, cuncta replicauit quæ mandauerat Deus.

Hoc idem non longo pòst tempore ita actum, populo commemorans Moyses
Deut. 3, 26 referebat. Iratus est Dominus mihi propter vos, nec exaudiuit me, sed dixit
„ mihi, Sufficit tibi: nequaquam vltrà loquaris de hac re ad me. Ascende ca-
„ cumen Phasga, & oculos tuos circumfer ad Occidentem, & ad Aquilonem,
„ Austrumq; & Orientem respice; nec enim transibis Iordanem istum. Præ-
„ cipe Iosue, & corrobora eum, atque conforta: quia ipse præcedet populũ istum
„ & diuidet eis terram, quam visurus es. Hactenus optio & creatio Iosue.
Ibid. 31, 1. Confirmatio autem illa, actione facta ac declarata. Abiit itaque Moyses, &
„ locutus est omnia verba hæc ad vniuersum Israel, & dixit ad eos: Centum
„ viginti annorum sum hodie, non possum vltrà egredi & ingredi, præsertim
„ cùm & Dominus dixerit mihi, Non transibis Iordanem istũ. Dominus ergo
„ Deus tuus transibit ante te. ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo,
„ & possidebis eas: & Iosue iste transibit ante te, sicut locutus est Dominus.
Ibidem 7. Vocauitq; Moyses Iosue, & dixit ei coram omni Israel: Confortare, & esto
„ robustus: tu enim introduces populum istum in terram quam daturũ se pa-
„ tribus eorum iurauit Dominus, & tu eam sorte diuides. Et Dominus, qui
„ ductor est vester, ipse erit tecum: non dimittet nec cadere linquet te: noli ti-
Ibidem 14. mere, nec paueas. Et ait Dominus ad Moysen, Ecce propè sunt dies mortis
„ tuæ: voca Iosue, & state in tabernaculo testimonij, vt præcipiam ei. Abierũt
„ ergo Moyses & Iosue, & steterunt in tabernaculo testimonij: apparuitq; Do-
„ minus in columna nubis, quæ stetit in introitu tabernaculi.

Destinatio. Cùm verò tempus exstitisset quo promissum terrenum ad exitum addu-
ceretur, diuino monitu atque oraculo Dux idem & Imperator ad munus
Iosue 1. obeundum destinatus est. Et factum est post mortem Moysi serui Domini, vt
„ loqueretur Dominus ad Iosue filium Nun, ministrum Moysi, & diceret ei:
„ Moyses seruus meus mortuus est: surge, & transi Iordanem istum, tu, &
„ omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filiis Israel. Omnem locum,
„ quem calcauerit vestigium pedis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum
„ Moysi. A deserto & Libano vsque ad fluuium magnum Euphraten, omnis
„ terra Hethæorum vsque ad mare magnum contra Solis occasum, erit termi-
„ nus vester. Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ: sicut fui
„ cum Moyse, ita ero tecum: non dimittam nec derelinquam te. Confortare, &
„ esto robustus: tu enim sorte diuides populo huic terram pro qua iuraui patri-
„ bus tuis vt traderem eam illis. Confortare igitur, & esto robustus valde: vt
„ custodias, & facias omnem legem quam præcepit tibi Moyses seruus meus:
„ ne declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram, vt intelligas cuncta quæ agis.
„ Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac
nocti-

*nostibus, vt custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo: tunc diriges* "
*viam tuã, & intelliges eam. Ecce præcipio tibi, confortare & esto robustus.* "
*Noli metuere, & noli timere: quoniam tecum est Dominus Deus tuus in* "
*omnibus ad quæcunque perrexeris.* "

*Atque electio illa, siue potiùs lex de Iosue imperio lata, repetita, & instaurata, authoritatis ac posteritatis publicè suscepta plebiscito recepta obseruatáq; fuit. Maioribus imperat Iosue Imperatoris mandatum primum ad populum ferentibus, & vnicuique tribui suas imponentibus partes, singulisq; tribubus legitimè suscipientibus fide, déque obsequio cum priuatè tum publicè præstando decernentibus.*

*Præcepitq; Iosue principibus populi, dicens: Transite per medium castrorum, & imperate populo, ac dicite: Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Iordanem, & intrabitis ad possidendam terram quam Dominus Deus vester daturus est vobis. Reubenitis quoque & Gaditis, & dimidiæ tribui Manasse ait: Mementote sermonis quem præcepit vobis Moyses famulus Domini, dicens: Dominus Deus vester dedit vobis requiem, & omnem terram. Vxores vestræ, & filij, ac iumenta manebunt in terra quam tradidit vobis Moyses trans Iordanem: vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis, donec det Dominus requiem fratribus vestris sicut & vobis dedit, & possideant ipsi quoque terram quam Dominus Deus vester daturus est eis: & sic reuertimini in terrã possessionis vestræ, & habitabitis in ea quam vobis dedit Moyses famulus Domini trans Iordanem contra Solis ortum. Hoc imperatorium edictum quod primùm omnium tum Israelitis cæteris, tum iis qui iam suas obtinebant sedes, edixit, publico omnium consensu & plebiscito de authoritate imperatoris facto probatum susceptumq; fuit. Responderuntq; ad Iosue, atque dixerunt: Omnia quæ præcepisti nobis, faciemus; & quocunque miseris ibimus. Sicut obediuimus in cunctis Moysi, ita obediemus & tibi: tantùm sit Dominus tecum, sicut fuit cum Moyse.* QVI CONTRADIXERIT ORI TVO, ET NON OBEDIERIT CVNCTIS SERMONIBVS QVOS PRÆCEPERIS EI, MORTE MORIATVR. "

(Iosue 1o. / Ibidem. — marginal notes)

*Quoniam verò omnis potestas ex Deo esse creditur, quæq; hanc non probat originem, tyrannidis notatur nomine, cùm cætera omnia, quæ antè iam transacta fuerãt, & spectasset, & concessisset populus, vnam illam exceptionem cauit, quam pro temporis ac rerum magnitudine valde necessariam duxit, hoc est, singularis prouidentiæ, voluntatis, & amplificationis Dei aduersum Imperatorem ipsum, ad tot bellorum, totq; gerendarum dexteritatem & felicitatem rerum. Quamobrem illud in exceptione requisitum postulatumq; fuit: Tantùm sit Dominus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse. id est, faueat præsens tibi, singulariterq; sese prospicientem & consulentem probet, idq; publicè, vt sese iam Moysi maximis signis probauit, præcipuè verò maris obsecundantis imperio, virgæq; annuenti quondam illi, atque eo pacto victo-*

*victoriam de hoste potentissimo promittentis. Huiusmodi cum primis prodigium & signum suæ voluntatis atque curæ erga Iosue imperium & gesta publicè dari populus expetebat, quo obsequium suum certiùs ac pleniùs præstaret, maiori q; exsequeretur studio. Atqui quòd ea postulatio illo in tempore, illaq; exceptio ad periculorum omnium contemptionem ex fide natam æqua esset, plenè & cumulatè à numine præstita fuit: eademq; operâ declaratum est, velle ipsum promissa sua de regionibus Chananæorum expugnandis & occupandis ac possidendis, hoc vno duce & ministro exsoluere, ideoq; illum iam aliàs delectum, initiatum, appellatũ, & instructum maximi miraculi authoritate adornare. Cuius authoritatis illud exemplum est. Dixitq;*

Iosue 3,7. » *Dominus ad Iosue:* HODIE INCIPIAM EXALTARE TE CORAM OMNI ISRAEL: VT SCIANT QVOD SICVT CVM MOYSE FVI, ITA ET TECVM SVM. *Tu autem præcipe sacerdotibus qui portant arcam fœderis, & dic eis: Cùm ingressi fueritis partem aquæ Iordanis, state in ea. Dixitq; Iosue ad filios Israel: Accedite huc, & audite verbum Domini Dei vestri. Et rursum, In hoc, inquit, scietis quòd Dominus Deus viuens in medio vestri est, & disperdet in conspectu vestro Chananæum & Hethæũ, Heuæum & Pherezæum, Gergesæum quoque & Iebusæum, & Amorrhæum. Ecce, arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Iordanem. Parate duodecim viros de tribubus Israel, singulos per singulas tribus. Et cùm posuerint vestigia pedũ suorum sacerdotes qui portant arcam Domini Dei vniuersæ terræ in aquis Iordanis, aquæ, quæ inferiores sunt, decurrent atq; deficient: quæ autem desuper veniunt, in vna mole consistent. Igitur egressus est populus de tabernaculis suis, vt transiret Iordanẽ: & sacerdotes qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum. Ingressisq; eis Iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis, (Iordanis autem ripas aluei sui tempore messis impleuerat) steterunt aquæ descendentes in loco vno, & ad instar montis intumescentes apparebant procul ab vrbe quæ vocatur Edom, vsque ad locum Sarthan: quæ autem inferiores erant, in Mare solitudinis (quod nunc vocatur mortuum) descenderunt, vsquequo deficerent. Populus autem incedebat contra Iordanem: & sacerdotes qui portabant arcam fœderis Domini stabant super siccam humum in medio Iordanis accincti, omnisque populus per arentem alueum transibat.*

*Post amnem transmissum, duo cũ primis obseruanda commemorantur. Alterum fuit pauor, horror, & metus iniectus omnibus iis qui iamiam expugnandas, Israelitisq; tradendas, incolebant regiones, tam regibus ac principibus, quàm reliquo vulgo omni: quippe cùm ea res omnem illarum gentium statum euersum iri portendisset. Alterum verò fuit publica circumcisio, solenni ritu inita ab iis omnibus, qui propter incertam in solitudine vagationem nondum fuerant circuncisi. Nephas enim omnino fuisset, virũ, illius sancti fœderis argumento non insignitum & confirmatum, in regni illius noui ius atque vsum recipi aut admitti; id quod ad salutis humanæ communicationem arcanas maximásque signifi-*

significationes continere existimandum est. Postquam ergo audierunt omnes Reges Amorrhæorũ, qui habitabant trans Iordanem ad Occidentalẽ plagam, & cuncti Reges Chanaan, qui propinqua possidebant magni maris loca, quòd siccasset Dominus fluenta Iordanis coram filiis Israel donec transirent, dissolutum est cor eorum, & non remansit in eis spiritus, timentiũ introitum filiorum Israel. Eo tempore ait Dominus ad Iosue: Fac tibi cultros lapideos, & circũcide secundò filios Israel. Fecit quoque quod iusserat Dominus, & circumcidit filios Israel in colle præputiorum. Hæc autem causa est secundæ circumcisionis: Omnis populus qui ingressus est de Ægypto generis masculini, vniuersi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus, qui omnes circumcisi erant. Populus autem qui natus est in deserto, per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis incircumcisus fuit: donec consumerentur qui non audierant vocem Domini, & quibus antè iurauerat vt ostenderet eis terram lacte & melle manantem. Horũ filij in locum successerunt patrum, & circũcisi sunt à Iosue: quia sicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat. Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco, donec sanarentur. Dixitq; Dominus ad Iosue, Hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis. Vocatumq; est nomen loci illius Galgala, vsque in præsentem diem. Animaduertendum verò duximus, circumcisionem hanc secundam dictam, & Iosue non authoritate modò, sed operâ etiam ex Dei iussu fuisse factam.

Iosue 5.

Circumcisio secunda per Iosuam.

Illam porrò circumcisionem consecutus narratur arcanum salutis antea allatæ, & olim publicæ hominibus afferendæ, festus dies, cui à transitu nomen PEZZAHH est, solenni ritu & ceremonia celebratus; atque hoc peracto, quamprimum regionis obtinendæ ius fuisse diuino munere initum. Namq; antehac, quàm diu per deserta & inculta loca circumductus fuit Israel, singulari victu ex Dei prouidentia suppeditato alebatur; & quod glebæ ac terræ sterilitas negabat, diuini verbi fides abunde sufficiebat. S. S. E. Vt sciatis quòd non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Vbi verò ad promissam regionem deuentum est, cura illa non opus fuit in terra frugum & fructuum omnium, qui ad propugnandam vitam comparari possunt, refertissima, ideoq; lacte & melle manare dictitata. Quàm primùm itaque illorum ciborum, quibus regio laudabatur, copiam homines adepti fuêre, diuini promissi fidem liberatam ipso vsufructu cognouêre, gratulatiq; sunt. Manseruntq; filij Israel in Galgalis, & fecerunt Phase quartadecima die mensis ad vesperum in campestribus Iericho: & comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, & polentam eiusdem anni. Defecitq; manna postquam comederunt de frugibus terræ, nec vsi sunt vltrà cibo illo filij Israel, sed comederunt de frugibus præsentis anni terræ Chanaan. Cùm autem esset Iosue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum stantem contra se, euaginatum tenentem gladium, perrexitq; ad eum, & ait: Noster es, an aduersariorum? Qui respondit: Nequaquam, sed sum princeps

Deut. 8, 3.

Iosue 5.

„ *princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Iosue pronus in terram.*
„ *Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum? Solue, in-*
„ *quit, calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, sanctus*
„ *est. Fecitq; Iosue vt fuerat imperatum.*

## De expugnatione ac possessione regnorum in terris, ac de eiusdem stabiliendæ lege, pacto, & omine. CAP. VII.



VAMQVAM verò terrenum illud regnum *frequentißimis ac fortißimis propugnatoribus, & locorum natura arteq; munitorum præsidiis firmatum, ideoq; insuperabile videretur, diuinæ tamen voluntatis ac prouidentiæ beneficio & ope, exiguâ hominum operâ, ac nullo ferè negotio, & vltrà quàm cogitari posset, breuißimo tempore expugnatum & obtentũ est, idemq; in suas partes distributum, ad habitandi & incolendi vsus concessum: nimirum intra septennium ferè, quantũ vix ad regiones ab exercitu peragrandas & lustrandas satis fore videri potuerat, nedũ ad Reges vnũ ac triginta bello armisq; victos capiendos & perdendos, tot bellatorũ fundendas ac minuendas & profugandas copias, tot delendos populos, tot vrbes occupandas, exspoliandas, ac diripiendas, tam multa gregum & armentorum millia conficienda & cogenda, regionumq; constituendos atque ineundos tractus & fines. Atque illud vel vnicũ exemplum, quid inter humanam facultatem, diuinamq; voluntatem ac tutelam*
Iosue 11, 23 *interfit, aperto & illustri satis fuit argumento. Cepit ergo Iosue omnẽ ter-*
„ *ram, sicut locutus est Dominus ad Moysen, & tradidit eam in possessionem*
„ *filiis Israel secundùm partes & tribus suas: quieuitq; terra à prœliis.*
Iosue 12. *Hi sunt reges quos percusserunt filij Israel, & possederunt terram eorum*
„ *trans Iordanem ad solis ortũ, à torrente Arnon vsque ad montem Hermon,*
„ *& omnem Orientalem plagam quæ respicit solitudinem. Sehon Rex Amor-*
„ *rhæorũ qui habitabat in Hesebon, &c. & à solitudine vsque ad mare Cin-*
„ *roth contra Orientem, & cet. Terminus Og Regis Basan, de reliquiis Ra-*
„ *phaim, &c. Moyses famulus Domini, & filij Israel percusserunt eos, tra-*
„ *diditq; terram eorum Moyses in possessionem Rubenitis, & Gaditis, &*
„ *dimidiæ tribui Manasse. Hæc regna propter incolentium improbitatem, importunam inuidiam, Israelitis vltrà promissum adaucta legimus: promissæ*
„ *autem Regionis illa regnorum series est. Hi sunt Reges terræ quos percussit*
„ *Iosue & filij Israel trans Iordanem ad Occidentalem plagam, à Baghal-Gad*
„ *in campo Libani, vsque ad montem cuius pars ascendit in Seir: tradiditque*
„ *eam Iosue possessionem tribubus Israel, singulis partes suas, tam in montanis*
„ *quàm in planis atque campestribus. In Aseroth, & in solitudine, & in Me-*
„ *ridie Hethæus fuit, & Amorrhæus, Chananæus & Pherezæus, Heuæus &*
*Iebu-*

Iebusæus. Rex Iericho vnus: rex Hai, quæ est ex latere Bethel vnus: rex Ierusalem vnus, rex Hebron vnus, rex Ierimoth vnus, rex Lachis vnus, rex Eglon vnus, rex Gazer vnus, rex Dabir vnus, rex Gader vnus, rex Herma vnus, rex Hered vnus, rex Lebna vnus, rex Adullam vnus, rex Maceda vnus, rex Bethel vnus, rex Taphua vnus, rex Opher vnus, rex Aphec vnus, rex Saron vnus, rex Madon vnus, rex Asor vnus, rex Semeron vnus, rex Achsaph vnus, rex Thenach vnus, rex Mageddo vnus, rex Cedes vnus, rex Iachanam Carmeli vnus, rex Dor, & prouinciæ Dor, vnus, rex Gentium Galgal vnus, rex Thersa vnus: omnes reges triginta vnus. Quorum collata consilia, & iuncta copiæ, acneminū arcanæ interpretationes ac rationes, Dei proposito quamquam obsistere conarentur, frustra tamen omnia, atque adeò in suam ipsorum perniciem, tentauère. Ne verò expugnatorum multitudine, sed promissi diuini constantiæ atque hominum fidei præsentissima veritate, tantam rem tam breuiter confectam quispiam arbitrari posset, singulari ac priuato exemplo consultum fuit Calebi viri vnius, ætate incommodiori, nempe octoginta quinque annos nati, viribus tamen ac sensu ex diuinæ prouidentiæ virtute integerrimi: qui cum familiæ suæ non multis viris fortissimam & robustissimam regionum illarum nationem, opibus & opinione præstantem, exiguo admodum negotio, nullo periculo victam deleuit, & regno atque rebus omnibus exspoliauit, ac demum illustrem in illis omnibus bellis victoriam ferè solus obtinuit. id quod significanter in eodem repetens libro Spiritus sanctus adnotandum dictauit: cuius exempli huiusmodi narratio expositioq́; est. Accesserunt itaque filij Iuda ad Iosue in Galgala, locutusq́; est ad eum Caleb filius Iephone Cenezæus: Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me & te in Cades-Barne. Quadraginta annorū eram quando misit me Moyses famulus Domini de Cades-Barne, vt considerarē terram, nunciauiq́; ei quod mihi verum videbatur. Fratres autem mei qui ascenderant mecum, dissoluerunt cor populi, & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum. Iurauitq́; Moyses in die illo, dicens: Terram quam calcauit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum: quia secutus es Dominum Deum meum. Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est, vsque in præsentem diē. Quadraginta & quinque anni sunt ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen, quando ambulabat Israel per solitudinem: hodie octoginta quinque annorum sum sic valens, vt eo valebam tempore quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseuerat, tam ad bellandum, quàm ad gradiendum. Da ergo mihi montem istum quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt, & vrbes magnæ atque munitæ: si fortè sit Dominus mecum, & potuero delere eos; sicut promisit mihi. Benedixitq́; ei Iosue, & tradidit ei Hebron in possessionem. Atq; ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo vsque in præsentem diem: quia secutus est Dominum Deum Israel. Nomen Hebron antè vocabatur

Iosue 14, 6.

» Cariath-Arbe. Adam maximus ibi inter Enacim situs est: & terra cessauit
» à prœliis. Atque hæc eadem exempla seculis atque hominibus illis publicè &
communiter, nec non singulariter & priuatè edita & spectata, certissimo
documento fuerunt virtutis & efficientiæ fidei diuinis promissis habitæ, &
Hebr.11,30. secundo obsequio excultæ ac probatæ. S. S. E. Fide muri Iericho corruerunt
» circuitu dierum septem. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, ex-
» cipiens exploratores cum pace. Et quid adhuc dicam? Deficit enim me tem-
» pus enarrãtem de Gedeon, Barac, Sampson, Iephte, Dauid, Samuel, & Pro-
» phetis [qui illum præcesserant] qui per fidem deuicerunt regna [terrena vi-
» delicet] operati sunt iustitiam [præceptorum legitimorũ] adepti sunt repro-
» missiones [mortalis vitæ huius ac terrestris hæreditatis patrib⁹ ante factas.]

Verùm enimuero regnum illud terrenum tantis diuitiis, tot vitæ commo-
dis abundans, iisdem artibus, quibus hominum generi adipisci contigerat,
tenendum obseruandumq́; esse, in lege sæpius prædictum ac denunciatũ fue-
rat; & post pacem iam partam, compositasq́; res, rursum de integro condi-
tione explicata & enarrata repetitũ fuit; artibus videlicet illis fide & obse-
quio diuinis præstito iussis: inter cætera verò illa seuerissimè cauebatur, ne
vtilitatis aut gloriæ cuiuspiam cupiditate & spe, neque vlla alia quamuis in
speciem honesta causa, amicitiarum vel familiaritatis commerciíve fœdera
cum Gẽtibus illis adeò damnatis inirentur vnquam, néue vlla ex illarũ mo-
ribus ac ritibus cultuq́; semina vllo prorsus vel minimo exemplo in Dei po-
puli priuatam vel publicam rem admitterentur. Quandoquidem ipsis ad re-
ligionis ac pietatis internum studium, externumq́; cultũ, ad omnium in vita
& moribus actionum & exercitationum genera tum domi, tum foris ob-
eunda, abunde satis legum & præceptorum institutorumq́; diuino consilio
Iosue 23. ac iudicio fuerat præscriptum. Euoluto autem multo tempore, postquã pa-
» cem dederat Dominus Israeli, subiectis in gyro nationibus vniuersis, & Io-
» sue iam longæuo & per senilis ætatis, vocauit Iosue omnem Israelem, maio-
» resq́; natu, & principes ac duces, & magistros, dixitq́; ad eos: Ego senui, &
» progressioris ætatis sum: vosq́; cernitis omnia quæ fecerit Dominus Deus
» vester cunctis per circuitum nationibus, quomodo pro vobis ipse pugnauerit:
» & nunc quia vobis sorte diuisit omnem terram, ab Orientali parte Iorda-
» nis vsque ad mare magnum, multaq́; adhuc supersunt nationes: Dominus
» Deus vester disperdet eas, & auferet à facie vestra, & possidebitis terram,
» sicut vobis pollicitus est. tantùm confortamini, & estote soliciti vt custodia-
» tis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysi, & non declinetis ab eis
» neque ad dexteram neque ad sinistram: ne, postquam intraueritis ad Gentes
» quæ inter vos futuræ sunt, iuretis in nomine deorum earum, & seruiatis
» eis, & adoretis illos: sed adhæreatis Domino Deo vestro, quod fecistis vsque
» in diem hanc. Et tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes
» magnas & robustissimas, & nullus vobis resistere poterit. Vnus è vobis
» persequetur hostium mille viros: quia Dominus Deus vester pro vobis ipse

pugnabit, sicut pollicitus est. Hoc tantùm diligentissimè præcauete, vt diligatis Dominum Deum vestrum. Quòd si volueritis Gentium harũ, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, atq; amicitias copulare: iam nunc scitote quòd Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram; sed sint vobis in foueam ac laqueum, & offendiculũ ex latere vestro, & sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quã tradidit vobis. En ego hodie ingredior viam vniuersæ terræ, & toto animo cognoscetis quòd de omnibus verbis, quæ se Dominus præstiturum vobis esse pollicitus est, vnũ non præterierit incassum. Sicut ergo impleuit opere quod promisit, & prospera cuncta venerunt: sic adducet super vos quidquid malorum comminatus est, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima quam tradidit vobis, eo quòd præterieritis pactum Domini Dei vestri, quod pepigit vobiscum, & seruieritis diis alienis, & adoraueritis eos: citò atque velociter consurget in vos furor Domini, & auferemini ab hac terra optima quam tradidit vobis.

Atque illa in publicis comitiis frequentissimoq; senatu populi ac Reipub. ministris omnibus, tum diuinorum beneficiorum commemoratio, tum pietatis ac officiorum, publicè ac priuatè facta monitio, ipsos cùm primis magistratus spectauit, quorum cura vel negligentia in illo temporum atq; rerum statu, hoc est, dum externa & scripta lege agendum esset, magno ponderi ac momento ad rerum publicarum ac priuatarum vel salutem vel calamitatem esse potuit. Sed enim ne quid ex Dei prouidentia requiri vnquã posset, quod ad omnes partes monendas, & ad munera officiaq; singulorum declaranda & exigenda pertineret, aut ne quis vsquam ad exceptionem, aut excusationem ac defensionem locus vlli hominum ordini aut cõditioni relinqueretur, non modò actio illa cum magistratibus ac populi ducibus principibusq; viris celebrata fuit, sed coacto ordinum omnium populiq; concilio, ac recitatis recensitis conditionibus, & altissimè repetita diuinorum beneficiorum narratione; prædictioneq; facta tum diuinæ tutelæ hominum obsequio perpetuò adfuturæ, tum iræ ac pœnæ in impios atque desertores violatoresq; religionis ac legum consecuturæ, deliberatione repetita, optioneq; de integro data, & obtestatione interposita, de constituto iam fœdere retinendo ac seruando publicè palàm ab omni conuentu transactum fuit. Atque hoc loco illud semel obiter ad omnem hanc rationem retulerit explicasse: Alienorum deorũ cultum in sacro sermone dici quidquid præter diuinæ sapientiæ dictata ac decreta ad pietatis atque morum exercitationem, vel humano tantùm ingenio priuatoq; cõsilio excogitatum, vel aliunde inductum, & in consuetudinem relatum, notari posset: idq; vel illa exceptione definiri: Vt custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysi, & non declinetis ab eis neq; ad dexteram neque ad sinistram; sed adhæreatis Domino Deo vestro, quod fecistis vsque ad diem hanc. Atque in prædictionibus omnibus illud culpæ caput indicatur: Eo quòd præterieritis pactũ Domini Dei vestri, quod pepigit vobiscum.

*Hæc itaque in comitiis primùm acta, illa verò deinceps in pleno ac publico communiq́; consilio celebrata, in deliberationē proposita, ac demum constituta transactaq́; fuere. Congregauitq́; Iosue omnes tribus Israel in Sichem, &*
Iosue 14. „ *vocauit maiores natu, ac principes, & iudices, & magistros: steteruntq́; in*
„ *conspectu Domini, & ad populum sic locutus est: Hæc dicit Dominus Deus*
„ *Israel, Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater*
„ *Abraham & Nachor: seruieruntq́; diis alienis. Tuli ergo patrem vestrum*
„ *Abraham de Mesopotamiæ finibus, & adduxi eum in terra Chanaan: multiplicauiq́; semen eius, & dedi ei Isaac: illiq́; rursum dedi Iacob & Esau.*
„ *E quibus, Esau dedi montem Seir ad possidendum: Iacob verò, & filij eius*
„ *descenderunt in Aegyptum. Misiq́; Moysen & Aaron, & percussi Aegyptum multis signis atque portentis. Eduxiq́; vos & patres vestros de Aegypto, & venistis ad mare: persecutiq́; sunt Aegyptij patres vestros cum curribus & equitatu, vsque ad mare rubrum. Clamauerunt autem ad Dominum*
„ *filij Israel: qui posuit tenebras inter vos & Aegyptios: & adduxit super eos*
„ *mare, & operuit eos. Viderunt oculi vestri cuncta quæ in Aegypto fecerim,*
„ *& habitastis in solitudine multo tempore: & introduxi vos in terrā Amorrhæi, qui habitabat trans Iordanem. Cumq́; pugnarent contra vos, tradidi*
„ *eos in manus vestras, & possedistis terram eorum, atque interfecistis eos.*
„ *Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab, & pugnauit contra Israelem.*
„ *Misitq́;, & vocauit Balaam filium Beor, vt malediceret vobis: & ego nolui audire eum; sed è contrario per illum benedixi vobis, & liberaui vos de*
„ *manu eius. Transistisq́; Iordanem, & venistis ad Iericho. Pugnaueruntque*
„ *contra vos viri ciuitatis eius, Amorrhæus, & Pherezæus, & Chananæus,*
„ *& Hethæus, & Gergesæus, & Heuæus, & Iebusæus: & tradidi illos in*
„ *manus vestras. Misiq́; ante vos crabrones: & eieci illos de locis suis,*
„ *duos reges Amorrhæorum, non in gladio & in arcu tuo. Dediq́; vobis terram in qua non laborastis, & vrbes quas non ædificastis, vt habitaretis in*
„ *eis; vineas & oliueta quæ non plantastis. Nunc ergo timete Dominum, &*
„ *seruite ei perfecto corde atque verissimo: & auferte deos quibus seruierunt*
„ *patres vestri in Mesopotamia & in Aegypto, ac seruite Domino. Sin autem malum vobis videtur vt Domino seruiatis, optio vobis datur: eligite*
„ *hodie quod placet, cui seruire potissimùm debeatis, vtrùm diis quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum*
„ *terra habitatis: ego autem & domus mea seruiemus Domino. Responditque*
„ *populus, & ait: Absit à nobis vt relinquamus Dominum, & seruiamus diis*
„ *alienis. Dominus Deus noster ipse eduxit nos & patres nostros de terra*
„ *Aegypti, de domo seruitutis: fecitq́; videntibus nobis signa ingentia, & custodiuit nos in omni via per quam ambulauimus, & in cunctis populis per*
„ *quos transiuimus. Et eiecit vniuersas gentes, Amorrhæum habitatorem*
„ *terræ quam nos intrauimus.* SERVIEMVS IGITVR DOMINO,
„ QVIA IPSE EST DEVS NOSTER. *Dixitque Iosue ad populum:*

*Non*

*Non poteritis seruire Domino:* DEVS ENIM SANCTVS ET FORTIS «
ÆMVLATOR EST, *nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis. Si dimi-* «
*seritis Dominum, & seruieritis diis alienis, conuertet se, & affliget vos,* «
*atque subuertet postquam vobis præstiterit bona. Dixitq́ populus ad Iosue:* «
*Nequaquam ita vt loqueris erit, sed* DOMINO SERVIEMVS. *Et Iosue* «
*ad populum, Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum,* «
VT SERVIATIS EI. *Responderuntq́,* TESTES. *Nunc ergo, ait, auferte* «
*deos alienos de medio vestri, &* INCLINATE CORDA VESTRA AD DO- «
MINVM DEVM ISRAEL. *Dixitq́ populus ad Iosue:* DOMINO DEO «
NOSTRO SERVIEMVS, ET OBEDIENTES ERIMVS PRÆCEPTIS «
EIVS. *Percussit ergo Iosue in die illo fœdus, & proposuit populo præcepta* «
*atq́ iudicia in Sichē. Scripsitq́ omnia verba hæc in volumine legis Domini:* «
*& tulit lapidem grandē, posuitq́ eum subter quercum quæ erat in sanctua* «
*rio Domini, & dixit ad omnem populum: En lapis iste erit vobis in testi-* «
*monium, quòd audieritis omnia verba Domini quæ locutus est vobis: ne* «
*fortè postea negare velitis, & mentiri Domino Deo vestro. Dimisitq́ po-* «
*pulos singulos in possessionem suam. Atque Respub. hæc, his instituta legi-* «
*bus, hisq́ ornata moribus, tam diu statum illum conseruauit, dum in fœdere & officio, ac pietate illa, quam promiserat, maneret; curantibus Iosue & principibus illis primis, qui & beneficiorum atque certæ præsentísque prouidentiæ Dei erga pios, & vltionis aduersus impios, non spectatores modò, sed etiam participes fuerant. Horum enim studio, vigilantia, authoritate, consiliis, actionibus, operáque perpetua, populus seueræ disciplinæ terminis contentus, atque pietatis exercitatus officiis, certam & constantem Dei benigni veritatem expertus est. Seruiuitque Israel Domino cunctis diebus* Iosue 24, 31.
*Iosue & seniorum, qui longo vixerant tempore post Iosue, & qui nouerant* «
*omnia opera Domini quæ fecerat in Israel.* «

# LIBER SEXTVS.

## De humanarum rerum varietate, inconstantia, & crebra in peius mutatione, ex hominis culpa ac vitio.

### CAPVT I.



ENIGNISSIMAM *Dei mentem & voluntatem erga hominum salutem, dignitatem, ornamentum, & amplificationem crebris & illustribus exemplis iam inde à principio declaratam intelleximus, ac demum confirmatam cum vna gente, eademq; delecta, & maximis beneficiis affecta, mirabiliq; modo erudita, & ad arcani consilij ac propositi instar instructa, prouecta, & constituta: ita vt quod in hac mortali vita expeti ad beatitatem posset, nihil prorsus fuisset reliquum, nihil quod desideraretur, præter æternæ illius animorum atque corporum felicitatis beneficium, cuius tamen dulcissimam meditationem, fidem, atque spem, illa externarum rerum bene constituta conditio præferebat; qua conditione quisquis constanter viueret, vitam*
Psal. 118. *hanc demum cum extremo summoq; bono commutaturus erat. S.S.E. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem. id quidem quod nonnulli probi, fortes, sibiq; optimè consulentes viri, animi fide concipientes, magna per omnem vitam constantia & seueritate egerunt, impedimentis omnibus etiam spretis, superatis laboribus, & calamitatibus contemptis, & capitis quoque, vbi oportuit, periculo fortiter subito atque perlato.*
Heb. 10, 35. *S.S.E. Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est: vt voluntatem Dei facientes, reportetis promißionem. Adhuc enim modicum aliquantulùmque, qui venturus est, veniet: quòd si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.*
Ibid. 11, 1. *Est autem fides, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. In hac testimonium consecuti sunt senes. ij videlicet, qui in constituta sibi diuinitus conditione mansere.*

*Verùm enimuero humani animi femina portio ab illo primo prætermissæ conditionis exemplo sui ipsius præcipuè amans perpetuò perseuerauit, & legem ipsa meliori portioni, hoc est, viro suo imponere magis quàm vel viri consiliis, vel Dei legibus obtemperare vsque adeò contendit, vt post promulgatam diuinam legem duriùs etiam sese aduersus virum gesserit. Namque antea compluribus in rebus virili portioni, siue animo ferè imposuerat, id non esse vitium significando, quod legis disciplina non vitium modò, sed vitiorum caput esse arguebatur: id quod illa egerrimè ferens, tamen vrgente*

*vrgere & promouere multis modis certando occepit: interdum sententiis & argumentationibus contra viri mentem susceptis, nonnumquam legis diuinæ interpretationibus, & vel si illis non satis aptis, exceptionibus tamen, & singularium consiliorum commentis, ac demũ, si illac non succederet, molestiis & iurgiis ac difficultatibus viro obiectis, vt in suam sententiam siue perducto, siue pertracto, tandem ad libidinem suam abuteretur. Id quod legitimus antea prædictionibus ex legislatoris Dei mente, legis ipse minister non semel cauerat: Ne fortè sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus,* Deut.29,18.
*cuius cor auersum est hodie à Domino Deo nostro, vt vadat, & seruiat diis* «
*illarum gentium: & sit inter vos radix germinans fel & amaritudinem.* «
*Cumq́, audierit verba iuramenti huius, benedicat sibi in corde suo, dicens:* «
*Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei:* ET ASSVMAT EBRIA «
SITIENTEM, *& Dominus non ignoscat ei: sed tum quàm maximè furor* «
*eius fumet, & zelus, contra hominem illum; & sedeant super eum omnia* «
*maledicta quæ scripta sunt in hoc volumine; & deleat Dominus nomen eius* «
*sub cælo, & cõsumat eum in perditionem ex omnibus tribubus Israel, iuxta* «
*maledictiones quæ in libro legis huius ac fœderis continentur. Rursus verò* «
*hoc idem prospiciens, de integroq́, monens Vates inculcabat: Tollite librum* Deut.31,26.
*istum, & ponite illum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri: vt sit ibi* «
*contra te in testimonium. Ego enim scio contentionem tuam, & ceruicem* «
*tuam durißimam. Adhuc viuente me, & ingrediente vobiscum, semper con-* «
*tentiosè egistis contra Dominum: quanto magis cùm mortuus fuero! Con-* «
*gregate ad me omnes maiores natu per tribus vestras, atque doctores, & lo-* «
*quar audientibus eis sermones istos, & inuocabo contra eos cælum & ter-* «
*ram. Noui enim quòd post mortem meam iniquè agetis, & declinabitis citò* «
*de via quam præcepi vobis: & occurrent vobis mala in extremo tempore,* «
*quando feceritis malum in conspectu Domini, & irritaueritis eum per ope-* «
*ra manuum vestrarum. Locutus est ergo Moyses, audiente vniuerso cætu Is-* «
*rael, verba carminis huius, & ad finem vsque compleuit: Audite cæli quæ lo-* «
*quor, audiat terra verba oris mei, &c. Quo carmine diuini consilij de hu-* «
*mana salute arcanum, & humanæ peruersitatis crimen, ac rursus benignitatis Dei argumentum solidè continentur, illáque omnia sub illius terrenæ imaginis vmbris tecta velatáque exhibentur.*

## De animorum & consuetudinum impotente deprauatione. CAP. II.

AD *publicarum ac priuatarum statum rerum pristinum, eúmque optimum, vel retinendum, vel labefactandum & amittendum; vel conuertendum & recuperandum, eorum, qui præsunt, ingenia, mores & authoritatem, talia, qualia oportet contingere, aut hæc eadem requiri, ac desiderari, permagni referre natura ipsa docet, & ra-*

tio ex gregum agrorúmque custodibus obseruata, nec non seculorum ætatúmque omnium exempla declarant. Namque hominum omniũ ingenium postquam ab illa prima, in qua constitutum ab initio fuerat, veritate desciuit, quamquam, qua parte virile est, veri & boni amorem non prorsus amiserit, tamen qua femineam retinet naturam, eamq́; deprauatam, superbam & in-
Genes. 8, 21 solentem, ad falsitatem & vitia procliue est, facileq́; delabitur. S. S. E. Sen-
» sus enim & cogitatio hominis in malũ prona sunt ab adolescentia sua. Huic animalis hominis malo fomenta remediaq́; oportuna Deus ab initio comparauit, qualia in huius operis contextu obseruauimus, qualiáque probatissime habuit, interim dum salutis ac vitæ integræ author ille toties antiquus pro-
Malach. 4, 2. mißus exstaret, de quo scriptum est: Orietur vobis timentibus nomen meum,
» Sol iustitia, & sanitas in pennis eius: & egrediemini, & salietis sicut vituli
» de armento: & calcabitis impios, cùm fuerint cinis, sub planta pedum ve-
» strorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.

Atque in ea quæ interim à Deo paratur medicina, doctrinæ veræ ac sanæ studium & exercitatio cum primis commendantur, quæ non singularibus hominibus modò ineunda, verùm etiam publicis magistris & præfectis curanda creduntur, parentibus videlicet domorum in propriis familiis, in frequentiori verò populo ciuitatum, oppidorum, viciniarum, atque societatum reliquarum quæ inter homines ineuntur, magistratibus, quorum authoritati & operæ illud committitur, prospicere videlicet atq; agere diligenter, vt, quæ optimè in publicis priuatísque rebus instituta decretaq́; fuerint, sincerè atq; rite inita exerceantur: in eos verò quibus hæc violata notabuntur, seuerè animaduertatur. Namque hoc pacto & qui suopte studio rectè vitam viuere parauerint, securiùs id agere possunt; & qui iis vel exemplo, vel incommodo obstare ausi fuerint, metu deterriti coercentur, vel digna affecti mulcta corriguntur, aut è medio tolluntur, &, quantum id humanè præstari poßit, rerum quæ videntur & spectantur, facies composita atque decens conseruatur: cuius exemplum cæteris hominibus ad imitationẽ sumitur, & supremo præsidi ac principi Deo gratum, & ipsi Reip. cum primis vtile honestumq́; tradit. Vt enim in animalis corpore capitis integritas ac sanitas cætera attingit membra, eademq́; rectè constituta, apteq́; suis singulorũ muneribus præstandis comparata conseruat, ita à supremo potestatum ordine obseruata, veri ac boni disciplina populum in officio continet, & Deum sibi Reipublicæq́;
Psal. 132, 1. omni fauentem consulentemq́; conciliat. S.S.E. Ecce quàm bonum & quàm
» iucundum habitare fratres in vnum. Sicut vnguentum in capite, quod de-
» scendit in barbam, barbam Aaron; quod descendit in oram vestimenti eius.
» Sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion. Quoniam illic mandauit
» Dominus benedictionem, & vitam vsque in seculum. Ex huiusmodi ergo religionis, pietatis, atque humanitatis officiorum doctrina, in maiorũ exemplis ac moribus aßiduè spectata, vniuersæ Israelitarum Reip. magno, quoad ea durauit, ornamento & emolumẽto, singulis hominibus magno ad virtutem

tem documento, & ad beatitatem adiumento fuit. Illis autem desideratis beneficiorum diuinorũ, quæ perpetua esse debuit, & explicatissima semper constare, memoria ac recordatio in obliuione obscurata ac deleta primùm, statimq́ ab illa patrum grauitate degeneratum est, mox verò Reip. illius integræ splendor impuris moribus obsoleuit. Inde autem ad vana opinionum atque doctrinarum commenta in insanas de natura diuina fabulas, mixtas & perturbatas de religione sententias aberratum, ac demum omnis cùm singularium ac priuatarum, tum publicarum facies rerum in fœdissimam turpitudinem detestabile dedecus, impurissimamq́ labem commutata est. Mortuus Iudic. 2. 8.
est autem Iosue filius Nun, famulus Domini, centum & decem annorum, «
& sepelierunt eum in finibus possessionis suæ in Thamnath-hare in monte «
Ephraim, à Septentrionali plaga montis Gaas. OMNISQVE ILLA GE- «
NERATIO CONGREGATA EST AD PATRES SVOS: & «
surrexerunt alij, qui NON NOVERANT DOMINVM, ET OPERA «
QVÆ FECERAT CVM ISRAEL. Feceruntq́ filij Israel malum in «
conspectu Domini, & seruierunt Baghalim. Ac dimiserunt Dominũ Deum «
patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Aegypti: & secuti sunt deos alie- «
nos, deosq́ populorum qui habitabant in circuitu eorum, & adorauerunt eos: «
& ad iracundiam concitauerunt Dominum, dimittentes eum, & seruien- «
tes Baghal & Astharoth. «

Atque historiæ huius lectione illud obseruatum est, antiquiorem ac potiorem esse apud Deum doctrinæ commendationem, cum beneficentia coniunctam. Hanc verò si hominum peruersitas vel negligat, vel abijciat, correctionis animaduersionisq́ iudicium ac vindictam secundo esse in loco: attamen vel hoc ipsum ad humanæ sanitatis atque vitæ consilium institutumq́ pertinere. S.S.E. Ego scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, Ierem. 29, 11
cogitationes pacis, & non afflictionis, vt dem vobis finem & patientiam. «
& inuocabitis me, & ibitis: & orabitis me, & ego exaudiam vos. «

Verùm enimuero quamquam posterior hæc ratio in vitiorum humanorum remediis ac medicina ponatur, non tamen ea est, quæ malo penitus curato plenam salutem afferat, quàm diu inferior illa ac feminea hominis portio, quam animam dicimus, potiores adhuc partes obtinet, id est, quàm diu Adami veteris soboles viget & propagatur. Namque vt legis in nube, caligine, tonitru ac fulgure latæ & promulgatæ vis, præter eruditionem cum terrore ac metu coniunctam, nihil præterea virtutis auditoris menti addit: ita minarum ac maledictorum, quibus illa vindicatur, sensus & experimentum dolorem quidem inferunt, atque lachrymas excudunt, gemitus clamorésque cient, ad summum, deprecationem extorquent, recti verò propositi pertinaciam ac perseuerentiam planè efficere & constabilire non satis valent: ex eoq́ euenit, vt, quo ad sese malorum importunitate, atque medicamentorum exigua efficacitate vexatum ægrotus homo senserit, proprium nimirũ confessus vitiũ, correctionis in posterum magis profiteatur nomen quàm serium

*suscipiat propositum; votis ornatam deprecationis imaginem externo artificio & fastu suspendat potius, quàm interno cultu exhibeat. S.S.E.* Psal.77, 34. *Cùm occideret eos, quærebant eum: & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eũ.*
» *Et rememorati sunt quia Deus adiutor est eorum: & Deus excelsus redemptor eorum est. Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei: Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius. Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum: & non disperdet eos. Et abundauit vt auerteret iram suam: & non accendit omnem iram suam. Et recordatus est* QVIA CARO SVNT: *spiritus vadens, & non rediens. Nunquam verò beneficiorum diuinorum, quæ perpetua esse debuit, recordatio, memoria, & obseruatio in obliuionis ingratum vitium commutatur sine mentis alienatione & insania quæ in Adami filiis prosperitatis vsum plerumque consequitur. S. S. E.* Psal.48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Atqui mala ea quæ prosperitate fulciuntur, quæq; mentẽ etiam penetrant & opprimunt, durioribus remediis, hoc est, igni ac ferro medendi ratio & ars ipsa, quam Deus maximus medicus exactissimè nouit, curanda docent. S. S. E.* Prou.20,30. *Liuor vulneris absterget mala, & plagas in secretioribus ventris. Quamobrem in huiusmodi locum suo vitio deuenturis hominibus, aptam oportunamq; adhibitum iri curationem, hoc est, mixtam labore, calamitate, plagis, quoad ægrotus demum sentire, ad seseq; reuersus, ac iam insaniam exspuens, diuinam quam neglexerat clementiam, benignitatem, fidem, opemq; implorare posset, Moyses vates ac doctor prædicens monuit.*

Deut.32,15. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.*
» *Prouocauerunt eum in diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt. Immolauerunt dæmoniis, & non Deo, diis quos ignorabant: noui recentesq; venerunt, quos non coluerunt patres eorum.*
» *Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.*
» *Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est: quia prouocauerunt eum filij sui & filiæ. Et ait, Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorum: generatio enim peruersa est, & infideles filij.*
» *Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis: & ego prouocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima deuorabitq; terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet. Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium. Foris vastabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene. Et dixi, Vbinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. Sed propter iram inimicorum*

ream distuli: ne fortè superbirent hostes eorum, & dicerent, Manus nostra «
excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia. Gens absque consilio est, & si- «
ne prudentia. Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. «

Atque huiusmodi prædictionibus consonum consilium ad humanæ peruersitatis ac prauitatis insaniam purgandam, prout ætatis ratio ferebat, instituit Deus. Iratusq; Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientium: qui ceperunt eos, & vendiderunt hostibus qui habitabant per gyrum: nec potuerunt resistere aduersariis suis, sed quocumque pergere voluissent, manus Domini super eos erat, sicut locutus est, & iurauit eis: & vehementer afflicti sunt. Suscitauitq; Dominus Iudices qui liberarent eos de vastantium manibus: sed nec eos audire voluerunt; fornicantes cum diis alienis, & adorantes eos. Citò deseruerunt viam per quam ingressi fuerant patres eorum: & audientes mandata Domini, omnia fecere contraria. Cumq; Dominus iudices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vastantium. Postquam autem mortuus esset iudex, reuertebantur, & multo faciebant maiora quàm fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, seruientes eis, & adorantes illos. Non dimiserunt adinuentiones suas, & viam durissimam, per quam ambulare consueuerant. Hæc summa descriptio hominum ingenij ac sensus legis illius diuinæ, quæ externæ felicitatis promissa obtemperantibus, improbioribus verò pœnarum minitationes & prædictiones affert, nec præter metum, terrorem, & pauorem in animis ac mentibus humanis quicquam præterea egregium ac maximum solet efficere. Quippe quæ in lapideis, non in carneis cordis tabulis primùm scripta editaq; fuerit, &, sicut antea commemorabamus, peccata detegere quidem, indicare, notare, & ad summū dissuadere, non tamen prorsus tollere valuerit. S. S. E. Quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os amaritudine & dolo plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum. Scimus autem quia quæcumque lex loquitur iis qui in lege sunt, loquitur, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Voluit autem Deus hac ratione hominum generi declarari quantum mali ex eorundem vitiis inhæsisset, quòd nec tantæ doctrinæ maiestas & facultas expurgare ac tollere valeret, nedum suæ ipsorum sapientiæ inuenta commenta atque inconstantia perpetuoq; secū pugnantia rerum verborumq; argumenta demere possent. Atque ita nec humana studia iis, qui legem diuinam in tabulis redactam non haberent, nec huius copia iis, quibus contigerat, veræ atque æternæ salutis vsuram concessit: nisi quantum

Iudic. 2, 14.

Rom. 3.

*hæc maiorem, illustriorem, atque expeditiorem sortis conditionisq; suæ cognitionem hominibus attulit, & securitatem eorum, qui sine lege agebant, in curam, suspicionem, atque solicitudinem mutauit: & negligentibus contemptoribusq; in hoc altero ordine grauiores ac plures pœnarum intulit plagas: officium verò suum facientibus clariorem & firmiorem præmij promissionem attulit. S. S. E. Beatus ille seruus, quem, cùm venerit Dominus, inuenerit ita facientem. Verè dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum. Quòd si dixerit ille seruus in corde suo, Moram facit Dominus meus venire; & cœperit percutere seruos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari: veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemq; eius cum infidelibus ponet. Ille autem seruus qui cognouit voluntatē Domini sui, & nō se præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.*

Lucæ 12.

*Equidem quod legis ac doctrinæ illius in tabulis chartisq; traditæ & expositæ rationem & veritatem spectat, sua natura bonum, sanctum, decens, omniq; ex parte commendatione dignissimum erat, nihilq; vani, superuacanei nihil, aut, contra quod requiretur, nihil habebat; vna efficietiæ exceptione adnotata, quòd animos quamquam terrore ac metu afficeret, non tamen in aliam conditionem mutabat ab ea quam offendisset: hoc est, filiorū Adami, Adamoq; simillimorum: quibus quod interiùs agendum præcipiebat lex, durissimum, difficillimum, atque impossibili affine iudicabatur, ob insitā ipsis prauitatis repugnantē malitiam, quæ legi aduersata grauiùs etiam atque impotentiùs, contentioseq; magis peccare deprehendebatur; id quod hominis lege carentis primùm, deinde verò legi addicti persona inducta perspicuè Apostolus indicabat. An ignoratis fratres (scientibus legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit? Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti. Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. sed peccatum non cognoui, nisi per legem. nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam sine lege aliquando. Sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus sum: & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. sed peccatum, vt appareat peccatū, per bonum operatum est mihi mortem: vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. Scimus enim quòd lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor non intelligo. non enim quod volo, bonum,*

Rom. 7, 1.

*bonum, hoc ago: sed quod odi, malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio: consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Hoc itaque caput esse deprehenditur inconstantiæ atque impotētiæ hominum iam contento, iam laxo fune laborantium, cuius rei exemplum illa describit historia, quæ in Iudicum seculis narrandis posita, huiusmodi clauditur fine. In diebus illis non erat Rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. Illud nimirum significante historiæ authore, hominum amentia, præposteroq́ iudicio fieri, vt inconstantia, peruersitas, ac deprauatio morum, cùm singulariter, tum communiter corruptorum, rectoris defectui adscribi soleat; cùm tamen turbatio ista omnis ex ipsa mentis animorumq́ prauitate diuina lege aduersante oriatur. Hoc enim legum atque institutorum vetationibus non semel cautum fuerat. Nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram.*

Iud.21.

## Clementiæ & benignitatis Dei exemplum illustre. CAP. III.

TOTIS *illis Iudicum ætatibus variè affectum hominem adnotauimus, interdum propter noxam impietatemq́ correctum; sæpè etiam optimorum magistratuum studio, cura, & opera Deo reconciliatum, sæpiùs autem in insaniam atque scelera sua reuersum: idq́ adeò non vsquequaque veræ, tamen verisimili causæ datū, nempe rectoris potentissimi defectui, cuius authoritate, reuerentia, ac metu & vitium compesci, & virtuti suus honor tribui posset; cùm tamen in ipsa diuina lege, quæ & singulis priuatè, & cunctis communiter imperata erat, ne quis vltra citráve præscriptum quicquam priuatè aut communiter saperet, vel ageret, cautum ac vetitum fuisset. Præcepítque nobis Dominus vt faciamus omnia legitima hæc, & timeamus Dominum Deum nostrum, vt bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ, sicut est hodie. Eritq́ nostri misericors, si custodierimus & fecerimus omnia præcepta eius corā Domino Deo nostro, sicut mandauit nobis. & iterum, Et facies quodcunque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te* IVXTA LEGEM EIVS. *Sequerisq́ sententiam eorum, neq́ declinabis ad dexteram neq́ ad sinistram.* Deut.6,24. Ibid.17.

*Ne tamen humani ingenij obtusum acumen & insipiens argutia in pietatis officiiq́ defectu, authoris ac principis magni desiderium vlteriùs excusaret, Regis ac Gubernatoris supremi munus eo modo, quem ætates illæ ferre poterant, suscipere exercereq́ Deus voluit, ingenti hominibus beneficio collato,*

*lato, nec tamen grati ac memoris, vti par erat, animi alacritate & obseruantia excepto. Ad eam verò expediendam rem virum creauit ab aluo vsque matris multis & admirandis authoritatis documentis ornatum, & ab infantia gratiæ ac voluntatis diuinæ exemplis frequentißimis non modò spectatum, verùm etiam celebratum, Samuelem nomine, Ephratæm, virum non admodum illustri patria, verùm honestis ac piis parentibus, matreq; sancta ortum, cui diuina consilia tempestatis illius rationem spectantia, & credita, & suis confirmata euentis, manifestè ac publicè cognoscerentur. Atque ita pueri indoles, & adolescentis pubertas maxima spe, summaq; exspectatione ab omni obseruata est populo.* 1 Sam. 3. *Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, & sermo Domini erat pretiosus. in diebus illis non erat visio manifesta. Hoc autem tempore, atque hoc magno oraculorum desiderio, responsa primò Samueli dari cœpta narrantur; eaq; narratio huiusmodi assertione clauditur:* Ibidem. *Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo; & non cecidit » ex omnibus verbis eius in terram: & cognouit vniuersus Israel à Dan vs» que ad Bersabee, quòd fidelis Samuel Propheta esset Domini. Et addidit Do» minus vt appareret in Silo, iuxta verbum Domini. Et euenit sermo Sa» muelis vniuerso Israeli.*

*Nec verò iuris dicendi tantùm causa instructum, doctrinaq; explicandæ peritum, atque adeò populi regendi prudentia dexteritateq; præstantem, omniq; ex parte integerrimũ gubernatorem, virum illũ Deus constituit, verùm etiam rerũ foris gerendarum, atque belli tum sustinendi, tum inferendi arte atque felicitate mirabilem exhibuit, & ad vtrumque actionum genus, omni humano exemplo superiorem præstitit; vtpote vaticinandi sapientia in omnes partes amplificatum, quiq; quidquid ageret, quidquid conficeret, non sibi arrogaret, sed Deo, cuius ipse minister erat, authori ac regi tribuens, acceptum referret. Continuatisq; rerum successibus, & populo securitatẽ suo, & hostibus terrorem ac metum afferret, & præsentis numinis opinionem aleret. S.S.E.* Ibidem c.7. *Ait autem Samuel ad vniuersam domum Israel, dicens: Si » in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio » vestri, & præparate corda vestra Domino, & seruite ei soli, & eruet vos de » manu Philisthiim. Abstulerunt ergo filij Israel Baghalim & Astharoth, » & seruierunt Domino soli. Dixit autem Samuel: Congregate vniuersum » Israel in Masphath, vt orem pro vobis Dominum. Et conuenerunt in Mas» phath, hauseruntq; aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiuna» uerunt in die illa, atque dixerunt ibi, Peccauimus Domino. Iudicauitq; Sa» muel filios Israel in Masphath. Et audierunt Philisthiim quòd congregati » essent filij Israel in Masphath, & ascenderunt satrapæ Philisthinorum ad » Israel. Quod cùm audissent filij Israel, timuerunt à facie Philisthinorum. » Dixeruntq; ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum » nostrum, vt saluet nos de manu Philisthinorũ. Tulit autem Samuel agnum » lactentem vnum, & obtulit eum holocaustum integrum Domino: & clamauit*

*mauit Samuel ad Dominum pro Israele, & exaudiuit eum Dominus. Factum est autem; cùm Samuel offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à filiis Israel. Egreßiq; filij Israel de Masphath, persecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos vsque ad locum qui erat subter Bethchar. Tulit autem Samuel lapidem vnum, & posuit eum inter Masphath & inter Sen: & vocauit nomen loci illius Lapis adiutorij. Dixitq;, Hucusque auxiliatus est nobis Dominus. Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt vltrà vt venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuelis. Et redditæ sunt vrbes quas tulerant Philisthiim ab Israel, Israeli, ab Accaron vsque Geth, & terminos suos: liberauitq; Israel de manu Philisthinorum, eratq; pax inter Israel & Amorrhæum. Iudicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ: & ibat per singulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Masphath, & iudicabat Israelem in supradictis locis. Reuertebaturq; in Ramatha: ibi enim erat domus eius, & ibi iudicabat Israelem: ædificauit etiam ibi altare Domino.*

## De nouo & indigno præposteroque hominum consilio. CAP. IIII.

NEMO *est qui satis mirari queat, vnde illud sit hominibus optimarum ac planè exspectandarum rerum fastidium, nisi idem prauitatem quoque agnouerit, qua humana mens ab eo tempore imbuta fuit, quo suadenti potiùs colubro, quàm Deo iubenti assentiri atque obsequi maluit, & boni ac mali affectatā notitiam vltro vsurpare studuit. Quidnam hominum publicæ ac priuatæ rei in hac mortali vita magis exoptandū fuerat, quid contingere potuerat beatius, quàm vnius Dei consilio regi, virtute defendi & conseruari, atque splendore & maiestate exornari, idq; omni loco, omni tempore, tum domi, tum foris experiri? cum summa aliarum gentium admiratione, summoq; metu, nihil moliri ausarum aduersus populum qui singulari curæ ac tutelæ Numini esse manifestè cognosceretur, iisq; adeò immunibus rerum omnium ac liberis, nihil Regi suo Deo præstantibus, vtpote nullius egenti: id verò effici ministri operâ innocentißimi, vigilantißimi, ac diligentißimi, minimeq; vel populo communiter, vel priuato cuique sumptuosi ac grauis: id quod in publica rogatione communi populi totius confeßione declaratum fuit. Cuius rei exemplum vt rarißimum & felicißimum in terris, ita summis votis perpetuò exoptādum fuerat. Attamen illa Reipubl. facies totis quadraginta ferè annis spectata, sordescere ac displicere cœpit hominis animo, proprij potiùs quàm diuini consilij appetentis, atque in ea etiam re & varij & inconstantis; qui cùm id*

*quod petiit, spernit; repetit, quod nuper omisit: Aestuat, & vitæ disconuenit ordine toto. Atqui huius solemnis insaniæ culpam in aliam potiùs extra se positam personam, quàm in propriæ æquitatis defectum reijcit. Quod enim stultius consilium capi vmquam potuit hominibus, quàm vt, spreto & fastidito Dei viuentis benignißimo & facillimo splendidißimoq; regno, rerum summam & principatum mortali potiùs homini tribui debere censeretur: idq; votis omnibus communi consensu, maximaq; importunitate & contentione efflagitaretur; efflagitatum verò grauibus ac duris, imò difficillimis ac planè seruilibus etiã conditionibus prædictis ac denũciatis admitteretur.*

1 Sam. 8. *Factum est autem cùm senuisset Samuel, posuit filios suos iudices super*
» *Israel. Fuitq; nomen filij eius primogeniti Ioel, & nomen secundi Abia, iu-*
» *dicum in Bersabee. Et non ambulauerunt filij illius in vijs eius: sed declina-*
» *uerunt post auaritiam, acceperúntque munera, & peruerterunt iudicium.*
» *Congregati ergo vniuersi maiores natu Israel, venerunt ad Samuelem in*
» *Ramatha. Dixeruntq; ei: Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijs*
» *tuis: constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent natio-*
» *nes. Displicuitq; sermo in oculis Samuelis, eo quòd dixissent, Da nobis Re-*
» *gem, vt iudicet nos. Et orauit Samuel ad Dominum. Dixit autem Dominus*
» *ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi. non enim*
» *te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Iuxta omnia opera sua, quæ fece-*
» *runt à die qua eduxi eos de Aegypto vsque ad diem hanc; sicut dereliquе-*
» *runt me, & seruierunt dijs alienis, sic faciunt etiam tibi. Nunc ergo vocem*
» *eorũ audi: veruntamen contestare eos, & prædic eis ius regis qui regnaturus*
» *est super eos. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum qui pe-*
» *tierat à se Regem, & ait: Hoc erit ius Regis qui imperaturus est vobis. Fi-*
» *lios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietq; sibi equites & præcur-*
» *sores quadrigarum suarũ, & constituet sibi tribunos & centuriones, & ara-*
» *tores agrorum suorũ, & messores segetum, & fabros armorum & curruum*
» *suorum. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & pa-*
» *nificas. Agros quoque vestros & vineas, & olíueta optima tollet, & dabit*
» *seruis suis. Sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, vt*
» *det eunuchis & famulis suis. Seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes*
» *optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros ad-*
» *decimabit, vosq; eritis ei serui. Et clamabitis in die illa à facie Regis vestri*
» *quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis*
» *vobis Regem. Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt:*
» *Nequaquam; Rex enim erit super nos, & erimus quoque sicut omnes gẽtes:*
» *& iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella no-*
» *stra pro nobis. Et audiuit Samuel omnia verba populi, & locutus est ea in*
» *auribus Domini. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eo-*
» *rum, & constitue super eos Regem.*

De

# De Rege homine, & regni vario vſu.

## CAPVT V.

DIVINO *igitur, ſimplici, placido, minimè ſumptuoſo, nulliq́ ambitioni addicto regno faſtidito & ſpreto, tamquam humani faſtus gloriæ experte, rex deligitur homo naturæ viribus & ingenio ac forma præſtans, in quo nihil humani iudicij elegantia quod exciperet vel requireret, indicare potuit, vtpote cuius partes omnes, Deo ipſo monſtrante, Vati primùm probatæ, ac populo deindè omni collaudatæ fuerint. cum primis etiam ſpecies ipſa, qua homines plerumque capiuntur, imperio digna iudicata fuit: animi virtus & ſponte ſua ingens, &, quod præcipuum eſt, diuinitus adiecto Spiritu auctior & efficacior euaſit: curarū verò & cogitationum ratio (vt ferè in repentinis perſonarum mutationibus fit) ab omni communi & humili vulgariq́ exemplo ad ſublimem & regiā planè meditationem traducta, adeò vt paululo poſtquam à Vate dictus eſt Rex, mores omnino mutauerit, publicè verò appellatus & ſalutatus, apud improbos quoſdam, quibus contemni viſus eſt, regiam authoritatem cum ſapiente temperamento, citraq́ tyrannidis vel leuiſsimam ſuſpicionem comprobauerit. Atque huius tum electi, tum appellati, ſuſcepti, ſalutati, ac demū formidati noui regis narratio latiùs in Samuelis libro cognoſcenda, ſummis rerum ac temporum argumentorúmque capitibus nobis hoc loco recenſebitur.*

*Dominus reuelauerat auriculam Samuelis, ante vnam diem quàm veniret Saul, dicens: Hac ipſa hora, quæ nunc eſt, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum Ducem ſuper populum meum Iſrael: & ſaluabit populum meum de manu Philiſthinorum: quià reſpexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me. Cumq́ adſpexiſſet Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir quem dixeram tibi, iſte dominabitur populo meo. Acceſsit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, & ait: Indica, oro, mihi, vbi eſt domus Videntis. Et reſpondit Samuel Sauli, dicens: Ego ſum Videns. aſcende ante me in excelſum, vt comedatis mecum hodie, & dimittam te manè: & omnia quæ ſunt in corde tuo, indicabo tibi. Et cuius erunt optima quæque Iſrael? nonne tibi, & omni domui patris tui? Reſpondens autem Saul, ait: Nūquid non filius Iemini ego ſum de minima tribu Iſrael, & cognatio mea nouiſsima inter omnes familias de tribu Beniamin? quare ergo locutus es mihi ſermonem iſtum? Cumq́ manè ſurrexiſſent, & iam eluceſceret, vocauit Samuel Saulem in ſolario, dicens: Surge, vt dimittam te. Et ſurrexit Saul: egreßiq́ ſunt ambo, ipſe videlicet & Samuel. Cumq́ deſcenderent in extrema parte ciuitatis, Samuel dicit ad Saul: Dic puero vt antecedat nos, & tranſeat: tu autem ſubſiſte paulisper, vt indicem tibi verbum Domini.* 1 Sam. 9.

*Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius, & oſculatus eſt eum, & ait: Ecce vnxit te Deus ſuper hæreditatem ſuam in principem,* Ibid. 10.

» cipem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum eius, qui in cir-
» cuitu eius sunt. Et hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in principem. Cùm
» abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus
» Beniamin, in Meridie, dicentq; tibi: Inuentæ sunt asinæ, ad quas ieras per-
» quirendas: & intermissis pater tuus asinis, sollicitus est pro vobis, & dicit:
» Quid faciam de filio meo? Cumq; abieris inde, & vltrà transieris, & vene-
» ris ad quercum Thabor, inuenient te tres viri adscendentes ad Deum in
» Bethel, vnus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portãs
» lagenam vini. Cumq; te salutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de
» manu eorum. Post hæc venies in collem Dei, vbi est statio Philisthinorum:
» & cùm ingressus fueris ibi vrbem, obuium habebis gregem Prophetarum de-
» scendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam,
» & citharam; ipsosq; prophetantes. Et insiliet in te Spiritus Domini, & pro-
» phetabis cum eis, & mutaberis in virum alium. Quando ergo euenerint si-
» gna hæc omnia tibi, fac quæcũque inuenerit manus tua: quia Dñs tecum est.
» Itaque cùm auertisset humerum suum, vt abiret à Samuele, mutauit ei
» Deus cor aliud, & venerunt omnia signa hæc in die illa. Veneruntq; ad præ-
» dictum collem, & ecce cuneus Prophetarum obuius ei, & insiluit super eum
» Spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum. Videntes autem omnes
» qui nouerant eum heri & nudiustertius, quòd esset cum Prophetis, & pro-
» phetaret, dixerunt ad inuicem: Quænam res accidit filio Cis? num & Saul
» inter Prophetas? Respondítq; alius ad alium, dicens: Et quis pater eius? ver-
» súmque in prouerbium: Num & Saul inter Prophetas?
» Et conuocauit Samuel populum ad Dominum in Masphat, & ait ad fi-
» lios Israel: Hæc dicit Dominus Deus Israel, Ego eduxi vos de Ægypto, &
» erui vos de manibus Aegyptiorum, & de manu omnium regum qui affige-
» bant vos. Vos autẽ hodie proiecistis Dominum Deum vestrum, qui solus sal-
» uauit vos de vniuersis malis & tribulationibus vestris, & dixistis: Ne-
» quaquam, sed regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per
» tribus vestras, & per familias. Et applicuit Samuel omnes tribus Israel, &
» cecidit sors tribus Beniamin. Et applicuit tribum Beniamin & cognationes
» eius, & cecidit cognatio Metri, & peruenit vsque ad Saul filium Cis. Quæ-
» sierunt ergo eum, & non est inuentus. Et consuluerunt post hæc Dominum
» vtrúmnam venturus esset illuc. Respondítq; Dominus: Ecce absconditus est
» domi. Cucurrerũt itaq; & tulerunt eũ inde: stetítq; in medio populi, & altior
» fuit vniuerso populo ab humero & sursum. Et ait Samuel ad omnẽ populum,
» Certè videtis quem elegerit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni
» populo. Et clamauit omnis populus, & ait: Viuat Rex. Locutus est autem Sa-
» muel ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domi-
» no: & dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam.

At verò hæc vix acta fuerant, cùm nouus, & antea communiter optatus, atque adeò efflagitatus, ac publicè salutatus, nulla adhuc exceptionis inuenta causa,

*causa, nulla culpa, nulla cuiuspiam offensione mortalium, in quorundam hominum odium, aut inuidiam, aut contemptionem venire cœpit: tantum sibi constans ista humani iudicij & studij inconstantia est, vbi diuini timoris ponderibus & authoritate non retinetur, religioneque firmatur. Sed & Saul abiit in domum suam in Gabaa: & abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. Filij autem Beliaghal dixerunt: Num saluare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera.* Ibidem. " " "

*Huiusmodi autem dissidij initia magnam citò publicis ac priuatis hominum rebus perniciem allatura, si vlteriùs fota promouerentur, Deus (cui perpetua erga hominum salutem prospicientia est) opportuno ac præsente atque ex ipsis periculis citato exemplo corrigenda curauit.*

*Et factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit aduersum Iabes-Galaad. Dixeruntque omnes viri Iabes ad Naas: Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi. Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrũ oculos dextros, ponamque vos opprobrium in vniuerso Israel. Et dixerunt ad eum seniores Iabes: Concede nobis septem dies, vt mittamus nuncios ad vniuersos terminos Israel: & si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te. Venerunt igitur nuncij in Gabaa Saulis, & locuti sunt verba hæc audiente populo: & leuauit omnis populus vocem suam, & fleuit. Et ecce Saul veniebat, sequens boues de agro, & ait: Quid habet populus quòd plorat? Et narrauerunt ei verba virorum Iabes. Et insiluit Spiritus Domini in Saul, cùm audisset verba hæc, & iratus est furor eius nimis. Et assumens vtrumque bouem, concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel per manum nunciorum, dicens: Quicunque non exierit, & secutus fuerit Saul & Samuel, sic fiet bobus eius. Inuasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir vnus. Et recensuit eos in Bezec: fueruntque filiorum Israel trecenta millia; virorum autem Iuda triginta millia. Et dixerunt nunciis qui venerant: Sic dicetis viris qui sunt in Iabes-Galaad, Cras erit vobis salus, cùm incaluerit sol. Venerunt ergo nuncij, & nunciauerunt viris Iabes quæ locuti sunt, & dixerunt: Manè exibimus ad vos: & facietis nobis omne quod placuerit vobis. Et factum est, cùm dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes, & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon vsque dum incalesceret dies: reliqui autem dispersi sunt, ita vt non relinquerentur in eis duo pariter.* 1 Sam. 11. " " " " " " " " " " " " " " " " " " " " "

*Atque hoc pacto ex primæ expeditionis tam prospero euentu, quæ iam apud multos laudari cœperat regis authoritas, emendatis rursus studiis firmata est, opinione concepta felicitatis tum Sauli diuinitus adrogatæ, tum etiã Vatis consilio & iam olim perspecta sanctitate & veritate corroboratæ ac declaratæ. Et ait populus ad Samuelem: Quis est iste qui dixit, Saul non regnabit super nos? Date viros, & interficiemus eos. Et ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac: quia hodie fecit Dominus salutem in Israel.* 1 Sam. 11. " "

„ Dixit autem Samuel ad populum: Venite, & eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum. Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, & immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus est ibi Saul, & cuncti viri Israel nimis.

Quamquam verò populus nouarum magis rerum cupiditate, quàm vera causa, Rempub. suam ad regni splendorem redactam & informatam, non sine Dei offensione affectauisset & obtinuisset, eamq; rem repulsæ sibi datæ nomine Deus ipse manifestis documentis ac prodigiis declarasset; modestè tamen ac fideliter de cætero tractatam, & ex legum suarum præscripto gubernatam, non modò toleraturum, verùm etiam numine, consilio, auxilio, atque præsidio suo seruaturum ac promoturum sese recepit; ita vt nullibi terrarum beatiùs, nullibi securiùs ac tutiùs, vel sub regibus ac tribunis, vel sub multorũ optimatium potestate, vel libera viueretur ciuitate, aut regione viseretur. Et timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem: & dixit

1 Sam. 12.

„ vniuersus populus ad Samuelem: Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuũ, vt non moriamur: addidimus enim vniuersis peccatis nostris malũ, vt peteremus nobis regem. Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere, vos fecistis vniuersum malum hoc: verumtamen nolite recedere à tergo Domini; sed seruite Domino in omni corde vestro. Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt. Et nõ derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum: quia iurauit Dominus facere vos sibi in populum. Absit autem à me hoc peccatum in Domino, vt cessem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam & rectam. Igitur timete Dominum, & seruite ei in veritate, & ex toto corde vestro. Vidistis enim magnifica, quæ in vobis gesserit. Quòd si perseuerauerítis in malitia; & vos & rex vester pariter peribitis.

# De populi ac principum insolentia.

## CAPVT VI.

REPREHENSIS à Deo erratis, & clementiæ benignitate ad vtilitatem publicam correctis, noua rursus addita fuêre ex illo propriæ industriæ priuatiq; consilij ferocissimo solo exorta, ex illa nimirum spinarum ac tribulorum fertilissima terra; quæ cùm plurimum compesci atque excoli debuisset ab humana mente, nimia contrà indulgentia non solùm in prauitate à primis temporibus cœpta perstare, sed gliscere, durescere, solidari animaduertitur.

Rerum omnium actionumq; salutem & felicitatem summam in vna ac sola voluntatis iussorumq; Dei obseruatione & cultura consistere, ab ipsis vsque mundi initiis in natura hominumq; rationibus omnibus adnotatum declaratumq; constat. Ordinatione tua perseuerat dies: quoniam omnia seruiunt

Psal. 118.

*niunt tibi. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Spreuisti omnes dis- "*
*cedentes à iudiciis tuis: quia iniusta cogitatio eorum. Nisi quòd lex tua me- "*
*ditatio mea est, tum fortè periissem in humilitate mea. Denique omnia per "*
*Verbum facta: & quæ à Verbo desciuerunt, ad nihilum recidisse diuinæ sa-*
*pientiæ discipulus & interpres asseuerauit.* Ioan. 1.

*Iam homines exoptatum regem & habuerant, & susceperant; atque pri-*
*mò asperiorum rerum periculo commodum experti erant, talemq́ ulteriùs*
*experturos sese diuino oraculo acceperant: ea tamen lege atque omine, vt ne-*
*que ille, neque ipsi à diuinis iussis vel latum, quod aiunt, vnguem deuiarēt,*
*néue à proposito & patente voluntatis Dei limite discederent. Verumtamen* 1 Sam. 12.
*nolite recedere à tergo Domini. Idem autem ipsum & sibi curandum & ob- "*
*seruandum princeps ipse nouus initio cauerat, & constituerat, nihil vide-*
*licet agi præter authoritatem regiam, quæ tamen Vatis monitu, consilio, atq́*
*responso temperanda esset. Quicumque non exierit, & secutus fuerit Saul* Ibid. 11.
*& Samuel, sic fiet bobus eius. Et tamen rex idem idemq́ populus, non exspe- "*
*ctato diuinæ voluntatis oraculo, imò iussu prætermisso & neglecto, priuata*
*de sacris faciendis, deq́ gerendis rebus consilia ineunt atque exsequuntur, ac*
*temeritatem & insolentiam necessitatis nomine ac iure defendere student.*

*Cùm primùm de voluntate Dei erga se certior fieret Saul, ne quid non*
*præsente, atque diuinum consilium declarante Vate occiperet, monitus ac ius-*
*sus fuerat; eamq́ obseruantiam publicis rebus, felicitati, & sui ipsius, fami-*
*liæq́ suæ splendoris ac decoris perpetuitati futuram esse audierat. Et descen-* Ibid. 10.
*des ante me in Galgala: ego quippe descendam ad te, vt offeras oblationē, & "*
*immoles victimas pacificas. Septem diebus exspectabis, donec veniam ad te, "*
*& ostendam tibi quid facias. Quod præceptum studiosè retentum & reli-*
*giosè obseruatum oportuerat: tamen propter vulgi exiguæ moræ impatientis*
*improbitatem, princeps etiam ipse nihilo sapientior violauit. Cuius temeri-*
*tatis exemplum illa commemoratur historia: Et Philisthiim congregati sunt* Ibid. 13.
*ad prœliandum contra Israel, triginta millia curruum, & sex millia equi- "*
*tum, & reliquum vulgus, sicut arena quæ est in littore maris plurima. Et "*
*adscendētes castrametati sunt in Machmas, ad Orientem Beth-auen. Quod "*
*cùm vidissent viri Israel se in arcto positos, (afflictus enim erat populus) abs- "*
*conderunt se in speluncis, & in abditis, in petris quoque & in antris, & "*
*in cisternis. Hebræi autem transierunt Iordanem in terra Gad & Galaad. "*
*Cumq́ adhuc esset Saul in Galgala, vniuersus populus perterritus est, qui se- "*
*quebatur eum. Et exspectauit septem diebus iuxta placitum Samuelis, & non "*
*venit Samuel in Galgala, dilapsusq́ est populus ab eo. Ait ergo Saul: Afferte "*
*mihi holocaustum, & pacifica. Et obtulit holocaustum. Cumq́ complesset, of- "*
*ferens holocaustum, ecce Samuel veniebat: & egressus est Saul obuiam ei, vt "*
*salutaret eum. Locutusq́ est ad eum Samuel: Quid fecisti? Respondit Saul: "*
*Quia vidi quòd populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos "*
*dies, porrò Philisthiim congregati fuerant in Machmas, dixi: Nunc descen- "*

dent

„ dent Philisthiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placaui, necessi-
„ tate compulsus obtuli holocaustum. Quo responso & necessitatem excusabat,
& pietatis prætexebat studium. Quàm verò ineptè atq; insipienter vtrum-
„ que allegauerit, Vatis responso arguitur. Dixitq; Samuel ad Saul: Stultè
„ egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si
„ non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in
„ sempiternum; sed nequaquam regnum tuum vltrà consurget.

Igitur hæc regni omnibus regiis partibus ex humani iudicij sententia instructi prima experientia fuit; scilicet à Dei præcepto & instituto ad propriam industriam priuatumq; consilium desciscere, & tamen religionis ac pietatis, vtilitatisq; publicæ profiteri nomina: id verò quanto errore, imò nefario scelere & ausu factum fuerit, exitus coarguit, nimirum diuini offensa numinis, & ipsius principis non ita pridem delecti, ornati, & amplificati repudiatio, regijq; apicis ad humiliorem quidem ex vulgi sensu, Dei autem

Ibidem. iudicio potiorem & præstantiorem virum translatio. Quæsiuit Dominus
„ sibi virum iuxta cor suum: & præcepit ei Dominus vt esset dux super popu-
„ lum suum, eo quòd non seruaueris quæ præcepit Dominus.

## De maturata regis abdicatione propter nouum peccatum. CAP. VII.



ECCE verò nouum ac nefarium contra ius contraq; fas consilium à rege facinus, & tamen humanæ sapientiæ acumine & ingenioso inuento ita coloratum, vt cùm voluntariè susceptum non diffiteatur author, tamen prudenter, rectè, purè, ac piè factum contendere non dubitet, ac dignum etiam in quo ipse glorietur, nec modò non veniam sibi poscat, sed ab hominibus laudē, à Deo præmia mereri videatur. Neque verò huic rei, huic consilio atque facto qui vtroque pollice fauerent, defuisse certum est, populum nimirum cunctum, qui proni ad superstitionem & priuata consilia ineunda, principis sententiis subscriberent, & facti sese ministros præberent. Atqui res hæc quemadmodum fuerit à Deo cōstituta, & hominum iudicio, ausu, & corrigendi studio corrupta, narrabitur.

1 Sam. 15. Et dixit Samuel ad Saul: Me misit Dominus vt vngerem te in regem
„ super populum eius Israel: NVNC ERGO AVDI VOCEM DOMI-
„ NI: Hæc dicit Dominus exercituum, Recensui quæcunque fecit Amalec
„ Israeli: quomodo restitit ei in via cùm adscenderet de Aegypto. Nunc ergo
„ vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius: non parcas ei, & non
„ concupiscas ex rebus ipsius aliquid; sed interfice à viro vsque ad mulierem,
„ & paruulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum. Præce-
„ pit itaque Saul populo, & recensuit eos quasi agnos: ducenta millia peditum,
„ & decem millia virorum Iuda. Cumq; venisset Saul vsque ad ciuitatem

Amalec, tetendit insidias in torrente. Dixitq; Saul Cinæo, Recedite, atque "
discedite ab Amalec: ne fortè inuoluam te cum eo. tu enim fecisti misericor- "
diam cum omnibus filiis Israel, cùm adscenderet de Aegypto. Et recessit "
Cinæus de medio Amalec. Percussitq; Saul Amalec ab Heuila, donec ve- "
nias ad Sur, quæ est è regione Aegypti. Et apprehendit Agag regem Amalec "
viuum: omne autem vulgus interfecit in ore gladij. Et pepercit Saul & om- "
nis populus Agag, & optimis gregibus ouium & armentorum, & vestibus, "
& arietibus, & vniuersis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea: "
quidquid verò vile fuit & reprobum, hoc demoliti sunt. "

Quid à Deo Sauli, ac per Saulem populo, Samuele interprete mandatum fuisset, clarè narrauit historia: quantum verò ex illo omni mandato exceptum fuerit, apertè expositum est: scilicet regis vitæ vel clementiæ nomine, vel gloriæ ac triumphi causa consultum, armentorum gregumq; optimis parcitum, & pretiosissimis pulcherrimisq; tum natura, tum artificio rebus indultum: neque verò id sine plausibili ratione, saltem honesta oratione, immo religiosa defensione factum putari conuenit, quo alia propter elegantiã seruatu & custoditu digna censerentur; vt quæ vel specie ipsa placerent, & seruata nocerent nemini, destructa verò nullo perirent vsu: alia verò non solùm populo vtilia forent, sed etiam ad pietatis Deiq; cultum commodissimè vsurpari possent, immo postularent ipsa, atque adeo gratulationi & supplicationibus diuinis deberentur; & meliori notæ apponendum esset, si, quæ ab impiis possessoribus ope auxilioq; Dei erepta fuerant, Deo ipsi potiùs accepta, relata, ac dicata consecrarentur: ita improbitatis ac potiùs impietatis priuati ac proprij consilij commentis & superstitiosis inuentis sanctum pietatis nomen imponere, & gloriæ, laudis, cultusq; Dei studium prætexere, humana sapiẽtia nouit. Id verò quàm à veræ pietatis ratione, ritu, & vsu alienũ, quàm nefarium, quamq; Deo ingratum inuisumq; euadat, idem Vates docuit.

Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens: Pœnitet me quòd Ibidem.
constituerim Saul regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non com- "
pleuit. Contristatusq; est Samuel, & clamauit ad Dominum tota nocte. "
Cumq; de nocte surrexisset Samuel, vt iret ad Saul manè, nunciatum est "
Samueli eo quòd venisset Saul in Carmelum, & erexisset sibi fornicẽ trium- "
phalem, & reuersus transisset; descendissetq; in Galgala. Venit ergo Samuel "
ad Saul, & Saul offerebat holocaustum Domino de initiis prædarum quæ "
tulerat ex Amalec. Et cùm venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul: Benedi- "
ctus tu Domino, impleui verbum Domini. Et dixit Samuel, Et quæ est hæc "
vox gregum quæ resonat in auribus meis, & armentorum quam ego audio? "
Et ait Saul, De Amalec adduxerũt ea: pepercit enim populus melioribus oui- "
bus & armentis, vt immolarẽtur Domino Deo tuo, reliqua verò occidimus. "
Ait autem Samuel ad Saul, Sine me, & indicabo tibi quæ locutus sit Domi- "
nus ad me nocte. Dixitq; ei, Loquere. Et ait Samuel, Nónne cùm paruulus "
esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? vnxitq; te Dominus "

*in regem super Israel, & misit te Dominus in viam, & ait: Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos vsque ad internecionem eorum. Quare ergo non audisti vocem Domini; sed versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini? Et ait Saul ad Samuelem, Imò audiui vocem Domini, & ambulaui in via per quam misit me Dominus, & adduxi Agag regem Amalec, & Amalec interfeci. Tulit autem de præda populus oues & boues, primitias eorum quæ cæsa sunt, vt immolarent Domino Deo suo in Galgalis.*

*Ita res omnes confundere, ac diuina humanis miscere, & proprium consilium atque priuata ad suum commodum inuenta, vel cupidè, vel ambitiosè & gloriosè excogitata, voluntatem cultumq́; Dei interpretari hominum ingenium nouit, eademq́; magnificis consecrare verbis consueuit. Primitias, inquit, eorum quæ cæsa sunt, vt immolarēt Domino. Verùm huiusmodi quæ fuerint omnia alia præter mentem voluntatemq́; suam, quamquam aliis vera ac pia dicantur, tamen Deus impietatis nota condemnare solet. Et ait Samuel,*
Ibidem. *Numquid Deus vult holocausta & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini?* MELIOR EST ENIM OBEDIENTIA QVAM VICTIMÆ: *& auscultari magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo ergo quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex. Ergo iste humanæ gloriæ exitus perpetuò exspectandus, vt qui se hominibus popularem præbere ac probare studuerit, quamuis pietatis nomen suis optionibus & consiliis prætendere curet, diuino tamen iudicio impietatis & sceleris damnatus euadat; nec illud modò quod affectabat, non assequatur, verùm etiam iis exspolietur ornamentis, quibus ex diuini beneficij gratia fuerat affectus, & violati obsequij pœnas demum luat. Id quod vel rex iste iam abdicatus iustè in sese decretum confitetur.*
Ibidem. *Dixitq́; Saul ad Samuelem, Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum. Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, & reuertere mecum vt adorem Dominum. Et ait Samuel ad Saul, Non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, & proiecit te Dominus ne sis rex super Israel. Et conuersus est Samuel vt abiret: ille autem apprehendit summitatem pallij eius, quæ & scissa est. Et ait ad eum Samuel, Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo, meliori te. Porrò Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur; neque enim homo est vt agat pœnitentiam. At ille ait, Peccaui: sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuum. Reuersus ergo Samuel, secutus est Saulem: & adorauit Saul Dominum. Quod vel vnicum exemplū, præter alia quamplurima, satis superq́; esse poterat ad cognoscendum quantum sibi mali pariat humanus animus, vbi à cognita & declarata voluntate Dei ad suam ipsius electionem traducitur: cui malo vltro ac sponte obito, difficillimus*

*unum repertu remedium fore, vel negari prorsus Dei iudicio, ea quæ subiunguntur declarant. Abiit autem Samuel in Ramatha: Saul verò descendit in domum suam in Gabaa. Et non vidit Samuel vltrà Saul vsque ad diem mortis suæ. Veruntamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnituit, quòd constituisset regem Saul super Israel.* Ibidem.

# Deum salutis publicæ gratia hominum rebus, quantum præsens ferre valeat conditio, rectè & oportunè consulere.

## CAPVT VIII.

CONCESSO *iam & constituto hominibus notabili ac manifestè diuina authoritate eademq; rursus repudiato primo rege, qui iudicio vulgi præstantissimus putabatur, nouum sufficiendum sibi regem Deus comparauit; qui quantum à viro bono, Adami tamen conditionem nondum superante, exspectari posset, efficeret, & in regno prudenter, feliciter, & innocenter administrando, quàm proximam inculpatissimæ personam tueretur: & eadem operâ imaginem repræsentaret regis illius veri, quem ad communem generis beatitatem præstandam admirando consilio ab initio decretæ salutis Deus adornabat. Ex eadem namque tribu ac familia illum æternum arcani regni principem & authorem exstiturum indicare cœpit, ex qua hunc, Samuele interprete ac ministro, populo suo Israeli præficiendum deligebat.*

*Dixitq; Dominus ad Samuelem, Vsquequo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum ne regnet super Israel? Imple cornu tuũ oleo, & veni, vt mittam te ad Isai Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi regem. Et ait Samuel, Quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait Dominus, Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices, Ad immolandũ Domino veni. Et vocabis Isai ad victimam, & ego ostendam tibi quid facias, & vnges quemcunque monstrauero tibi. Fecit ergo Samuel sicut locutus est ei Dominus. Venitq; in Bethlehem, & admirati sunt seniores ciuitatis, occurrentes ei, dixeruntque: Pacificúsne est ingressus tuus? Et ait, Pacificus: ad immolandum Domino veni: sanctificamini, & venite mecum vt immolem. Sanctificauit ergo Isai & filios eius, & vocauit eos ad sacrificiũ. Cumq; ingressi essent, vidit Eliab; & ait: Num coram Domino est christus eius? Et dixit Dominus ad Samuelem, Ne respicias vultum eius, nec altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor. Et vocauit Isai Abinadab, & adduxit eum coram Samuele. Qui dixit, Nec hunc elegit Dominus. Adduxit autem Isai Samma: de quo ait, Etiam hunc non elegit Dominus. Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele: & ait* 1 Sam. 16.

» Samuel ad Isai, Non elegit Dominus ex istis. Dixitq; Samuel ad Isai, Nunquid iam completi sunt filij? Qui respondit, Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues. Et ait Samuel ad Isai, Mitte, & adduc eum: nec enim discumbemus priùs quàm huc ille veniat. Misit ergo, & adduxit eum. Erat autem rufus, & pulcher adspectu, decoraq; facie. & ait Dominus: Surge, & vnge eum: ipse est enim. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum de medio fratrum eius: & directus est Spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps: surgensq; Samuel abiit in Ramatha. Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino. Dixerúntque serui Saul ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te. Iubeat dominus noster, & serui tui qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cithara; vt quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, & leuiùs feras. Et ait Saul ad seruos suos, Prouidete ergo mihi aliquem bene psallentem, & adducite eum ad me. Et respondens vnus de pueris, ait: Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem, scientem psallere, & fortißimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum: & Dominus est cum eo. Misit ergo Saul nuncios ad Isai, dicens: Mitte ad me Dauid filium tuum, qui est in pascuis. Tulit itaque Isai asinū plenum panibus, & lagenam vini, & hædum de capris vnum, & misit per manum Dauid filij sui Sauli. Et venit Dauid ad Saul, & stetit corā eo: at ille dilexit eum nimis, & factus est eius armiger. Misitq; Saul ad Isai, dicens: Stet Dauid in conspectu meo: inuenit enim gratiam in oculis meis. Igitur quandocunque spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuiùs habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.

*Tot naturæ, ingenij, ac dexteritatis partibus præditum, atque etiam optimis artibus ad miraculum vsque instructū, &, quod maximum erat, diuino Spiritu auctū, Deo atque hominibus, vel tetricis, gratißimum, cui rectè gerendarum rerum committeretur summa, delectum, sacra carmina identidem celebrant: atque hoc argumento diuinam erga hominum genus curam perpetuámque prospicientiam laudibus aßiduis prosequuntur.*

Psal. 88. Misericordias Domini in æternum cantabo. In generationem & generationem annunciabo veritatem tuam in ore meo. Quoniam dixisti, In æternum misericordia ædificabitur in cælis, præparabitur veritas tua in eis.
» Disposui testamentum electis meis, iuraui Dauid seruo meo; Vsque in æternum præparabo semen tuum. Et ædificabo in generationem & generationem sedem tuam. Tunc locutus es in visione sanctis tuis, & dixisti: Posui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea.
» Inueni Dauid seruum meum: oleo sancto meo vnxi eum.
» Manus enim mea auxiliabitur ei: & brachium meum confortabit eum.
» Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non apponet nocere ei.
» Et concidā à facie eius inimicos eius: & odientes eū in fugam conuertā.

*Et veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.* " Atque regni regisq; tot modis beati ac felicis copiam " totis quadraginta annis hominibus factam, tamen quorũdam superbia, aliorum fastidio, nonnullorum arrogantia, & vitiosis offensionibus ac satietate improbè, ingratè, & impiè sæpe sæpius tentatam, ac tantùm non omnino repudiatam accepimus; & non ab imperij æmulis tantummodo, verùm à familiaribus ac propinquis, atque adeò à propriis liberis in maximum discrimen & periculum adductam: sed ea res istud solum efficit, vt humanæ mentis prauitatem, inconstantiam, importunitatem, & ad suum malum sibi pariendum perpetuam industriam proderet; rursusq; longißimè diuersam Dei humanum seruare ac beare genus tendentis, & fouentis mentem, rationem, & efficientiam, constantiamq; comprobaret. S. S. E. Audite ergo domus Israel, Nũquid via mea non est æqua, & non magis viæ vestræ prauæ sunt? " Ezech. 18.

Quod ingenium propositumq; suum Deus ipse apud alium Vatem professus, ait: Ego Dominus, & non mutor, & vos filij Iaacob non estis consumpti. Malach. 3.

A diebus enim patrum vestrorum receßistis à legitimis meis, & non custodistis. " Atque ita, quamuis multis incommodorum difficultatibus infestatus, inimicitiarum periculis agitatus, externis bellis exercitatus, domesticis seditionibus, imò coniurationibus tentatus, regni tamen clauum adusque supremum vitæ diem tenuit, & gubernacula Reip. diligenter, fideliter, innocenterq; tractauit, vnica culpa excepta, quæ hominem tamen esse arguit, & ad pœnitentiæ grauißimum exemplũ ex occasione excitauit. Cætera verò Deo gratus, & hominũ omnium memoriæ cũ perpetua laudis admiratione commendatus exceßit. Atque adeò externi regni fidem & constantiam in gente posteritateq; sua (quoad illius Reip. status duraret) confirmauit: arcani verò atque æterni imperij principem dictatoremq; perpetuum vnum quendam ex posteris suis demum exstiturum, non semel tantùm repetitis responsis accepit. Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius. Psal. 88.

Ipse inuocauit me, pater meus es tu: Deus meus, & susceptor salutis meæ. "

Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ. In æternum seruabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi. " "

Et ponam in seculum seculi semen eius, & thronum eius sicut dies cæli. "

Dormiuit igitur Dauid cũ patribus suis, & sepultus est in ciuitate Dauid. 3 Reg. 2.

Dies autem quibus regnauit Dauid super Israel, quadraginta anni sunt: in " Hebron regnauit septem annis, in Ierusalem triginta tribus annis. Qui fe- " cit rectum in oculis Domini, & non declinauit ab omnibus quæ præceperat " ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Hethæi. "

# De varia & instabili rerum facie, ex principum populique inconstantia, & mutabilitate mentis atque morum.

## CAPVT IX.



*HVMANVM genus quàm diu rem ipsam, ad quam à Deo destinatum est, non obtinet, sed rei tantùm figuram & imaginem retinet; hoc est, Adami illius primi parentis naturam tuetur; nullo rerum loco, nullo commendabili statu diu permanet, propter continuam illam pugnam & contentionẽ interioris exteriorisq́ hominis, nempe maris ac feminæ; illius quidem meliora videntis ac probantis efficeréque conati, huius viro deteriora, vt sibi ad tempus magis grata, affectantis, & ex antiqua viri in se indulgentia, atque inde nata insolentia perurgentis, ac sæpe sæpius extorquentis. quæ res in causa est, vt nemini secum de bonorum ac malorũ ratione, optione, ac finibus diutius conueniat, & ex consequenti nullam certam ac perpetuam cum alio quopiã de vero atque honesto concordiam communem ita habeat, vt semper conseruandam statuat. Ex quo fit, vt quæ diuinitus ad hoc malum curandum comparata sunt remedia, hoc est, sanctarum legum documenta, vel repudientur aut contaminentur primùm, deinde alia quærantur, vel cum his commixta, vel ab his aliena, quæ demum nihil prodesse, imò plurimum obesse deprehensa abiiciantur, aliisq́ ex eodem spinas ac tribulos suggerente agro petitis mutentur; rursusq́ aliis istorũ succedentibus loco, omnibusq́ frustra tentatis, dementiæ atque insolentiæ morbus ad corruptionem procedens, mortem ipsam hominum maturare ac properare cogat, ex qua morte humanarum rerum cùm priuatarum tum publicarum calamitatem, perniciem, ac dissipationem consequi necesse est.*

*Dauidi regno ac vita pariter defuncto, filius successit, non vulgaris exempli vir, sed ab ineunte ætate omnium quos terra vmquam tulerit hominum diuino ac singulari beneficio sapientissimus; qui & authoritate ac prudentia regnum feliciter administrare, & sapientia atque consilij opinione iis, qui foris essent, regibus ac populis vel gratus, vel formidatus esse potuit. idem etiam opum diuitiarumq́ magnitudine, nulli ex iis qui antea fuerant, nulli ex posteris comparãdus, Rempub. suam ita ornauit, vt pacis & quietis, quod ipsum illius profitebatur nomen, æternum æui sui statuerit monimentum. Tamen nihilominus in principe hoc, quem humanum iudiciũ felicissimum pronunciauerat, multa excepta peccata, quamplurima diuino iudicio deprehensa sunt errata; quæ vt regni integritas tum summa comminueretur, & diuisa dissidiis ac discordiis pessundaretur, ac tandem dissiparetur, commeruerunt. De priori parte, hoc est, de illius beatitatis testimonio & encomio ita scriptum legimus:*

Vident

*Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, & cibos mensæ eius, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium, vestesq́ eorum, & pincernas, & holocausta quæ offerebat in domo Domini: non habebat vltrà spiritum; dixitq́ ad regem: Verus est sermo quem audiui in terra mea super sermonibus tuis, & super sapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probaui quòd media pars mihi nunciata non fuerit: maior est sapientia & opera tua, quàm rumor quem audiui. Beati viri tui, & beati serui tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israel, eo quòd dilexerit Dominus Deus Israel in sempiternum, & constituit te regem, vt faceres iudicium & iustitiam.* 3 Reg. 10.

*Verùm enimuero eiusdem viri exemplo manifestum est humanæ sapientiæ summam à diuino Spiritu seiunctam, hominum beatitati æternũ fundamentum iacere & confirmare non posse, propter illam interioris cum exteriore homine discrepantiam, quæ, nisi Dei singulari efficientia compenatur, varias & multiplices in vita importunitates habet, variosq́ temporum ac rerum minatur casus: & sapientiam illam arcanam Dei ab omni sapientiæ ac scientiæ humanæ comparatione longè distare demonstrat. Siquidem Salomoni sapientiæ donum à Deo concessum, iis terminis definitum legimus, qui intra humanum captũ statui possent, neque cuiquam præterea hominum antea aut postea concessi fuerint; non autem rationibus illis admirandis, quas cum perfectissimis hominum, hoc est, cum iis qui Spiritu Dei aguntur, communicatas legimus.*

*Postulauerat quidem vir hic sapientiam à Deo, tamen non illam planè diuinam, quam perfectum donũ datumq́ optimum Iacobus Apostolus appellat; sed eam tantùm quæ ad mundi ac rerum partes cognoscendas, & hominum cœtus regendos faceret. Cuius postulati huiusmodi exemplum fuit: Et nunc Domine Deus, tu regnare fecisti seruum tuũ pro Dauid patre meo: ego autem sum puer paruulus, & ignorans egressum & introitum meũ, & seruus tuus in medio est populi quem elegisti, populi infiniti, qui numerari & supputari non potest præ multitudine. Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populũ tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malũ. quis enim iudicare posit populum istũ, populum hunc multum? Placuit ergo sermo coram Domino, quòd Salomon postulasset huiuscemodi rẽ. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorũ; sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc quæ non postulasti, dedi tibi: diuitias scilicet & gloriam, vt nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retrò diebus. Igitur euigilauit Salomon, & intellexit quòd esset somnium: cumq́ venisset* Iacobi 1. 3 Reg. 3.

Ierusa-

» *Ierusalem, stetit coram arca fœderis Domini, & obtulit holocausta, & fe-*
» *cit victimas pacificas, & grande conuiuium vniuersis famulis suis.* Atqui non ea tantùm quæ ad populos gubernandos cõferrent, verùm etiam ea quæ mundi ornatum ac rerum spectarent naturas, id est, cognitionem omnem, quam philosophiæ nomine humani sapientes definiunt, viro huic diuino munere constitisse, innumeræ disputationes, & varia ab eodem relicta scripta declararunt.

3 Reg. 4. *Deditq́ Dominus sapientiam Salomoni, & prudentiam mul-*
» *tam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in littore maris. Et*
» *præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omniũ Orientalium & Aegy-*
» *ptiorum: & erat sapientior cunctis hominibus; sapientior Ethan Ezrahite,*
» *& Eman, & Chalcol, & Dorda filiis Mahol: & erat nominatus in vni-*
» *uersis gentibus per circuitum. Locutusq́ est Salomon tria millia parabolas:*
» *& fuerunt carmina eius quinque millia. Et disputauit super lignis à cedro*
» *quæ est in Libano, vsque ad hyssopum quæ egreditur de pariete: & disseruit*
» *de iumentis, volucribus, reptilibus, & piscibus. Et veniebant de cunctis po-*
» *pulis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab vniuersis regibus terræ,*
» *qui audiebant sapientiam eius.* Nec tamen eum, cui eiusmodi scientiæ & cognitionis naturalium humanarumq́ rerum copia suppetit (quamquam id rarissimi exempli, atque vni cuipiam homini, vt Salomoni, tribuendi) vera ac summæ pariter sapientiæ consequitur facultas.

Iob. 28. *Habet argentũ venarum*
» *suarum principia, & auro locus est in quo conflatur. Ferrum de terra tolli-*
» *tur: & lapis solutus calore, in æs vertitur. Tempus posuit tenebris, & vni-*
» *uersorum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis, & vmbram mor-*
» *tis. Diuidit torrentem à populo peregrinante, eos quos oblitus est pes egentis*
» *hominis & inuios. Terra de qua oriebatur panis in loco suo, igni subuersa*
» *est. Locus sapphiri lapides eius, & gleba illius aurum. Semitam ignorauit*
» *auis, nec intuitus est eam oculus vulturis. Non calcauerunt eam filij institto-*
» *rum, nec pertransiuit per eam leæna. Ad silicem extendit manum suam,*
» *subuertit à radicibus montes. In petris riuos excidit, & omne pretiosum*
» *vidit oculus eius. Profunda quoque fluuiorum scrutatus est, & abscon-*
» *dita in lucem produxit. Sapientia verò vbi inuenitur? & quis est locus in-*
» *telligentiæ? Nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter*
» *viuentium. Abyssus dicit, Non est in me: & mare loquitur, Non est me-*
» *cum. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in*
» *commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sar-*
» *donico pretiosissimo, vel sapphiro. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum,*
» *nec commutabuntur pro eo vasa auri. Excelsa & eminentia non memora-*
» *buntur comparatione eius: trahitur autem sapientia de occultis. Non ad-*
» *æquabitur ei topazius de Aethiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur.*
» *Vnde ergo sapientia venit? & quis locus intelligentiæ? Abscondita est*
» *ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cæli latet. Perditio & mors*
» *dixerunt, Auribus nostris audiuimus famam eius. Deus intelligit viam*
*eius,*

*eius, & ipse nouit locum illius. Ipse enim fines mundi intuetur: & omnia* "
*quæ sub cælo sunt, respicit.* Huius sapientiæ præstantissimum donum iis, "
quos ad se Deus admirabili efficientia pertractos filios adoptarit ac perfecerit, abunde præstitam iidem ipsi mutua communicatione lætabundi gratulantur. *Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius seculi, neque principum huius seculi, qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ absconditа est, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum huius seculi cognouit: si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed S. S. E. Quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum. Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Quo spiritu quia nondũ auctus fuerat sapiens ille Salomon, nihil vltra hominem præstitit, hominem verò eiusmodi egit, quem non semel suæ conditionis pœnituerit. *Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Ierusalem, & mens mea contemplata est multa sapienter; & didici, dediq́ cor meum vt scirem prudentiam atq́ doctrinam, errorésq́ & stultitiam: & agnoui quòd in his quoque esset labor, & afflictio spiritus, eo quòd in multa sapientia multa sit indignatio, & qui addit scientiam, addit laborem.* Atqui huiusmodi sapientia non planè homines beatos reddi, integros, probos, & in quibus nihil possit requiri, nihil excipi eorũ nominum, quibus pietas purè definitur, manifestis & miserandis atque adeò pudendis viri eiusdem exemplis arguitur. *Rex autẽ Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiã quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Cethæas: de gẽtibus super quibus dixit Dominus filiis Israel: Nõ ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissimè enim auertent corda vestra vt sequamini deos eorum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore. Fuerúntque ei vxores quasi reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ: & auerterunt mulieres cor eius. Cumq́ iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur deos alienos: neque erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius. Sed colebat Salomon Astarthen deam Sidoniorum, & Chamos deum Moabitarum, & Moloch idolum Ammonitarum. Fecitq́ Salomon quod non placuerat coram Domino, & non adimpleuit vt sequeretur Dominum, sicut Dauid pater eius. Tunc ædificauit Salomon phanum Chamos idolo Moab, in monte qui est contra Ierusalem, & Moloch idolo filiorum Ammon. Atque in hunc modum fecit vniuersis vxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant diis suis.*

1 Cor. 2. — Eccles. 1. — 3 Reg. 11.

Quantum diuitiæ, opes, quantum his præstans humana sapientia confi-

cere malorum poßit; imò & ſoleant, vbi à diuini iußi religioſa obſeruantia ad proprij commodi aut honoris, ac denique conſilij & inuenti ſtudium deſciuerint, vel vnico viri huius exemplo manifeſtè deprehenditur: qui duabus rebus, nulli reprehenſioni obnoxiis, ſi naturam ſpectemus, hoc eſt, ſapientia & potentia, ad priuatum ingenij abuſum traductis, eum, à quo omnia acceperat, infenſum ſibi cum primis reddidit, & promiſſæ ſibi poſteriſq; ſuis amplitudinis maieſtatiſq; ſtatum ita turbauit, vt penè totum labefecerit, vna aut altera tantùm ex duodecim tribubus parte excepta; quam tamen non merito ſuo arrogare, ſed clementiæ bonitatiq; Dei acceptam referre debuit; Dei, inquam, ſuum de publica hominum ſalute conſilium hoc pacto fouentis, &

Pſal. 131. promiſſum Dauidi patri factum firmantis ac promouentis. *Iurauit Do-*
„ *minus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum: De fructu ventris tui*
„ *ponam ſuper ſedem tuam. Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meũ, & teſti-*
„ *monia mea hæc quæ docebo eos: Et filij eorũ vſque in ſeculum ſedebunt ſuper*

Pſal. 88. *ſedem tuam.* Rurſus etiam: *Ipſe inuocabit me, Pater meus es tu, Deus meus,*
„ *& ſuſceptor ſalutis meæ. Et ego primogenitum ponam illũ, excelſum præ re-*
„ *gibus terræ. In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam: & teſtamen-*
„ *tum meum fidele ipſi. Et ponam in ſeculum ſeculi ſemen eius: & thronum*
„ *eius ſicut dies cæli. Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iu-*
„ *diciis meis non ambulauerint: Si iuſtitias meas prophanauerint, & man-*
„ *data mea non cuſtodierint: Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in ver-*
„ *beribus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo,*
„ *neque nocebo in veritate mea. Neque prophanabo teſtamentum meum: &*
„ *quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Semel iuraui* IN SANCTO
„ MEO, *ſi Dauid mentiar: ſemen eius in æternũ manebit. Et thronus eius ſicut*
„ *ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternũ, & teſtis in cælo fidelis.*

3 Reg. 11. *Igitur iratus eſt Dominus Salomoni, quòd auerſa eſſet mens eius*
„ *à Domino Deo Iſrael, qui apparuerat ei ſecundò, & præceperat ei de ver-*
„ *bo hoc, ne ſequeretur deos alienos, & non cuſtodiuit quæ mandauit ei*
„ *Dominus. Dixit itaque Dominus Salomoni, Quia habuiſti hoc apud te, &*
„ *non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi; diſrũpens*
„ *ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo. Verumtamen in diebus tuis*
„ *non faciam, propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui ſcindam illud.*
„ *Nec totum regnum auferam, ſed tribum vnam dabo filio tuo, propter Dauid*
„ *ſeruum meum, & Ieruſalem quam elegi.* Atque humanæ quamuis maximæ ſapientiæ, ſibi tamen indulgentis, huiuſmodi exemplum exſtitit, & exſtabit, cui vel tanta, vel minor etiam facultas fuerit diuini præſcripti obſequio nõ temperata, vt nullo pacto quiſquam de ſe ſibi promittere poßit, quod ad veram felicitatem propria induſtria aut ſolertia efficiendũ pariendumq; proficiat. Namque huius vnicum authorem Deum qui non cognouerit, aut poſtulauerit, ſecutuſq; fuerit, cum maximo labore immenſiſq; curis meram vanitatem, denſißimaſq; tenebras ſibi molitum ſeſe tandem ſentiet, vt idem

illę

*ille, cuius partes modo discußimus, ingenuè confessus est: Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole? Id quod ab huius viri patre Dauide sapienter traditum, & ad hominum doctrinam decantatum est: Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris.* Eccles. 1. Psal. 126.

*Nec verò proposito institutoq́; nostro alienum fuerit, templum illud toto terrarum orbe celeberrimum obiter commemorare; quod maximo sumptu, summa ac significantißima arte, sapientißimi huius regis cura atque industria constructum, ornatum, consecratumq́; fuit, instar habens mobilis ædis siue tentorij quondam in solitudine, ad exemplar diuinitus commonstratum, Moyse ministro erecti, quod verum aliud præstantißimum ac proprium Deo templum ac domicilium sub vmbra atque imagine repræsentabat; atq́; interim, dum plena absolutaq́; hominum adornabatur salus, frequentandum hoc, ac purè sanctèq́; colendum, pro temporis atque facultatis humanæ ratione commendatum fuit: & communem ac publicum Israeli atque gentibus omnibus oraculorũ supplicationumq́; conuentum præstabat. S. S. E. Ergóne putandum est quòd verè Deus habitet super terram? si enim cælum & cæli cælorum te capere non possunt; quanto magis domus hæc quam ædificaui? Sed respice ad orationem serui tui, & ad preces eius Domine Deus meus: audi hymnum & orationem quam seruus tuus orat coram te hodie, Vt sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die: super domum de qua dixisti, Erit nomen meum ibi: vt exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te seruus tuus, Vt exaudias deprecationem serui tui & populi tui Israel, quodcumque orauerint in loco isto, & exaudies in loco habitaculi tui in cælo: & cùm exaudieris, propitius eris. Si peccauerit homo in proximum suum, & habuerit aliquod iuramentum quo teneatur adstrictus; & venerit propter iuramentum coram altari tuo in domum tuam, tu exaudies in cælo: & facies, & iudicabis seruos tuos, condemnans impium, & reddens viam suam super caput eius, iustificansq́; iustum, & retribuens ei secundùm iustitiam suam. Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos (quia peccaturus est tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes nomini tuo venerint, & orauerint, & deprecati te fuerint in domo hac: exaudi in cælo, & dimitte peccatum populi tui Israel, & reduces eos in terram quam dedisti patribus eorũ. Si clausum fuerit cælum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco isto, pœnitentiam egerint nomini tuo, & à peccatis suis conuersi fuerint propter afflictionem suam: exaudi eos in cælo, & dimitte peccata seruorum tuorum, & populi tui Israel: & ostende eis viam bonam per quam ambulent, & da pluuiam super terram tuam quam dedisti populo tuo in possessionem. Fames si oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aër, aut ærugo, aut locusta, vel rubigo, & afflixerit eum inimicus eius portas obsidens; omnis plaga, vniuersa infirmitas, cuncta deuoratio, & increpatio quæ acciderit populo* 3 Reg. 8.

» tuo Israel: si quis cognouerit plagam cordis sui, & expanderit manus suas
» in domo hac, tu exaudies in cælo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis,
» & facies vt des vnicuique secundùm omnes vias suas, sicut videris cor eius
» (quia tu nosti solus cor omnium filiorũ hominum) vt timeant te cunctis die-
» bus quibus viuunt super faciem terræ quam dedisti patribus nostris. Insuper
» & alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cùm venerit de terra longin-
» qua propter nomen tuũ (audietur enim nomen tuum magnũ, & manus tua
» fortis, & brachiũ tuum extentum vbique) cùm venerit ergo, & orauerit in
» hoc loco, tu exaudies in cælo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia
» pro quibus inuocauerit te alienigena: vt discant vniuersi populi terrarũ no-
» men tuũ timere, sicut populus tuus Israel; & probent quia nomen tuũ inuo-
» catũ est super domũ hanc quam ædificaui. Si egressus fuerit populus tuus ad
» bellũ contra inimicos suos, per viam, quocunque miseris eos, orabunt te con-
» tra viam ciuitatis quam elegisti, & contra domum quam ædificaui nomini
» tuo, & exaudies in cælo orationem eorum, & preces eorum, & facies iudi-
» cium eorum. Quòd si peccauerint tibi (non est enim homo qui non peccet) &
» iratus tradideris eos inimicis suis, & captiui ducti fuerint in terram ini-
» micorum longè vel propè, & egerint pœnitentiam in corde suo in loco ca-
» ptiuitatis, & conuersi deprecati te fuerint in captiuitate sua, dicentes: Pec-
» cauimus, iniquè egimus, impiè gessimus: & reuersi fuerint ad te in vniuer-
» so corde suo, in tota anima sua, in terra inimicorum suorum, ad quam captiui
» ducti fuerint: & orauerint te contra viam terræ suæ quam dedisti patribus
» eorũ, & ciuitatis quã elegisti, & tẽpli quod ædificaui nomini tuo: exaudies
» in cælo, in firmamento solij tui orationes eorũ, & preces eorũ, & facies iudi-
» cium eorũ: & propitiaberis populo tuo qui peccauit tibi, & omnibus iniquita-
» tibus eorum quibus præuaricati sunt in te: & dabis misericordiam coram eis
» qui eos captiuos habuerint, vt misereantur eis. Populus enim tuus est, & hæ-
» reditas tua, quos eduxisti de terra Aegypti, & de medio fornacis ferreæ. Vt
» sint oculi tui aperti ad deprecationem serui tui, & populi tui Israel, & ex-
» audias eos in vniuersis pro quibus inuocauerint te. TV ENIM SEPA-
» RASTI EOS TIBI in hæreditatem de vniuersis populis terræ, sicut lo-
» cutus es per Moysen seruum tuũ, quando eduxisti patres nostros de Ægy-
» pto Domine Deus. Huiusmodi grauissima & prudentissima postulatio-
ne, quam adiuncta sacrificia subsecuta fuere, templum illud magnificentis-
simum quidem, & arte opereq; admirabili, terrestri tamen elementarióq; ma-
teria dicatum & consecratum est; pulchris ipsius dedicantis ominibus &
bonis verbis, frequentissimo adstante linguis fauente populo.

Ibidem. Factum est autem, cùm complesset Salomon orans Dominum omnem ora-
» tionem & deprecationẽ hanc, surrexit de conspectu altaris Domini (vtrũq;
» enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum). Stetit ergo,
» & benedixit omni ecclesiæ Israel voce magna, dicens: Benedictus Dominus
» qui dedit requiem populo suo Israel, iuxta omnia quæ locutus est: non cecidit

ne

*ut verus quidem sermo ex omnibus bonis quæ locutus est per Moysen seruum suum. Sit Dominus Deus noster nobiscum sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque proiiciens: sed inclinet corda nostra ad se, vt ambulemus in vniuersis viis eius, & custodiamus mandata eius, & ceremonias eius, & iudicia quæcunque mandauit patribus nostris. Et sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum corã Domino, appropinquantes Domino Deo nostro die ac nocte, vt faciat iudicium seruo suo, & populo suo Israel per singulos dies: & sciant omnes populi terræ, quia Dominus ipse est Deus, & non est vltrà absque eo. Sit quoque cor nostrum perfectum cũ Domino Deo nostro, vt ambulemus in decretis eius, & custodiamus mandata eius, sicut & hodie. Igitur rex & omnis Israel cũ eo immolabant victimas coram Domino. Mactauitq; Salomon hostias pacificas, quas immolauit Domino, boum viginti duo millia, & ouium centum viginti millia. Et dedicauerunt templum Domini rex & filij Israel.*

*Et factum est cùm perfecisset Salomon ædificium domus Domini, & ædificium regis, & omne quod optauerat, & voluerat facere, apparuit ei Dominus secundò sicut apparuerat ei in Gabaon. Dixitq; Dominus ad eum, Exaudiui orationem tuam, & deprecationem tuam quam deprecatus es coram me: sanctificaui domum hanc quam ædificasti, vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei & cor meũ ibi cunctis diebus. Tu quoque si ambulaueris coram me, sicut ambulauit pater tuus, in simplicitate cordis, & in æquitate, & feceris omnia quæ præcepi tibi, & legitima mea & iudicia mea seruaueris: ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum, sicut locutus sum Dauid patri tuo, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de solio Israel. Si autem auersione auersi fueritis vos & filij vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, & ceremonias meas quas proposui vobis, sed abieritis & colueritis deos alienos, & adoraueritis eos: auferam Israel de superficie terræ quam dedi eis, & templum, quod sanctificaui nomini meo, proiiciam à conspectu meo, eritq; Israel in prouerbium, & in fabulam cunctis populis. Et domus hæc erit in exemplũ: omnis qui transierit per eam, stupebit & sibilabit, & dicet, Quare fecit Dominus sic terræ huic, & domui huic? Et respondebunt, Quia dereliquerunt Dominũ Deum suum, qui eduxit patres eorum de terra Aegypti, & secuti sunt deos alienos, & adorauerunt eos, & coluerunt eos: ideo adduxit Dominus super eos omne malum hoc.* Diuinæ prouidentiæ ac benignitatis pro temporum ratione, hominibus fauentis ac prospicientis constantia & veritas huius quoque historiæ exemplis comprobatur. Rursúsque humani animi atque ingenij nunquam sibi constantis impotentia manifestè arguitur: qui dum externis ac sibi malè adnatis cogitationibus conflictatur, quamquam sapientiæ ac dexteritatis nominibus decorari ac splendere videatur; nec recta semper videt, nec visa purè ac sincerè agit; ita vt in mediis tenebris agere ac viuere deprehendatur: idq; tunc maximè, cùm diuinæ institutionis prætensam lucer-

3.Reg.9.

*nam summa cura, & certa attentione sequi negligens, tandem prætermit-*
Psal. 118. *tit. S.S.E. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. &,*
» *Spreuisti omnes discedentes à iudiciis tuis, quia iniusta cogitatio eorum.*

## De hominum bello cum diuina lege.

### Caput x.

*DVos reges hos vario exemplo notissimos, quæ postea consecuta fuêre tempora, inter humani ingenij atque animi importunitatem, Deiq; bonitatem, quid intersit, abunde satis declararunt. quippe, paucis exceptis bonis principibus, quibus pietatis ex Dei præscripto colendæ vel instaurandæ studium fuit, cæteri suis atque populi cupidinibus indulgentes, & studiis deseruientes, legis imperio vel neglecto vel ingeniosa ac potiùs insolente interpretatione detorto ac prophanato, sese cum suis in omne nephas tradidêre, ac præcipites vltro detulerunt. Mutante enim in horas clauum rege, atque omni libidinis vento sese permittente, populus, qui in eadem vehebatur naui, vario vitæ cursu, ac plerũque infelici vsus, frequenter iacturam fecit, tum rerũ quas pretiosissimas habebat, tum decoris, honoris, dignitatisq; publicæ ac priuatæ; ac demum ad impietatis scopulos appellens, tenebris offusis demersus est, vna tantũmodo atq; altera relicta tabula, in quam reliquiæ collatæ aliquot sunt, quæ paulo etiã pòst, propter mentis inopiam, artisq; defectum, non dissimili cæteris iniere periculũ.*

*Salomonis primus hæres Roboamus superbiæ ac insolentiæ suæ pœnas dedit, maxima regni mulctatus parte, hoc est, totis decem tribubus, quæ propter grauis dominationis metũ, ad Ieroboamũ, Salomoni quondam infensum virum, desciuerunt. Atque ita ipse vitio suo, sibi, vt quæ Deus patri comminatus fuerat, constarent incommoda, commeruit. Verùm enimuero nec alteri iustè imminuta felicitas, nec alteri, quamquam nihil promerito, repentè allata amplitudo, aut animum, aut mores correxit, in meliusq; mutauit; ille, vt se dignam correptionem agnoscens, improbitatis iudicem ac vindicẽ Deum vera pœnitentia, & supplice deprecatione, pietatisq; obseruantia placatum propitiumq; sibi reddere studeret; hic verò gratulatione atque religione, alienique exempli disciplina sibi consulens, ornamenti authorem sui Deum debito culturæ prosequeretur obsequio. Atque Roboami regis monumentũ huiusmodi ad posteritatis memoriam, exempliq; detestationem ac metum proditum legimus.* 3 Reg. 14. *Porrò Roboam filius Salomonis regnauit in Iuda. Qua-*
» *draginta & vnius anni erat Roboam cùm regnare cœpisset: decẽ & septem*
» *annos regnauit in Ierusalem ciuitate, quam elegit Dominus vt poneret no-*
» *men suum ibi, ex omnibus tribubus Israel. Nomen autem matris eius Naa-*
» *ma Ammanitis. Et fecit Iudas malum coram Domino, & irritauerũt eum*
» *super omnibus quæ fecerant patres eorum in peccatis suis, quæ peccauerunt.*

*Ædificauerunt enim & ipsi sibi aras, & statuas, & lucos super omnem collem excelsum, & subter omnem arborẽ frondosam. Sed & effeminati fuerũt in terra, feceruntq́ omnes abominationes gentium, quas attriuit Dominus ante faciem filiorum Israel. In quinto autem anno regni Roboam, adscendit Sesac rex Aegypti in Ierusalem, & tulit thesauros domus Domini, & thesauros regios, & vniuersa diripuit. scuta quoque aurea quæ fecerat Salomon: pro quibus fecit rex Roboam scuta ærea, & tradidit ea in manũ ducum scutariorum, & eorum qui excubabant ante ostium domus regis. Fuitque bellum inter Roboam & Ierobagham cunctis diebus.* Hæc apud familiam gentemq́ Dauidis rerum publicarum facies fuit, apud Israelitarũ verò tribus decem cum rege suo, homine ingratißimo pariter & impio, non honestior forma visa est. *Aedificauit autem Ieroboam Sichem in monte* 3 Reg. 12. *Ephraim, & habitauit ibi: & egressus inde ædificauit Phanuel. Dixitq́ Ieroboam in corde suo, Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, si adscenderit populus iste vt faciat sacrificium in domo Domini in Ierusalem: & conuertetur cor populi huius ad dominum suum Roboam regem Iuda, interficientq́ me, & reuertentur ad eum. Et excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltrà adscendere in Ierusalem, Ecce dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Posuitq́ vnũ in Bethel, & alterum in Dan, & factũ est verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum vitulum vsque in Dan. Et fecit phana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Leui. Constituitq́ diem solennem in mense octauo, quintadecima die mensis, in similitudinẽ solennitatis quæ celebratur in Iuda. Et adscendens, altare similiter fecit in Bethel, vt immolaret vitulis quos fabricatus fuerat: constituitq́ in Bethel sacerdotes excelsorum quæ fecerat. Et adscendit super altare quod exstruxerat in Bethel, quintadecima die mensis octaui, quem finxerat de corde suo: & fecit solennitatem filiis Israel, & adscendit super altare vt adoleret incensum.*

Tantum scilicet malorum sibi suisq́ moliri solet humanus animus, vbi à Dei, cuius vnius causa vitam adeptus est, obsequio, cultu, & consilio, atque iussis ad sui ipsius amorem & studium indulgenter degenerat, eaq́ vltro inuenit & excogitat, quæ propriis destinata commodis, tamen populari sapientiæ specie diuinis nominibus indigetat & consecrat. Horum tamen inuentorum qualis exspectandus fructus fuerit, euentus ex Dei iudicio ac sententia spectatus declarat. *Et ecce vir Dei venit de Iuda in sermone Domini in* 3 Reg. 13. *Bethel, Ieroboam stante super altare, & thus iaciente. Et exclamauit contra altare in sermone Domini, & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus, Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet. Deditq́ in illa die signum, dicens: Hoc erit signum quod locutus est Dominus, Ecce altare scindetur, & effundetur cinis qui in eo est. Cumq́ audisset rex sermonem hominis Dei quem inclamauerat contra altare in*

Bethel,

» Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et ex-
» aruit manus eius quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad
» se. Altare quoque scissum est, & effusus est cinis de altari, iuxta signũ quod
» prædixerat vir Dei in sermone Domini. Et ait rex ad virum Dei, Depre-
» care faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt restituatur manus mea mi-
» hi. Orauitq́ vir Dei faciem Domini, & reuersa est manus eius ad eum, &
» facta est sicut priùs fuerat. Locutus est autem rex ad virum Dei, Veni me-
» cum domum vt prandeas, & dabo tibi munera. Responditq́ vir Dei ad re-
» gem, Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec
» comedam panem, neque bibam aquam in loco isto: sic enim mandatũ est mihi
» in sermone Domini præcipientis, Non comedes panem, neque bibes aquam,
» neque reuerteris per viam qua venisti. Abiit ergo per aliam viam qua ve-
» nerat in Bethel.

Atque huiusmodi rerum, verborum, actionumq́ imaginibus totam illam noui & à se creati principis domum ac familiam cum Israelitarum insanias principum secuto populo, non tam regni quàm regis ac gentis vitio contaminatam & corruptam, corrigendam quidem cum primis, & castigationibus coërcendam emendandamq́ Deus curauit, ac demum ob scelerum pertinaciam repudiauit. In illo tempore ægrotauit Abia filius Ieroboam. dixitq́

3 Reg. 14.
» Ieroboam vxori suæ, Surge, & commuta habitum, ne cognoscaris quòd sis
» vxor Ieroboam: & vade in Silo, vbi est Abias Propheta qui locutus est mihi
» quòd regnaturus essem super populum hunc. Tolle quoque in manu tua de-
» cem panes, & crustulam, & vas mellis, & vade ad illum: ipse enim indica-
» bit tibi quid euenturũ sit puero huic. Fecit vt dixerat vxor Ieroboam: & con-
» surgens abiit in Silo, & venit in domum Abiæ: at ille non poterat videre,
» quia caligauerant oculi eius præ senectute. Dixit autem Dominus ad Abiã,
» Ecce vxor Ieroboam ingreditur, vt consulat te super filio suo qui ægrotat.
» hæc & hæc loquêris ei. Cùm ergo illa intraret, & dissimularet se esse quæ
» erat, audiuit Abias sonitum pedum eius introeuntis per ostium, & ait: In-
» gredere vxor Ieroboam: quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad
» te durus nuncius. Vade, & dic Ieroboam: Hæc dicit Dominus Deus Israel,
» Quia exaltaui te de medio populi, & dedi te ducem super populum meũ Is-
» rael, & scidi regnum domus Dauid, & dedi illud tibi, & non fecisti sicut
» seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est in toto cor-
» de suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo: sed operatus es malè su-
» per omnes qui fuerunt ante te, & fecisti tibi deos alienos & conflatiles, vt
» me ad iracundiam prouocares, me autem proiecisti post corpus tuum: idcirco
» ecce ego inducam mala super domũ Ieroboam, & percutiã de Ieroboam min-
» gentem ad parietem, & clausum, & nouissimũ in Israel: & mundabo reli-
» quias domus Ieroboam, sicut mũdari solet fimus vsque ad purum. Qui mor-
» tui fuerint de Ieroboam in ciuitate, comedent eos canes: qui autem mortui
» fuerint in agro, vorabunt eos aues cæli: quia Dominus locutus est. Tu igitur

surge,

surge,& vade in domum tuam: & in ipso introitu pedum tuorũ in vrbem, «
morietur puer, & planget eum omnis Israel, & sepeliet: iste enim solus in- «
feretur de Ieroboam in sepulchrum, quia inuentus est super eo sermo bonus, «
à Domino Deo Israel, in domo Ieroboam. Constituet autem sibi Dominus «
regem super Israel, qui percutiet domum Ieroboam in hac die, & in hoc tem- «
pore: & percutiet Dominus Deus Israel, sicut moueri solet arũdo in aqua: «
& euellet Israel de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, & ventila- «
bit eos trans flumen: quia fecerunt sibi lucos, vt irritarent Dominum. Et «
tradet Dominus Israel propter peccata Ieroboam, qui peccauit, & peccare fe- «
cit Israel. Surrexit itaque vxor Ieroboam, & abiit, & venit in Thersa: «
cumq́; illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est, & sepelierunt eum. «
Et planxit eum omnis Israel iuxta sermonem Domini, quem locutus est in «
manu serui sui Abbiæ Prophetæ. «

Post hos verò ad multa secula quicunque vtriusque populi, Iudæorum videlicet & Israelitarum, regno potiti memorantur, fugiendis istorum duorũ Roboami ac Ieroboami vestigiis ducti, quidam breuiora, longiora alij vitæ curricula pessimo exemplo ac posteris populisq́; exitiali confecerunt: paucis ex Ierosolymorum exceptis regibus, quorũ virtute, pietate, & legitima procuratione ac deprecatione suppliciũ aliàs maturè ferendum, aliquãdiu dilatum est. Horũ omnium nomina & rationes actionesq́; recensere si velimus, opus hoc, quod sua sponte iustum modũ sortitur, in immensum cresceret. Satis verò superq́; fuerit vno verbo notare & arguere tum Iudam, tum etiam Israelem (quorũ neuter nomine ac titulo suo se dignum præbuit) ab hominis Adami corrupta natura, ad illustrem laudis & fortitudinis rationem ac dignitatem tutandã, animi vires intentionemq́; non seriò conuertisse; verùm alteros alteris vel contentione & æmulatione vel imitatione ad impietatem si non authores, promotores tamen fuisse, ac suos sibi vtrumque populum vel finxisse deos, vel verum Deum præposterè colere instituisse. Id quod factum
Deus editis arguebat oraculis: Si fornicaris tu Israel, non delinquat saltem Oseæ 4.
Iuda: & nolite ingredi in Galgala, & ne ascenderitis in Bethauen, neque «
iuraueritis, Viuit Dominus. Quoniam sicut vacca lasciuiens declinauit Is- «
rael: nunc pascet eos Dominus quasi agnum in latitudine. Particeps idolo- «
rum Ephraim, dimitte eum. Separatum est conuiuium eorũ, fornicatione «
fornicati sunt: dilexerunt afferre ignominiam protectores eius. Ligauit eum «
spiritus in alis suis, & confundentur à sacrificiis suis. Et rursus: Clangite Ibid. 5.
buccina in Gabaa, tuba in Rama: vlulate in Bethauen, post tergum tuũ Ben- «
iamin. Ephraim in desolatione erit in die correptionis: in tribubus Israel «
ostendi fidem. Facti sunt principes Iuda quasi assumentes terminum: super «
eos effundam quasi aquam iram meam. Calũniam patiens est Ephraim, fra- «
ctus iudicio: quoniam cœpit abire post sordes. Et ego quasi tinea Ephraim: «
& quasi putredo domui Iuda. Et vidit Ephraim languorem suũ, & Iudas «
vinculũ suum: & abiit Ephraim ad Assur, & misit ad regem Vltorem: & «

„ ipse non poterit sanare vos, nec soluere poterit à vobis vinculum. Quoniam
„ ego quasi leæna Ephraim, & quasi catulus leonis domui Iuda: ego ego capiam
„ & vadam: tollam, & non est qui eruat.

Duo autem præcipuè notantur diuerticula, quibus humanus animus à Dei consilio & iussu, hoc est, à suo ipsius officio discedere solet: aut enim simpliciter ad manifesta scelera & flagitia, velut insaniens vltro rapitur, præsentis voluptatis & commodi illecebris incitatus, idq; apertè admittit quod à parte sui femina, eademq; seducta, persuadetur: aut rursus ab horũ cogitatione & cupiditate non alienus, quodammodo se continet, ne id quod malè appetit, palàm committat; & cupidinum turpitudinem eatenus dissimulat, quatenus legum periculo vel infamiæ apud homines metu deterretur; quod tamen si fallere posse speret, sacra prophanis miscere nihil dubitet. Verùm interim dum nihil tantum palàm audet, non minùs grauia & impura intra se cogitat peccata: & quamquam à manifesto furto & homicidio adulterioq; abstineat, tamen inuidia, ambitione, dolis, libidine, & ira intus ardet. Verùm hæc immania crimina arreptis & inductis grauitatis ac seueritatis personis tegere, & sese nõ modò aliis hominibus venditare, verùm Deo ipsi sanctum probare studet; atque illud mordicus tenet, quod à doloso colubro primùm est
Genesis 2. persuasus: Non morte moriemini: scit enim Deus, quòd in quacunque die
„ comederitis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Quamquam verò sese ipsum aliquando respiciens, virtutis veræ ornamentis nudum & spoliatum agnoscit, folia tamen, & suo ingenio petitas frondes, viridesq; in speciem colores prætexens, turpitudinem suam celare occultareq; frustra contendit. Verùm enimuero hæc, quæ aliàs sua natura citò flaccescunt, tentantur, hominibus fortasse aliis ad tempus fucum factura, Dei tamen oculis acutissimus nõ inepta modò, verùm impurissima ac detestanda prorsus opportuno iudicio manifestè arguenda ac damnanda.
Psal.49. S.S.E. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras testimonia mea, &
„ assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & ab-
„ iecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cũ eo: & cum
„ adulteris portionem tuam ponebas. Sedens, aduersus fratrem tuum loqueba-
„ ris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Os tuum abundauit
„ malitia: & lingua tua concinnabat dolos. Hæc fecisti, & tacui. Existimasti
„ iniquè quòd ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.

Ex hoc genere fuerunt sacrorum atque rituum complures vltro inuentæ formæ; aut quæ Dei oraculis instituta quidem fuerant, ad ambitionẽ tamen & ostentationem aut aliorsum detorta atque deflexa, demumq; perperam ac præposterè acta & exercita, atque à mysterij significatione ad gratiæ diuinæ & felicitatis veræ ius ac pignus vsurpata; cùm tamen hæc agẽs animus solidum pietatis decus exuisset, & in densissimam opinionum atque cõmentationum sibi petitarũ siluam vmbramq; confugiens, pro nudo sese vestitum atque obiectum venditare laboraret, paternum illud imitatus commentũ, de quo

quo scriptum est: Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso, ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini in medio ligni paradisi. Ad hanc rationem vana illa querela hominum & grauissima Dei redargutio apud Vatem pertinet: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt: quasi gens quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit; rogant me iudicia iustitiæ: appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non adspexisti: humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce, in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce, ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? nunquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? nunquid istud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino? Nónne hoc est magis ieiuniũ quod elegi? dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimẽtes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq́ue induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum: & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi manè lumen tuũ, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adsum. si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest. Cùm effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris: orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficiunt aquæ. Et ædificabuntur in te deserta seculorum: fundamenta generationis & generationis suscitabis: & vocaberis ædificator sepium, auertens semitas in quietem. Si auerteris à sabbatho pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris sabbathũ delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaueris eum dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua vt loquaris sermonem: Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. os enim Domini locutum est. Ad eandem quoque humanæ industriæ peruersitatem, ac diuinæ improbationis rationem illud pertinet: Audite verbum Domini principes Sodomorũ, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ. Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum. holocausta arietum & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui. Cùm veneritis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atriis meis? ne afferatis vltrà sacrificium frustra: incensum ab-

Genesis 3. Isaiæ 58. Isaiæ 1.

» ominatio est mihi. Neomeniam, & sabbathum, & festiuitates alias non fe-
» ram, iniqui sunt cœtus vestri: calendas vestras & solennitates vestras odi-
» uit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. Et cùm exten-
» deritis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaue-
» ritis orationem, nō exaudiam. manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. La-
» uamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarū ab oculis meis:
» quiescite peruersè agere, discite bene facere: quærite iudicium, subuenite op-
» presso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, arguite me, dicit Domi-
» nus: si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fue-
» rint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis, & audie-
» ritis, bona terræ comedetis: quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouo-
» caueritis, gladius deuorabit vos, quia os Domini locutū est. Quomodo facta
» est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? iustitia habitauit in ea, nūc autem
» homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuū mixtum est
» aqua. Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequūtur
» retributiones. Pupillo non iudicant: & causa viduæ nō ingreditur ad illos.
» Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israel, Heu, consolabor
» super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Et conuertam manum
» meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stan-
» num tuum.

Huius argumenti, modi, atque rationis assiduis ac frequentibus nunciis & mandatis vsus Deus, homines monere admonereq́; officij sui, & ab errore auertere, à scelere ad virtutis ac pietatis viam reuocare, vsque ad contemptionis & insolentiæ contentissimæ fastidium non destitit, cùm iam miseri-
4. Reg. 10. cordiæ immensitas iudicij & animaduersionis seueritati locum daret. In
» diebus illis cœpit Dominus tædere super Israel, percussitque eos Hazael in
» vniuersis familiis Israel. Atque decem tribuum res in hanc inuidiam vltro deductas legimus, nec verò meliorem demum Iudæis ac Beniaminitis consti-
2. Paral. 36. tisse mentem accepimus. Viginti & vnius anni erat Sedechias cùm regnare
» cœpisset: & vndecim annis regnauit in Ierusalem. Fecitq́; malum in oculis
» Domini Dei sui: nec erubuit faciem Ieremiæ Prophetæ loquentis ad se ex
» ore Domini. A rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adiurauerat eū per
» Deum: & indurauit ceruicem suam & cor, vt non reuerteretur ad Domi-
» num Deum Israel, sed & vniuersi principes sacerdotum, & populus præua-
» ricati sunt iniquè iuxta vniuersas abominationes Gentium: & polluerunt
» domum Domini, quam sanctificauerat sibi in Ierusalem. Mittebat autem
» Dominus Deus patrum suorū ad illos per manus nunciorum suorum de no-
» cte consurgens, & quotidie commonens: eo quòd parceret populo & habita-
» culo suo. At illi subsannabant nuncios Dei, & paruipendebant sermones
» eius, illudebantq́; Prophetis: donec adscenderet furor Domini in populū eius,
» & esset nulla curatio. Tantum adeò humanæ mentis peruersitas parere sibi malorum valet, vbi cum benignitate Dei pertinaci auersione contendit.

*id quod responso diuino, improbitatem hominum exprobrante, proclamatum audire atque horrere est: Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros manè pertransiens. Propter hoc dolaui in Prophetis, & occidi eos in verbis oris mei. Quia misericordiam volui, & non sacrificium: & scientiam Dei plus quàm holocausta. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me. Galaad ciuitas operantiũ idolum, supplantata sanguine. Et quasi fauces virorum latronum, particeps sacerdotum, in via interficientium pergentis de Sichem: quia scelus operati sunt. In domo Israel vidi horrendum: ibi fornicationes Ephraim: contaminatus est Israel. Sed & Iuda pone messem tibi, cùm conuertero captiuitatem populi mei.* Oseæ 6.

# De partibus, munere, officioque Vatum.

## CAPVT XI.

MANDATORVM *omnium Dei, quæ à Vatibus hominum causa accepta, ac fideliter diligenterq; peracta sunt, summam rationem quatuor præcipuis capitibus subductam, obseruamus. Ex quibus prima fuit, Diuinorum beneficiorum in hominum genus ab orbis initio tum communiter, tũ singulariter collatorũ commemoratio, cum significatione voluntatis Dei erga homines; quorũ vt singularis producendorum forma, sic etiam promouendorum atq; ornandorum præcipua quædam cura semper fuit. Secũdum huic subiunctum argumentum fuit, Hominũ ingrati animi, desertiq; officij, & pietatis proditæ exprobratio, quam animaduersionis seuerissimo exemplo dignam, res ratioq; & legum sanctitas expostularet. Atque ad hæc duo capita complures Vatum referuntur actiones, quas omnes enumerare longissimũ foret. Vnam verò atque alteram subijcere operæpretium esse existimamus. Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est, Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerũt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Illud etiam alterum huic persimile exemplum est: Audite verbum Domini domus Iacob, & omnes cognationes domus Israel: hæc dicit Dominus, Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerũt post vanitatem, & vani facti sunt? Et non dixerunt, Vbi est Dominus qui adscendere nos fecit de terra Aegypti: qui traduxit nos per desertũ, per terram inhabitabilem & inuiam, per terram sitis, & imaginem mortis, per terram in qua non ambulauit vir, neque habitauit homo? Et induxit vos in terrã Carmeli, vt comederetis fructũ eius, & optima illius: & ingressi conta-* Isaiæ 1. Ierem. 2.

» taminastis terram meam, & hæreditatem meã posuistis in abominationem.
» Sacerdotes non dixerunt, Vbi est Dominus? & tenentes legem nescierũt me,
» & pastores præuaricati sunt in me: & prophetæ prophetauerũt in Baal, &
» idola secuti sunt. Propterea adhuc iudicio contendam vobiscũ, ait Dominus:
» & cum filiis vestris disceptabo. Transite ad insulas Cethim, & videte: &
» in Cedar mittite, & considerate vehementer: & videte si factũ est huiusce-
» modi: Si mutauit gens deos suos, & certè ipsi non sunt dij: populus verò
» meus mutauit gloriam suam in idolum. Obstupescite cæli super hoc, & portæ
» eius vehementer desolamini, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus
» meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderũt sibi cisternas; cister-
» nas dißipatas, quæ continere non valent aquas.

Tertium verò Propheticarum actionũ caput studium continebat, homines ab impietate ad fidem & ad morũ vitæq; emendationem (quam pœnitentiam vocant) reuocandi, adiũcta etiam prædictione grauißimarũ pœnarum ex diuino iudicio contumacibus imminentiũ, obtestationeq; misericordiæ ac benignitatis Dei in eos qui reuocati obsecundarent, & expositione etiam summæ patientiæ iudicis castigationẽ, idq; clementiæ ac veniæ causa, in longum differentis. Hoc item sensu atque monitu Vatum chartæ refertißimæ
Esaiæ 18. visuntur. Propterea exspectat Dominus vt misereatur vestri, & ideo exal-
» tabitur parcens vobis: quia Deus iudicij Dominus: beati omnes qui exspe-
» ctant eum. Populus enim Sion habitabit in Ierusalem: plorans nequaquã plo-
» rabis: miserans miserebitur tui; ad vocem clamoris tui, statim vt audierit,
» respondebit tibi. Et dabit vobis Dominus panem arctum & aquam breuem,
» & non faciet auolare à te vltrà doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes
Ierem. 4. præceptorem tuum. Laua à malitia cor tuum Ierusalem, vt salua fias: vs-
» quequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Vox enim annũciantis à Dan,
» & notum facientis idolum de monte Ephraim. Concitate Gentes, Ecce, au-
» ditum est in Ierusalem custodias venire de terra longinqua, & dare super
» ciuitates Iuda vocem suam. Quasi custodes agrorum facti sunt super eam in
» gyro: quia me ad iracũdiam prouocauit, dicit Dominus. Viæ tuæ, & cogita-
» tiones tuæ fecerũt hæc tibi: ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuũ.
Esaiæ 55. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & re-
» uertatur ad Dominum, & miserebitur eius; & ad Deum nostrũ, quoniam
» multus est ad ignoscendũ. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ:
» neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cæli à
» terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogita-
» tionibus vestris. Et quomodo descendit imber & nix de cælo, & illic vltrà
» non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam fa-
» cit, & dat semen serenti, & panem comedenti: Sic erit verbum meum quod
» egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque
» volui, & prosperabitur in iis ad quæ misi illud [apud eos videlicet, qui fide
Ezech. 18. & obsequio susceptum obseruauerint.]. &, Anima quæ peccauerit, ipsa morietur:

rietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudiciũ & iustitiam: vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: in iustitia sua quam operatus est, viuet. Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat? Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes quas operari solet impius, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabũtur: in præuaricatione quam præuaricatus est, & in peccato suo quod peccauit, in ipsis morietur. Et dixistis, Non est æqua via Domini. Audite ergo domus Israel, Nunquid via mea non est æqua, & non magis viæ vestræ prauæ sunt? Cùm enim auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatẽ, morietur in eis: in iniustitia quam operatus est, morietur. Et cùm auerterit se impius ab impietate sua quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam: ipse animam suam viuificabit. Considerans enim, & auertens se ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est, vita viuet, & non morietur. Et dicunt filij Israel, Non est æqua via Domini. Nunquid viæ meæ non sunt æquæ, domus Israel, & non magis viæ vestræ prauæ? Idcirco vnũquemque iuxta vias suas iudicabo domus Israel, ait Dominus Deus. Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proiicite à vobis omnes præuaricationes vestras in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum: & quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus: reuertimini & viuite.

Huiusmodi compluribus monitis, consilijs, & suasionibus per sacros Vates frequentissimè curatis, misericordiæ suæ magnitudinem Deus identidẽ declarauit iis, qui ad meliorem mentem, atque ad vitæ morumq; correctionem seriam, fideq; firma fultam, sese conuerterent: quod & re ipsa subinde probauit, iis parcens atque consulens, quos vel monendo & corripiendo ad pietatis studiũ allectos, vel minis & castigationibus ab impietate deterritos resipiscere, & sibi prudentiùs consulere cognosceret. Id quod sibi proprium antiquumq; esse, nec cuiusquam mortalium odio vel inuidia exceptũ deprehendi, insignis exempli imagine Deus ipse professus est. Verbum quod factũ est ad Ieremiam à Domino, dicens: Surge, & descende in domũ figuli, & ibi audies verba mea. Et descendi in domũ figuli, & ecce, ipse faciebat opus super rotam. Et dissipatum est vas quod ipse faciebat è luto manibus suis: conuersusq; fecit illud, vas alterũ, sicut placuerat in oculis eius vt faceret. Et factũ est verbũ Domini ad me, dicens: Nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere, domus Israel? ait Dominus, Ecce sicut lutũ in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel. Repentè loquar aduersus gentem & aduersus regnũ, vt eradicem, & destruã, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit Ierem. 18.

gens

» *gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam: agam & ego pœniten-*
» *tiam super malo quod cogitaui vt facerem ei. Et subitò loquar de gente & de*
» *regno, vt ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non*
» *audiat vocem meam: pœnitentiam agam super bono quod locutus sum vt fa-*
» *cerem ei. Nunc ergo dic viro Iuda, & habitatoribus Ierusalem, dicens: Hæc*
» *dicit Dominus, Ecce, ego fingo contra vos malū, & cogito contra vos cogita-*
» *tionem: reuertatur vnusquisque à via sua mala, & dirigite vias vestras,*
» *& studia vestra.*

*Verùm enimuero vti Deus ab iracundia inuidiaq́ omni sese alienissimum ac prorsus remotissimum perpetuis obtestationibus atq; actionibus ostendit, ita rursus iustissimum iudicem, & seuerissimum vltorem non modò comminatus prædicauit, sed etiam pœnis repetendis ostendit aduersus eos, qui misericordiam benignitatemq́ suam in iniustitia & impietate detinentes, à pœnitentiæ cogitatione & studio remoti, cupidinibus vitiosisq́ actionibus contumaciter indulgerent, & sacrosancta Vatū sanctorumq́ ministrorum monita, & ex diuino iussu relata iurgia contemnerent, consiliaq́ saluberri-*
Ierem. 18. *ma spernerent. Qui dixerunt, Desperauimus: post cogitationes enim nostras*
» *ibimus, & vnusquisque prauitatem cordis sui mali faciemus. Ideo hæc dicit*
» *Dominus: Interrogate gentes, Quis audiuit talia horribilia, quæ fecit nimis*
» *virgo Israel? Nunquid deficiet de petra agri nix Libani? aut euelli possunt*
» *aquæ erūpentes frigidæ, & defluentes? Quia oblitus est mei populus meus,*
» *frustra libantes & impingentes in viis suis, in semitis seculi, vt ambularēt*
» *per eas in itinere nō trito: vt fieret terra eorū in desolationem, & in sibilum*
» *sempiternum: omnis qui præterierit per eam, obstupescet, & mouebit caput*
» *suum. Sicut ventus vrens dispergam eos coram inimico: dorsum, & non fa-*
» *ciem ostendam eis in die perditionis eorum.*

*Interim verò dum diuinum iudicium differtur, in ipsis etiam offensionum temporibus nunquam non sui memor misericordia Dei nullū non mouet lapidem vt propositum peragat suum de salute publica hominum generi afferenda, atq; iam à constituto mundo primis fundamentis parata & promissa: quam cùm ipse omnibus Adami filiis pollicitus fuerit, quicūque non fuerit adeptus, vitio suo adscribat oportet: vtpote qui, quamquam Caino sese similem præbuerit, non minùs quàm illū sese vel interno impulsu sæpissimè, vel etiam externo legis & vaticiniorū ministerio ad meliorem mentem, atq; adeò ad felicitatis veræ fidem & spem, ac tandem ad vitæ communionem vo-*
Isaiæ 5. *catum, inficias ire non possit. S. S. E. Quid debui facere vineæ meæ quod non*
» *fecerim. Hanc enim muneris ac ministerij partem sibi susceptam, & sedulò*
Ioan. 1. *ac diligenter præstitam, diuinū illud Verbum, quod illuminat omnem homi-*
» *nem venientem in hunc mundū, asseuerat. Ierusalem, Ierusalem [hominum*
» *cœtū ad supernā cognitionem vocatū appellat] quæ occidis Prophetas, & la-*
» *pidas eos qui ad te missi sunt: quoties volui cōgregare filios tuos quēadmodum*
» *gallina cōgregat pullos suos sub alis, & noluisti: Ecce relinquetur domus, etc.*

*Neque*

*Neque verò illud non indicandum arbitramur, quod vel commemoratione ipsa sui, maximo contemplantiū animos perfundit horrore: nimirum eousque humanam improbitatem atque importunam contumaciam progredi posse malorum, eousque diuinæ misericordiæ patientia, & pœnarum cunctatione ac dilatione abuti, vt se prorsus desertam, atq; periculorū, quæ sibi ipsa molita fuerit, miseriis & infelicitatibus suo merito permissam experiri iustissimum atque dignissimū censeatur: in quem locum quicunque se præcipitauerint, sustinere se, cùm velint, minimè possint; quippe qui à veritatis diuinæ firmitudine ad meram vanitatem, à lucis vsura ad tenebras vltro sese traduxerint, & insaniæ suæ præmium atq; exitum non meliorem, quàm Cainus, sortiri debeant: quo loco & statu quid vnquam excogitari possit deterius, non planè constat. Eum verò vt pertimescentes deuitare possent homines, diuinæ clementiæ responsis quondam moniti, perpetuo seculorū ordine moniti fuêre, hodieq; admonentur. Audite, & auribus percipite. Nolite eleuari: quia Dominus locutus est. Date Deo vestro gloriam antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos: expectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis, & in caliginem. Quo quidem iudicio quamquam nihil horribile ac tremendum magis fuerit, tamen non excipiendos esse eos qui misericordiam benignitatemq; Dei neglexerint, aliis atq; aliis obtestationibus sanctorum ministrorum operâ declaratum est. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manum inimicorum eius. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silua, dedit contra me vocem, ideo odiui eam. Hæc dicit Dominus, Quis est hic liber repudij matris vestræ quo dimisi eam? aut quis est creditor meus cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram: quia veni, & non erat vir; vocaui, & non erat qui audiret. De quo diuino in contumaces iudicio plura aliàs & longiore sermone disputanda sunt.*

Ierem. 13. Ibid. 12. Isaiæ 50.

# De quarto prophetici muneris officio.

## CAPVT XII.

SVPERES T *autem nobis illa actionum pars longiùs aliquanto explicanda, quam vnam Vates omnes, tametsi non sibi prorsus exploratam & cognitam, tamen sub imaginum exemplis creditam, libentissimè pariter & fidelissimè tractauerunt, eam causam vnicam arbitrati esse propter quam reliquæ partes omnes & sibi impositæ, & sedulò fuissent peragendæ. Atque huius argumentum variis modis quidem indicatū, variis ostensum spectris & figuris, multiplici ac sublimi oratione ac stylo annūciatum, tamen sacrosanctum arcanumq; illud spectabat salutis publicæ donum, quod hominum generi omni comparatum, opportuno tempore exhibendum,*

*Deus conseruabat & fouebat, atque interim, dum præstaretur, sub imagine saltem aliquatenus cognoscendum, & ardenti studio optandũ, contentis precibus postulandum, attentisq; animis exspectandũ hominum generi per Vates omnes, Deo authore, promissum, promissisq; identidem repetitis inculcatum est. Illorum autem promissorum breuem quandam pro huius loci ac temporis angustiis rationem, summa paulo altiùs repetita exponere, non leue fuerit operæpretium.*

*Quidnam, & quantum hominis natura, cùm sese primùm à Dei verbo & instituto degenerans perdidit, vnà secum amiserit, in primo huius operis libro significauimus magis quàm explicuimus. Neque enim illud satis pro rei magnitudine & amplitudine, nostra vel solertia vel oratione explicari potuit: neque quisquam mortalium diuitias tantas enumerare aut æstimare valet, nisi rursus in thesauros absconditos, & arcana secretorum per Dei Filium fuerit admissus: nam neque lux, neque etiam huic contrariæ & inimicæ tenebræ, sine lucis vsura cognosci possunt. S. S. E. Omnia quæ arguuntur, à lumine manifestantur. Omne enim quod manifestatur, lumen est.* Ephes. 5.

*Atqui verisimile & probabile est, nonnullam illius primæ integritatis humanarum rerum notitiam, ac rursus iacturæ maximæ postea subsecutæ existimationem, apud eos, qui primis parentibus proximi exstiterunt, mansisse; non illam quidẽ ex sensu & experimento proprio, à quo iam abalienati fuerant, verùm ex maiorum suorum narratione, expositione, ac disciplina, quantum & illi declarare ac testari, & hi excipere tenereq; valerent, saltem vitæ piè atque innocenter instituendæ causa, & pœnitentiæ atque exercitationis illius in vitiis declinandis, virtutibusq; præstandis, quã indicabamus homini impositam & imperatã Dei præcepto illo: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Et quidem huiusmodi notitia vtriusque cõditionis humanæ, hoc est, illustris illius prioris, & obscuræ ac miseræ posterioris, nõ arbitramur caruisse Abelum iustũ, & Cainum quamuis vitio suo iniustissimũ, Sethum, Enosum, Chainanum, & horum liberos ac posteros adusque Noahbi ætatẽ, ac publicæ inundationis tempora. Siquidem quos paternæ familiæ recta series attigit, eosdem disciplinæ priscæ non expertes fuisse commemorauimus.* Genesis 2.

*Cuius etiam disciplinæ atque priscarum notitiæ rerum vestigia aliqua, quamuis obscura, post diluuiũ adusque Babylonici dissidij memoriam exstitere, præcipuè dum tres illi Noahbi filij superstites manerent, à quo tamẽ seculo variarum opinionum ac sententiarũ, disciplinarũ multitudine ebulliente, errorum atq; ignorantiæ terrarum loca omnia plena fuerunt, vnica Semi posteritate excepta, cui diuini nominis scintilla aliqua semper affulsit, exigua tamen, & intra densas ac turbulentas tenebras pressa. S. S. E. Trans flumen habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, seruierúntque diis alienis.* Iosue 24.

*Ex quo quidem loco, aliisq; permultis, arguere licet, veram bonorum & malorum definitionem, distinctamq; cognitionem, quæ à parentibus primis emana-*

emanauerat, hominum mentibus vario errore imbutis fuisse demersam, ita vt quod, quale, quantumq; esset solidum hominum officium ab opinionũ & cupidinum atq; variorum studiorũ impedimentis nudatum ac liberum, vix hominũ quisquam in toto terrarum orbe planè ac perspicuè teneret, & conscientiæ animiq; humani propria existimatio multis tum varius ac iam receptis publicè priuateq; sententiis, multis ac diuersis gentium ac nationũ moribus turbata, vehementer laboraret. Huiusmodi temporum animorumq; caliginem lumine aliquo discutiendam Deus decreuit, lumine, inquam, non illo primo ac præcipuo sui numinis, quo antiquißimis tenebris à luce diuisis diem noctemq; distinxerat, verùm quod igni clarißimo atque purißimo incenso porrigi humanis mentibus posset: quod quamquam cum splendore solis non comparetur, tamen vbi accensum admotumq; fuerit, ea quæ antea craßis occultata & circumfusa tenebris latebant, celari deinceps disquirentibus non valent. Hoc lumen legis diuinæ beneficium interpretamur, cuius flãma & luminis vsurã quam illa tempora ferebãt, præbuit; & frigoris illius antiquam vim, qua vera doctrina contracta & coacta rigebat, ita pepulit, vt calorem suũ improborum atq; impurorũ cõscientiis vrendis manifestauerit. Hanc enim igneæ naturæ vim sacri authores legi in Sina monte traditæ adscribere solent: Ignitum eloquium tuum vehementer. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Deus ab Austro veniet, & sanctus de mõte Pharan, Operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena est terra. Splendor eius vt lux erit, CORNVA in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius. Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.

Geneſi 1. Pſal. 118. Habac. 3.

Verùm enimuero quamuis lucere sua natura potuit lex, vtpote diuina, & ab illo solis splendore profecta, à cuius calore abscondi potest nihil, quamuis animos à rigore illo ignorationis ac desidiæ ita liberare, vt vel æstu suo moueret & conuerteret, vel negligentes & cõteptores exureret; non tamen prorsus ab illa contracta quondam in primo & communi peccato duritia mollire & flectere, atq; ad lenitatem, beneuolentiam, amoremq; reuocare sic valuit, vt quæ iussa imperataq; essent, eadem dulcißima & suauißima actuq; facillima haberentur, & amantißimè studiosißimeq; præstarentur. Potuit certè illa, metu timoréque perpetuo mentibus incusso, humanã conscientiam cognitione quidem malorum & bonorum instruere, & officij faciendi admonere; cæterùm, quod obsequium, cultum, & efficientiam spectabat, accusare magis & exagitare quàm sedare iudicata est. Quippe lex illa cultoribus suis non adoptionis filiorum, sed timoris ac seruitutis spiritum attulit; nec à veteris Adami emanante in posteros vitio exemit, immo in sua ipsorum conditione manentibus, quid phas, quidq; nephas esset, indicauit, & hoc vitare, illud sequi atque agere iußis, obtemperantibus præmia ostendit, rursus verò maledicta & pœnas suppliciaq; negligentibus & minùs præstantibus denunciauit. S.S.E. Lex enim iram operatur. Ex qua re euenit, vt propter in- Rom 4.

dicatam & redargutam; non tamen sublatam vitiositatem illam qua communiter laboratū est, humano sensui non difficilis modò & ardua, sed etiam terribilis atque vehementer vrgens existimaretur lex, & quæ non ad minuendum, sed ad augendum & amplificandum; non ad exstinguendum, sed ad excitandum & irritandum peccatum apposita videretur: vt quæ non modò operum actionumq́ officia, sed cogitationum quoque integritatem, & puritatem, sanctitatemq́ efflagitaret; nec tamen humanā impotentiam ad id, quod postulabatur, præstandum, egregia aliqua virtute & facultate reficeret; sed eo in loco & statu, quem à primi sceleris tempestate tenuisse arguebat, quantum ad virtutem efficacitatemq́ attinet, immutatam relinqueret.

Caro. Quem locum & statum, sacrorum authorum sermone Carnis nomine vocari obseruauimus. Atque hanc rationem omnem sapientissimè Apostolus persequitur, illius persona inducta, quem lex, notitia sui imbutū, imperij iugo

Rom.7. vexaret. Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem
» erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarēt morti. Et paulo pòst:
» Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. sed peccatum non cognoui, nisi
» per legem. nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, NON CONCV-
» PISCES. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in
» me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego
» autem viuebam sine lege aliquando. Sed cùm venisset mandatum, peccatum
» reuixit. Ego autem mortuus sum: & inuentum est mihi mandatum, quod
» erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum, occasione accepta per man-
» datum, seduxit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, & man-
» datum sanctum, & iustum, & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factū est
» mors? Absit. sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatū est mihi
» mortem: vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatū. Scimus enim
» quòd lex spiritualis est: ego autem carnalis, venundatus sub peccato. Quod
» enim operor non intelligo. non enim quod volo, hoc ago: sed quod odi, illud fa-
» cio. Si autem quod nolo, illud facio: consentio legi, quoniam bona est. Nunc
» autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim
» quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonū. Nam velle adiacet mihi:
» perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio:
» sed quod nolo malū, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego ope-
» ror illud, sed quod habitat in me, peccatum. Inuenio igitur legem, volenti
» mihi facere bonum, quoniam mihi malū adiacet. Condelector enim legi Dei
» secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis,
» repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in
» membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

Cuius Apostolicæ dissertationis illud argumentum præcipuum est: Humanum animum bonorum ac malorum rationes ac discrimen legis ministerio doceri quidem, atque etiam ad malū declinandum, & bonum capessendum moneri, ac demum ad impotentis vitiositatis humanæ carni adhærentis con-

fessio-

fessionem adduci; at verò infelicitatis eiusmodi remediũ vehementer expetendum sibi, quo pacto reperiri aut effici contingat, non planè legis beneficio esse concessum aut integrũ. Namq; id quod mortuũ est, ipsum sibi vitam resumere, naturæ vi & facultate nõ valet. igitur vel in morte manendũ, vel vitã ab alia virtute & efficacitate exspectandã & poscendã esse. hoc enim exclamatio illa indicat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hui⁹? ‹‹

Huiusmodi verò munus atq; officium legi cùm suas aßignaremus partes, iam antea proprio loco tribuebamus: indicandi videlicet peccatũ, & humanam improbitatem atq; impotentiam arguendi: quam quisquis agnitam professus confessusq; rectè esset, quonam pacto, & vnde medicinã malo suo, vel potiùs morti propriæ vitam petere, exspectare, atque sperare, ac tandem obtinere posset, eiusdem legis beneficio & instituto, atque adeò responso docebatur. Quam legis partem, præter alias quas tunc recensebamus, huic loco, vt apprimè opportuno, reseruauimus. Nam beneficij cum primis nomine definimus, hominem in sui cognitionis angustias ita adductum fuisse, vt pœnitudine propriæ sortis affectum de salutis quærendæ ratione cura cogitatioq; subiret. id verò cùm humanum ingenium inuenire non posset, eiusdem legis doctrina indicaretur; ac non solùm fieri posse, sed quemadmodum, quo authore efficiendum esset, quo pacto exspectandum, ac demum percipiendum, compluribus institutis, imaginibus, atque sermonibus ad eandem rem destinatis, ostenderetur. Legis partes.

Igitur post peccati in hominibus naturam illam prauam ac rebellem impotentemq; insolentiam, non per genera modò, sed per innumeras species ac formas, vel potiùs deformitates, cognitam, & post patefactum illius fontem (cuius caput cùm humana sapientia non vidisset, riuulos consectata, frustra reprimere satagebat) secundum opus fuerat, nunquid tantum malũ corrigi posset, docere: tertium verò, de facultate ac virtute eius, à quo corrigi posset, demumq; de voluntate ac proposito agere: hæc verò vbi constarent omnia, quemadmodũ porrò procuranda essent, ostendere. His autem capitibus omnibus diuina lex abunde satisfaciens, primùm fieri posse declarauit, vt peccata non modò expiarentur, verùm tollerentur prorsus & exstinguerentur. id verò effectum iri asseuerabat sacrificij virtute, & sacrificantis authoritate, procuratione, & opera. quamobrem sacrificiorũ, quæ pro tempore opportuna erant, ritus, & rationem variam eadẽ instituit lex, creato ad id munus sacerdote ex hominibus ipsis, atque adeò mortali quoque, eodem tamen certis & statutis conditionibus delecto, sacris quibusdam legitimè initiato, successionis in eadem familia ac tribu conseruata serie alio atque alio in demortuorum locũ statuendo. Atque hæc summa ratio est constituendorum cùm sacrorum ac rituũ omnium quæ in lege decreta sunt, tum sacerdotum suis ordinibus distinctorũ, cum primisq; præcipui flaminis, qui summi siue maximi sacerdotis & pontificis, sæpe etiam inuncti & consecrati nominibus titulisq; appellatur. Huius autem sacerdotis ministerium amplißimum, quamquam

variis curis, variis exercebatur operis, triplici tamen in summa officio definitum est, videlicet, Sacræ doctrinæ præceptis & institutis eos, quos diligentiæ suæ commendatos habebat, instruendi, atque precibus assiduis & sacris factitandis Deo conciliandi, certisq́; ritibus, bonisq́; verbis expiandi, ubi errasse compertũ esset, simulq́; feliciter fausteq́; agere curandi. quod operæ genus benedictiones in sacro sermone vocatur. Atque ministeria omnia hæc multis rerum & sacrificiorũ tum naturis, tum rationibus, tum temporum, locorum, & personarũ conditionibus & circunstantiis, iisdemq́; arcanæ significationis plenissimis in ipsius diuinæ legis voluminibus traduntur, quæ quicunque diligenter illinc petere & cognoscere studuerit, non ingratam sibi positam operam experietur, dummodo eò quò referri oportet, referat; nec umbram tantùm rerum sectetur, imò res ipsas potissimùm tenere curet.

Verùm enimuero cùm rerum, tum personarum natura ipsa comparanda, examinanda, & pernoscenda, tum etiam periculo experimentoq́; assiduo deprehensum est, sacris ac ritibus & ministrationibus illis, quamuis frequentissimis, humano animo neque peccati pondus ac iugũ grauissimum tolli, neq́; metum illũ ac maledictum quod lex incutiebat, adimi; nec quietis quicquam afferri. Id quod propter duplicem, uti apparet, exceptionem euenire compertum est. Alteram, quòd cùm peccati debitum infinitum esset, pretioq́; oporteret infinito exsolui (hoc est, morte eius, à quo admissum fuerat, animæ, inquam, humanæ, quæ propter imaginẽ quam refert Dei, infinitudinis est particeps) nulla in omni animantium genere inueniri poterat hostia, quæ pro debitore ita satisdaret, ut à iustitia diuina nihil amplius eodem nomine peteretur. Alteram verò exceptionem ministrũ ipsum spectare lex indicabat. Namque sanctissimum, inprimisq́; gratissimum & charissimum Deo, nullaq́; prorsus nota excipiendũ esse oportuit Pontificẽ, cuius authoritate, opera, & gratia, offensæ publicæ ac maximæ ultionis ius remitteretur, & beneuolentiæ in homines perpetuæ pactio fieret, sancireturq́; fœdus. Id quod lex ipsa suis illis imaginibus apertè indicabat, dum exquisitissimas cũ deligendi, tum consecrandi ac dedicandi Pontifices partes minutatim ac singulariter exsecuta est: quas cùm in externo tantùm corporis membrorumq́; habitu, cultu, ac victu tot tantasq́; exigeret, facilè significabat, non pauciores minorésque exigi eas, quas diuinum iudiciũ in tanti ministri mente atque animo sitas requireret. at verò illas in nullo Sacerdotum ex Adami stirpe prognato, quicunque ex familia is, modò homo merus foret, cõstare, eadem ipsa lex apertè docuit: quippe quæ de Sacerdotis quoque ipsius erroribus atq́; peccatis expiandis, præcepta institutaq́; ediderit: quem, nisi maledicto quoque obnoxiũ nouisset, cur singularibus ac priuatis, necnon & communibus ritibus ac victimis pro seipso quoque mactandis addiceret, causa nulla fuerat. Itaque omnia hæc indicare, docere, & instituere poterat lex, corrigere verò prorsus ac planè præstare non poterat, propter carnis infirmitudinem, hoc est, exterioris hominis illius feminæ impotentiam & nequitiam, legis doctrinæ accusationi, autho-

*authoritati, atque imperio dissentientem vltro, & magis aliquando ex metu quàm ex studio parentem, non raro verò externa tantùm specie, & persona to magis quàm vero ac serio cultu obsequium simulantem, idq́ seipsam eiusmodi sanctitatis vmbra ac persona venditādi & ornandi cupiditate & consilio, atque etiam commento ad proprium commodū referendo. Ex hac autem disputatione illud conficitur documentū à legis cultoribus cùm simulatis, vel pœnæ metu impulsis, tum candidioribus obseruatū, non eam fuisse legis vim & efficientiā, quam humanæ infelicitatis magnitudo ad plenæ salutis vsum exigeret: vtpote quæ neque vires ad vitam valetudinemq́ animorū præstaret idoneas, neque satis aptum ac præsens ad mala iam admissa expianda sacrificiorum illorum adhiberet remedium. Cæterùm vt hæc hominibus infirmitudinis suæ ratio constaret, lex ipsa molita est, in eaq́ re vim omnem conatumq́ parauit, vt homo mortē suam agnosceret, & vitam desideraret, desideratā verò non desperaret, sed restitui posse edoctus, rationē quoque teneret, quemadmodū restitutum iri credere & sperare posset, eamq́ certis & arcanis sacris factitandis ac frequentandis traditam, aßidua cogitatione meditaretur, nec verò illis plus quàm verarū imaginibus rerū ac figuris tribueret; sed piè tamen exercendis, & ritè curandis res ipsas intento animo cogitaret, & ardenti studio expeteret, atque à vero & vnico authore vitæ contentis precibus ac supplicationibus posceret, demumq́ huiusmodi officij constantia impetraret. Hæc, & his consona plura alia, dum de sacris ritibus præciperet, lex docebat eos, quos attentos professores ac discipulos nancisceretur. idq́ identidē huiusmodi promißi formula significabat: Orabitq́ pro eo Sacerdos & pro peccato eius coram Domino, & repropitiabitur ei, dimittetúrque peccatum.* Leuit. 19.

*Atque eos qui huiusmodi tum sui ipsorum, tum etiam temporis atque sacrificiorum illorum infirmitudinis doctrina & cognitione imbuti essent, eadem lex consolata exhortataq́ est ad fidem & expectationem maximi cuiusdam Pontificis à Deo inter homines constituendi, cuius ministeriū & sanctißimum prorsus foret, & ad faciendum litandumq́ pro populo efficacißimum, vnica tantùm cædenda & sacrificanda hostia, quæ diuinæ iustitiæ pro omnibus omniū debitis abunde sufficeret: cuius hostiæ ac victimæ vim cætera omnia legitima sacrificia variis imaginibus ac ritibus repræsentarent quidem, vmbræ tamen instar omnia haberent, magis quàm res ipsas exhiberent, nisi quatenus (ne prorsus otiosè agitarētur) lotionibus lustrationibusq́ suis externam carnis impuritatem ac sordes expiarent; quod ipsum quoque ad præstantißimæ illius hostiæ virtutem ac significationem referebatur.*

*S. S. E. His verò ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant Sacerdotes sacrificiorū officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus Pontifex non sine sanguine, quē offert pro sua & populi ignorantia, hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priori tabernaculo habente statum, quæ parabola est temporis instan-* Hebr. 9.

» *instantis, iuxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta*
» *conscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibus & in poti-*
» *bus, & varius baptismatibus & iustitiis carnis vsque ad tempus correctio-*
» *nis impositis. Idemq́ paulo pòst, Sanguis, inquit, hircorum & taurorum, &*
» *cinis vitulæ adspersus, coinquinatos sanctificat ad emundationem carnis.*

# Diuinæ legis doctrina de hominum salute ex Dei beneficio ac liberali dono exspectanda. Cap. XIII.



INTER *tam multa, tamq́ varia præcepta & instituta, quibus inculcãdis magna doctrinæ illius priscæ (quã Legem appellamus) consumitur pars, interq́ multiplices, & aßiduè repetendas sacrorum ac rituum formas, quibus salutis veræ arcana referebatur significabaturq́ ratio, diuini beneficij illius maximi hominibus credendi, sperandi, atque exspectandi promissa opportunis locis non obscurè facta reperiuntur, in quibus & humanæ felicitatis author Deus indicatur, idemq́ per Vatem, legis ministrum, & opportunitatem beneficij illius maximi, tum demum allaturum sese recipit, cùm iam res hominũ ad infimum miseriarum locũ reductæ, nec naturæ viribus, nec vllo ingenio, nullâve humana vel industria vel ope correctũ iri iudicarentur, atque adeò cùm sese sub legis maledicto propter impotentiam & prauitatem atque impietatem oppressas agnoscerent ac sentirent, nullamq́ sua sponte rationem aliam sibi ineundã ducerent, nisi deprecationis atque supplicationis in cælum intentæ, diuinásque aures aßiduis clamoribus, lamentis, & precibus ex conditionis propria pœnitudine solicitantis. Tum verò Deum præstò futurum, cuius authoritate & efficientia miserrima illa atque calamitosa conditio hominum in mediis rerum tempestatibus periclitantium ad mirificæ & suauißimæ luculentißimæq́ quietis & tranquillitatis plenißimum locum traducerentur.*

Deut. 30. *Cùm ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio siue maledictio quam*
» *proposui in conspectu tuo; & ductus pœnitudine cordis tui in vniuersis gen-*
» *tibus, in quas disperdiderit te Dominus Deus tuus, & reuersus fueris ad*
» *eum, & obedieris eius imperiis, sicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis,*
» *in toto corde tuo, & in tota anima tua: reducet te Dominus Deus tuus de*
» *captiuitate tua, ac miserebitur tui, & rursus congregabit te de cunctis popu-*
» *lis in quos te antè dispersit. Si ad cardines cæli fueris dißipatus, inde te de-*
» *trahet Dominus Deus tuus, & assumet, atque introducet in terram quam*
» *possederunt patres tui, & obtinebis eam: & benedicens tibi, maioris numeri*
» *te esse faciet, quàm fuerunt patres tui.*

*Quo responsò diuino alteram salutem homines & credere & sperare iussi sunt, longè profectò illustriorem, multoq́ feliciorem priore illa, quam solutis*

*Ægy-*

Aegyptiacis ergastulis Israelitæ experti fuerant. siquidem illa ciuilis tantùm fuerat, corporumq́ libertatem solùmodo afferre, & instituendæ in terris reipublicæ formam præscribere visa est: tamen animorum, qui sub peccati iugo ac seruitute laborabant, conditionem non adeò meliorem, quàm antea, constituisse deprehẽdebatur. Nihil enim, vti Paulus affirmat, ad perfectum adduxit lex: verùm illa, sicuti paulo antè adnotare cœpimus, desideratam & requisitam in se humanarum rerum perfectionem in posterum tempus exspectandam pollicebatur, eamq́ confectum iri declarabat singulari dono ac virtute Dei, qui damnatam illam & improbatam veteris Adami pelliculam, qua priscæ fraudis contages inhærebat, sacrosancta arcanaq́ efficientia detracturus, & nouo valetudinis ac vitæ genere mutaturus esset, atque adeò imaginem illam circuncisionis antiquæ, in externo corporis habitu ac situ celebratam & frequentatam, ad veræ, exactæ, & absolutæ rei ac virtutis exemplum translaturus, corde humano in melius immutando, & interiore illo homine masculo, qui iam diu languens, & penè mortuus iacuerat, non modò ad natiuam propriamq́ virtutem instaurando, sed ad diuinam prorsus conditionem promouendo: id verò beneficium quod in vmbra & imagine apud vnicam Israelitarum familiam positum antea fuerat, tanquam in singulari schola, ex qua tamen orbis omnis doctrinæ veræ elementa discere potuisset, non illi tãtùm genti posthac, sed omnibus omnium gentiũ nationibus in eandem spem & rationem atque misericordiæ liberalitatisq́ vsuram vocatis, communicandũ ac præstandũ. Hoc enim illa in proximè citati responsi parte postrema formula significabat, videlicet: Et benedicens tibi, maioris numeri te esse faciet, quàm fuerint patres tui. Quod de patribus illis dicitur, qui, Moyse duce, Pharaonis tyrannidem euaserant, numero plus quàm sexcentorum millium eorum qui patres esse nominariq́ iure poterant, quippe quorum ætas armis gestandis esset idonea. Illud autem diuinum arcanumq́ naturæ corrigendæ atque in melius immutandæ beneficiũ admirabili Dei efficientia constiturum, quo verum humano generi decus, atque diuinarũ rerum serium studiũ afferendum esset, eadem legis antiquæ doctrina, eiusdem responsi continuata serie atque obseruata expositione promittitur. Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuũ, & cor seminis tui, vt diligas Dominũ Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere. Quantam verò ex huiusmodi circuncisione humani generis, rerum, ac status in melius conuersionem exspectari oporteret, quantamq́ felicitatis ac beatitatis copiam demum allatã experiri par esset; subiuncta descriptione, explicatam animaduertere expediert. Omnes autẽ maledictiones has conuertet super inimicos tuos, & eos qui oderunt te, & persequuntur (qui verò, qualesq́ inimici isti qui notantur, dicendi sint, vel qui legit, intelligat, vel ex alio nostrorũ scriptorum loco requirat) tu autem reuerteris, & audies vocẽ Domini Dei tui, faciesq́ vniuersa mãdata, quæ ego præcipio tibi hodie: & abundare te faciet Dominus Deus tuus in cũctis operibus manuũ tuarũ, in sobole vteri tui, &

Rom. 7, 12.

Genesis 8, 28

Deut. 30.

Ex Significationibus in Apocalypsin

» *in fructu iumentorum tuorū, in hubertate terræ tuæ, & in rerum omnium*
» *largitate. Reuertetur enim Dominus vt gaudeat super te in omnibus bonis,*
» *sicut gauisus fuit in patribus tuis.* Atque egregiæ felicitatis imago hæc
vnà cum circuncisione cordis, quæ primùm rebus in melius mutandis fun-
damentum iactura esset, ab externo sensu ad arcanam & Spiritu obtinēdam
veritatem transferenda ei fuerit, qui diuini consilij seriem per ætates ex-
plicandam obseruaturus, legendis nostris operam dare, in animū induxerit
suum. Hoc enim est quod ab eodem diuino oraculo per noui Testamenti inter-
Rom 2. pretes ac ministros declaratur: *Non enim qui in manifesto Iudæus est, ne-*
» *que quæ in manifesto in carne est circuncisio; sed qui in abscondito Iudæus*
» *est, & circuncisio cordis in spiritu, non litera; cuius laus non ex hominibus,*
» *sed ex Deo est.* Idem etiam alio loco iis, qui tanto diuino beneficio affecti
Coloss. 2. erant, gratulabundus & exponens aiebat: *In quo & circuncisi estis circun-*
» *cisione non manu facta in exspoliatione corporis carnis, sed circuncisione*
» *Christi, consepulti ei in baptismo: in quo & resurrexistis per fidem opera-*
» *tionis Dei, qui suscitauit illum à mortuis. Et vos cùm mortui essetis in deli-*
» *ctis & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo: donans vobis omnia*
» *delicta [præterita] delens quod aduersum nos erat, chirographum decreti*
» *[peccatum] quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens*
» *illud cruci: & exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter pa-*
» *làm, triumphans illos in semetipso.* Huiusmodi verò arcanæ circuncisionis
euentus is exspectandus erat, quo nihil in hominum vota cadere posset, aut
beatius aut optatius, videlicet diuinæ legis intra animum defigendæ virtus,
eiusdemq́ purè obseruandæ admirabilis facultas omni metu libera, & ma-
ledicti atque exsecrationis experte, imò contrà cumulatissimi gaudij perpe-
tuæq́ pacis ac felicitatis muneribus adaucta, hanc rem efficiente eodē Deo,
cui soli circuncisionis tantæ authoritas iure tribuenda fuit, nulla præter-
ea nec humanæ industriæ, nec terrestri sapientiæ aut diligentiæ propriæ ad-
scribenda, tantummodo verò iis partibus atque officiis expetenda, & anxiè
quærenda, quas parteis ab ipso constituti orbis initio per Deum ex homini-
bus exactas iam sæpius retulimus, fide videlicet effatorum ac promissorum
Dei, & eorum legis mandatorum obseruantia, quæ humana vis, etiam post
primæ dignitatis iacturam vel faciliora præstare honestè, vel difficiliora
conari probabiliter posset. Namque hanc rationem duplicem cùm officij par-
tiumq́ hominis, tum beneficij atque efficientiæ Dei, eadem ipsa antiqua lex
descriptam testatamq́ tradidit, & ad spem hominibus faciendam firmauit,
vbi promissis iis, quæ paulo antè commemorabamus, illud e uestigio subiūxit:
» *Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris præcepta eius &*
» *ceremonias quæ in hac lege conscripta sunt, & reuertaris ad Dominum*
» *Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua.* MANDATVM HOC
» *quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cæ-*
» *lo situm, vt possis dicere: Quis nostrûm valet ad cælū adscendere, vt deferat*

illud

illud ad nos, vt audiamus atq; opere compleamus? Neq; trans mare positum, "
vt causeris & dicas: Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos "
vsq; deferre, vt poßimus audire & facere quod præceptū est? Sed iuxta te est "
sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. Hæc itaque summa "
ratio est eorum beneficiorū diuinorumq; donorum, quorum causa diuinam legem latam, atque adeò omnia sacra scripta, dictata, ac tradita accepimus.

Iam verò illud reliquum fuerat vt lex eadem, quæ bonorum omnium finem declarauerat, authorem quoque ipsum ac ministrum tantæ felicitatis indicaret, & eum quatenus exspectari, quibus signis obseruari, quonam pacto probari, qua mente & ratione excipi phas iusq; foret, docendo ostenderet. Atque huic etiam parti cumulatè consuluisse legem intelleximus. PRO- Deut. 18.
phetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus "
Deus tuus: ipsum audies, vt petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quando con- "
cio congregata est, atque dixisti: Vltrà non audiam vocem Domini Dei mei, "
& ignem hunc maximum ampliùs non videbo, ne moriar. Et ait Dominus "
mihi, Bene omnia sunt locuti, Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suo- "
rum similem tui. Atqui similitudo hæc, quam Moyses probandam, ac Deus "
etiam obseruandam præfiniuit [Sicut me, & , Similē tui] non ad naturæ definitionem referenda erat, vt descriptio & adnotatio hominem futurum Vatem illum significaret: namq; hoc prioribus verbis declaratū erat [De gente tua & de fratribus tuis. & , De medio fratrum suorū.] qui & homines & Israelitæ omnes erant. Hominem itaque Prophetam illum, atque adeò ex Israelitarum gente futurum prænotauerat promißio, verùm eūdem hominem plus etiam & amplius quàm pro humanæ sortis conditione amplificatum iri tam idem subindicabat promissum, non sine verborum mysterio. SVSCITABIT DOMINVS: SVSCITABO DE EIS. Hunc verò Prophetam habitu quidem hominem, virtute verò plus homine habentem, quod ad muneris functionem attinet, Moysis parteis omnes acturum, & totius legationis illius instar obseruanda serie obtenturum voces illæ indicabant, CHAMONI, CHEMOCHAH, videlicet eundem & diuinæ voluntatis ac misericordiæ, deq; publica salute curæ interpretem & præconem, eundemq; libertatis ac salutis ministrum, multis ac variis argumentis & signis ornatum & commendatum, demū verò diuinæ legis ferendæ, & fœderis denuo sanciendi, sacerdotumq; inungendorum Pontificem maximum, alio tamen pacto alioq; sublimiore exemplo efficacem, videlicet diuinæ planè compotem virtutis, quæ cum illa circuncisione cordis quadraret, quam Deus efficiendam, sibiq; adrogandam receperat. Siquidem omnia hæc Moysis fide & opera explicata fuerant, re quidem vera, veroq; experimento ac manifesto hominum sensu percepta: quæ tamen ad eorum, quæ postea edenda parabātur, speciem Coloss. 1. Hebr. 10.
& veritatem ac præstantiam si conferrentur, vmbram profectò magis futurorum, quàm rerum ipsarum definitionem sortiri iudicarentur, tantumq; posterioribus cessura, quantum quæ humana, fluxa, caduca, atque mutabilia sunt,

*sunt, solidis, perpetuis, constantibus & æternis, planeq́ diuinis concedere iure debent. Nihil enim à Propheta illo promisso vel dicendum, vel agendum, vel conficiendum erat, quin idem Deum verum, vnicum, & præsentē laudaret authorem. Ponam verba mea in ore eius, loqueturq́ ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquitur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exsistam.*

*Atque hactenus ea indicasse sat fuerit, quæ de salutis publicæ ratione, authoritate, atque vsu & experimento, demumq́ mysterio omni, antiqua illa lex prænotanda atque exspectanda proposuit, dum humanæ naturæ infirmitudinem prodens, curationem verò suarum partium esse abnuens, sublimi & efficacissimo alteri Prophetæ diuina veritate & virtute instructo remisit & concessit. Ex quo factum est vt eadem lex dux & pædagogus ad Christum esse prædicaretur. Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo.*

Galat. 3.

## Idem de publica salute promissum responsis diuinis Vatum operâ celebratum & firmatum. CAP. XIIII.



ANTIQVIORA *scripta omnia tribus partibus distincta, totidemq́ nominibus à Spiritu sancto in recentioribus libris inscripta adnotauimus, Legis videlicet, Prophetarum, & Psalmorum. in omnibus autem suam de publica hominum salute voluntatem testatam consignatamq́ Deus voluit, & hominum generi consilij sui rationem significatam, & ad sperandum propositam statuit. Id quod non oscitanter tenendum, sed quàm diligentissimè consulendum & obseruandum idem ipse à Deo demum legatus commendabat, dum salutis prædicandæ nuncium sese afferre professus, conficiendæ quoque Pontificem significaret. Opera quæ dedit Pater vt perficiam ea: ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me: & qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me. neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem eius vidistis, & verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me vt vitam habeatis. Claritatem ab hominibus non accipio. Sed cognoui vos quia dilectionem Dei non habetis in vobis. Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis? Nolite putare quia ego accusaturus sum vos apud Patrem: est qui accuset vos, Moyses, in quo vos speratis. Si*

Ioan. 5.

*enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. de me enim ille scripsit.* «
*Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis? Idem quo-* «
*que Vates Vnctus, idemq́ vitæ author, dum suos instrueret discipulos, aiebat:*
*Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos quum adhuc essem vobiscum, quo-* Lucæ 24.
*niam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophe-* «
*tis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas.* «
*& dixit eis, Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, &* «
*resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam &* «
*remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus à Ierosolyma; & vos* «
*testes estis horum. Eandem quoque sacræ legis ac Prophetarum lectionem* «
*sibi obseruatam, & cum veritate collatam, discipuli fatebantur. Inuenit Phi-* Ioan. 1.
*lippus Nathanael, & dicit ei, Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ,* «
*inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. Et Paulus, Scimus, inquit,* Rom. 3.
*quia quæcunque lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur: vt omne os ob-* «
*struatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non iu-* «
*stificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nunc au-* «
*tem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophetis. Iu-* «
*stitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui cre-* «
*dunt in eum. non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent* «
*gloria Dei. Idem etiam Apostolus suæ gentis errorem miseratus, ait: Fra-* Ibid. 10.
*tres, voluntas quidem cordis mei & obsecratio ad Deum, fit pro illis in sa-* «
*lutem. Testimonium enim perhibeo illis quòd emulationem Dei habent, sed* «
*non secundùm scientiam. Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quæ-* «
*rentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Finis enim legis, Christus:* «
*ad salutem omni credenti. Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam quæ ex* «
*lege est, qui fecerit homo, viuet in ea. Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit:* «
*Ne dixeris in corde tuo, quis adscendet in cælum? id est, Christum deducere.* «
*Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis reuocare. Sed* «
*quid dicit Scriptura? Propè est verbũ in ore tuo, & in corde tuo, hoc est ver-* «
*bum fidei quod prædicamus. Idem etiam Romæ in custodia detentus, iis qui* Act. 28.
*sese consulerent Iudæis exponebat, testificans regnum Dei, suadensq́ eis de* «
*Iesu ex lege Moysi & Prophetis, à manè vsque ad vesperam.* «

*Quæ verò per Moysen de illius promissi Vncti præsentia, virtute, præ-stantia & efficacitate scripta fuerant, ab ipso diuini consilij declarati tempore, vsque ad repetitæ legis instaurationem, non omnia, sed quædam indicabamus, quæ ad argumenti expositionem pro huius operæ ratione satis fore intelligimus. Namque singula persequi, infiniti propè laboris operisq́ esset, Commentariiq́ in ipsam legem potiùs nomen, quàm hoc, postularet, quod* Magni operis animã *inscribere instituimus. Illud tamẽ quasi postremum, ideóque memoriæ mandandum, huic parti adiungendum duximus, quod siue præcepti, siue promissi mereatur titulum, perinde fuerit; in lege quidem scriptum, tamen non ante Maximi illius Vncti felicissima tempora planè ple-*

Leuit. 11. *neque præstitum. Ego sum Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra*
» *Aegypti, vt essem vobis in Deum. Sancti eritis, quia ego sanctus sum.*

*His ergo quæ ex lege citata nobis iam constant oracula, proximum fuerit, ex aliis Vatibus qui post Moysen oracula sua literarum monumentis ad posteritatem instruendam commendarunt, quæ ad huius diuini promissi fidem faciant, oportunissima quæq; recensere, iacto cum primis argumenti cuiusdam communis fundamento, cui omnis mysterij huius admirandi ratio variis verborum ac sententiarum figuris & imaginibus enunciata innitatur.*

1 Pet. 1. *De qua salute, inquit Petrus, exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ,*
» *qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod vel quale*
» *tempus significaret in eis Spiritus Christi: prænuncians eas quæ in Christo*
» *sunt passiones & posteriores glorias: quibus reuelatum est, quia non sibi-*
» *metipsis, vobis autem ministrabant ea quæ nunc nunciata sunt vobis per eos*
» *qui euangelizauerunt vobis, Spiritu sancto misso de cælo, in quem desiderant*
» *Angeli prospicere. Idem etiam alio in loco, verba suorum gentilium cœtui*
» *faciens, aiebat: Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata vestra:*
» *vt cùm venerint tempora refrigerij à conspectu Domini, & miserit eum qui*
» *prædicatus est vobis, Iesum Christum, quem oportet quidem cælum suscipere*
» *vsque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Dominus per os san-*
» *ctorum suorum à seculo Prophetarum. Moyses quidem dixit, Quoniam Pro-*
» *phetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tãquam*
» *me: ipsum audite iuxta omnia quæcunque locutus fuerit vobis. Erit autem,*
» *omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.*
» *Et omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps qui locuti sunt, annunciauerunt*
» *dies istos. Vos estis filij Prophetarum & testamenti quod disposuit Deus ad*
» *patres nostros, dicens ad Abraham, In semine tuo benedicentur omnes fa-*
» *miliæ terræ.*

## Salutis humanæ à Vatibus prænuntiatæ summa ac breuis descriptio. CAP. XV.



VMANI *generis à primis parentibus acceptam, atque in omnes posteros deductam, perpetuoq; manentem conditionem cum primis meditati Vates, & miserrimam prorsus agnoscentes, neque genere ipso dignam, neque vllius humanæ virtutis aut artis ope mutari posse intellexerant, quam grauiter ferre, & assiduis lamentis ac fletibus prosequi ipsa rei ratio ac magnitudo suadebat: præcipuè verò vbi id quod aliàs auxilio atque remedio esse posse putaretur, hoc est, legis scriptæ beneficium, oneris potiùs ac ponderis augmẽto fuisse deprehensum fuerit. quæ omnia simul effecerant, vt sapientissimum quemque hominem suæ omnino sortis pœniteret, ac planè tantæ miseriæ animo atque cogitatione, immo sensu ipso pertæderet, idq; variis modis decantatum, ac potiùs deploratum, di-*

*uersas*

*uersas querimonias prorumpere cogeret, nunc patrum vitium accusantem, nūc sese in mundo natū dolentem, vel quamprimum abolitum fuisse optantem. Ex quo argumento illa frequenter vsurpabantur: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Patres nostri peccauerunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portauimus.* Ezech. 18. Thren. 5.

*Verùm enimuero huiusmodi dolore ac mœrore affectos pios ac sanctos viros, quos Prophetas siue Vates nominamus, diuina benignitas consolabatur & reficiebat promissione maximi ac præstantissimi doni olim Deo vnicè efficiente hominibus communicandi: cuius veritatem cùm ex promittentis authoritate crederent, modum tamen & rationem edendi & conficiendi, neque ipsi, neque etiam ipsis longè sapientiores Angeli apertè intelligere potuerunt. Mysterium (inquit Paulus) quod absconditum fuit à seculis [antiquis] & generationibus [humanis & angelicis]. Attamen hos, quamquam cætera sapientiæ diuinæ de hac re arcana pro tempestatis illius infirmiore statu latuissent, illud tamen edoctos Deus voluit, fore, vt illius maximi muneris veritate, facultate, & constantia humanum genus non modò antiqua illa atque innata seruitutis calamitate liberum euaderet; sed in sublimiorem locum & ordinem prouectum, diuinam sanè conditionem sibi oblatam experiretur, & in Filij Dei dignitate & amplitudine sese positum admiraretur; idq; assiduis supplicationibus fassum, perpetua etiam gratulatione, & nunquam intermittendis misericordiæ & gratiæ Dei laudibus celebraret.* Coloss. 1.

*Hanc itaque felicitatem, vt vnicam & maximam hominibus omnibus constanti fidè credendam, & sedulo pœnitentiæ ac virtutum studio exoptandam, contentis precibus à Deo authore vnico postulandam, Vates persuadere curabant, cuius vnica causa cætera omnia, quæcunque mortalibus appetuntur, contēnenda ac despicienda censuere. Atque huiusmodi felicissimam conditionem cùm propriis verbis, vtpote diuinam, homini indicari & pronunciari minimè posse intelligerent, earum rerum imaginibus, iisq; sermonum, sententiarum, atque verborum tropis & figuris sancti illi viri significabāt, quibus faustissima, beatissima, & suauissima, ac iucundissima quæcunque existimantur, significare & commendare humanum eloquium solet.*

*Hoc nobis veluti Vaticiniorum proœmium præfatis ipsos tam eandem rem mirabiliter concinentes audire iucundissimum pariter & vtilissimum fuerit.*

IN *illa die erit germen Domini in magnificentia, & in gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio iis qui saluati fuerint de Israel. Et erit, omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita in Ierusalem. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij, & spiritu ardoris. Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus est, nubem per diem, & fumum, & splendorem ignis flammantis in nocte. Super omnem enim gloriam protectio. Et tabernaculum* Esaia 4.

» culum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsio-
» nem à turbine, & à pluuia.

Isaiæ 9. Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam? Lætabuntur coram te,
» sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diui-
» dunt spolia. Iugum enim oneris eius [peccatum] & virgam humeri eius
» [pœnam] & sceptrum exactoris eius [legis maledictum] superasti sicut in
» die Madian. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum
» mixtum sanguine erit in combustionem & cibus ignis. PARVVLVS enim
» natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super hu-
» merum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus for-
» tis, Pater futuri seculi [noui fœderis] Princeps pacis. Multiplicabitur eius
» imperium, & pacis non erit finis, super solium David & super regnũ eius
» sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia amodo vsque
» in sempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc.

## De pace & quiete publica sanctorum.

Isaiæ 11. ET egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et
» requiescet super eum Spiritus Domini. spiritus sapientiæ & intellectus, spi-
» ritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis; & replebit eum
» spiritus timoris Domini: non secundùm visionem oculorum iudicabit, neque
» secundùm auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, & ar-
» guet in æquitate pro mansuetis terræ: & percutiet terram virga oris sui,
» & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit iustitia cingulum
» lumborum eius: & fides cinctorium renum eius. Habitabit lupus cũ agno:
» & pardus cum hœdo accubabit: vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur,
» & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrsus pascentur: simul requiescet
» catuli eorum: & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur filius ab ube-
» re super foramine aspidis: & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, ma-
» num suam mittet. Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto
» meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes. In
» die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabun-
» tur, & erit sepulchrum eius gloriosum. Et erit in die illa: adiiciet Dominus
» secundò manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinque-
» tur ab Assyriis, & ab Aegypto, & à Phethros, & ab Aethiopia, & ab
» Aelan, & à Sennaar, & ab Emath, & ab insulis maris. Et leuabit signum
» in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à
» quatuor plagis terræ, Et auferetur zelus Ephraim, & hostes Iuda peribũt:
» Ephraim non æmulabitur Iudam, & Iudas non pugnabit contra Ephraim.
» Et volabunt in humeros Philisthiim per mare, simul prædabuntur filios
» Orientis: Idumæa & Moab præceptum manus eorum, & filij Ammon obe-
» dientes erunt. Et desolabit Dominus linguam maris Aegypti, & leuabit
» manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui: & percutiet eum in
septem

*ſeptem riuis, ita vt tranſeant per eum calceati. Et erit via reſiduo populo meo, qui relinquetur ab Aſſyriis: ſicut fuit Iſraeli in die illa qua aſcendit de terra Aegypti.*

## Confeſſio hominis ad diuinam conditionem traducti.

Isaiæ 12.

ET *dices in die illa, Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuerſus eſt furor tuus, & conſolatus es me. Ecce Deus ſaluator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea, & laus mea Dominus Deus, & factus eſt mihi in ſalutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris. Et dicetis in die illa, Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius: mementote quoniam excelſum eſt nomen eius. Cantate Domino, quoniam magnificè fecit: annunciate hoc in vniuerſa terra. Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael.*

## Miſericordia erga Iacobum, illiq́ue conſcriptos aduenas.

Isaiæ 14.

PROPE *eſt vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Miſerebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Iſrael, & requieſcere eos faciet ſuper humum ſuam: adiungetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob. Et tenebunt eos populi, & adducent eos in locum ſuum: & poſsidebit eos domus Iſrael ſuper terram Domini in ſeruos & ancillas: & erunt capientes eos qui ſe ceperāt, & ſubiicient exactores ſuos. Et erit in die illa: cùm requiem dederit tibi Deus à labore tuo, & à concuſsione tua, & à ſeruitate dura qua antè ſeruiſti, ſumes parabolam iſtam contra regem Babylonis, & dices: Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum? Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione plaga inſanabili, ſubiicientem in furore gentes, perſequentem crudeliter. Conquieuit & ſiluit omnis terra, gauiſa eſt, & exultauit: abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te, & cedri Libani. Ex quo dormiſti, non aſcendit qui ſuccidat nos. Infernus ſubterconturbatus eſt in occurſum aduentus tui, ſuſcitauit tibi gigantes. Omnes principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes principes nationum. Vniuerſi reſpondebunt, & dicent tibi, Et tu vulneratus es ſicut & nos, noſtri ſimilis effectus es. Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuum: ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuū erunt vermes. Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo, In cælum cōſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſsimo. Verumtamen ad infernum detrahêris in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teq́ proſpicient: Nunquid iſte eſt vir qui conturbauit terram, qui concuſsit regna: Qui poſuit orbem deſertum, & vrbes eius deſtruxit, vinctis eius non aperuit carcerem? Omnes reges gentium vni-*

„ *uersi dormierunt in gloria, vir in domo sua. Tu autem proiectus es de sepul-*
„ *chro tuo, quasi stirps inutilis pollutus, & obuolutus cum his qui interfecti*
„ *sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci, quasi cadauer putridum.*
„ *Non habebis consortium neque cum eis in sepultura: tu enim terram tuã dis-*
„ *perdidisti, tu populum tuum occidisti: non vocabitur in æternum semẽ pes-*
„ *simorum. Præparate filios eius occisioni in iniquitate patrum suorum: non*
„ *consurgent, neque hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis ciui-*
„ *tatum. Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum, & perdam Ba-*
„ *bylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem: dicit Dominus. Et*
„ *ponam eam in possessionem ericij, & in paludes aquarum, & scopabo eam in*
„ *scopa terens, dicit Dominus exercituum. Iurauit Dominus exercituum, di-*
„ *cens: Si non vt putaui, ita erit: & quomodo mente tractaui, sic eueniet: vt*
„ *conteram Assyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum, &*
„ *auferetur ab eis iugum eius, & onus illius ab humero eorum tolletur. Hoc*
„ *consilium quod cogitaui super omnem terram, & hæc est manus extenta su-*
„ *per vniuersas gentes. Dominus enim exercituum decreuit, & quis poterit*
„ *infirmare? & manus eius extenta, & quis auertet eam?*

## Terræ quondam infelicis exitium, id est, veteris hominis mors.

Isaiæ 24. 19. CONFRACTIONE *confringetur terra, contritione conteretur ter-*
„ *ra, commotione cõmouebitur terra: agitatione agitabitur terra sicut ebrius,*
„ *& auferetur quasi tabernaculum vnius noctis: & grauabit eam iniquitas*
„ *sua, & corruet, & non adiiciet vt resurgat. Et erit in die illa: visitabit Do-*
„ *minus super militiam cæli in excelso, & super reges terræ, qui sunt super*
„ *terram. Et congregabuntur in congregatione vnius fascis in lacum, & clau-*
„ *dentur ibi in carcere: & post multos dies visitabuntur. & erubescet luna, &*
„ *confundetur sol, cùm regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, &*
„ *in Ierusalem, & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.*

Ibid. 25. DOMINE, *Deus meus es tu: exaltabo te, & confitebor nomini tuo:*
„ *quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, Amen. Quia po-*
„ *suisti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam, domum alienorum:*
„ *vt non sit ciuitas, & in sempiternum non ædificetur. Super hoc laudabit te*
„ *populus fortis, ciuitas gentium robustarum timebit te. quia factus es forti-*
„ *tudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, vmbracu-*
„ *lum ab æstu. Spiritus enim robustorũ quasi turbo impellens parietem. Sicut*
„ *æstus in siti, tumultum alienorum humiliabis, & quasi calore sub nube tor-*
„ *rente propaginẽ fortium marcescere facies. Et faciet Dominus exercituum*
„ *omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ*
„ *pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Et præcipitabit in monte isto*
„ *faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est su-*
„ *per omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternum: & auferet Do-*
*minus*

*minus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de* "
*vniuersa terra: quia Dominus locutus est. Et dicet in die illa, Ecce Deus no-* "
*ster iste, exspectauimus eum, & saluabit nos: iste Dominus, sustinuimus* "
*eum, exultabimus, & lætabimur in salutari eius. quia requiescet manus Do-* "
*mini in monte isto: & triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleæ in* "
*plaustro. Et extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natãdum:* "
*& humiliabit gloriam eius cum allisione manuum eius. Et munimenta sub-* "
*limium murorum tuorum concident, & humiliabuntur, & detrahentur in* "
*terram vsque ad puluerem.* "

## Confessio & gratulatio Sanctorum, cum supplicatione.

In *die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda.*
*Vrbs fortitudinis nostræ, Saluator ponetur in ea murus & antemurale.* Isa. 26.
*Aperite portas, & ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem.* "
*Vetus error abiit: seruabis pacem: pacem, quia in te sperauimus.* "
*Sperastis in Domino in seculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuũ.* "
*Quia incuruabit habitantes in excelso, ciuitatem sublimem humiliabit:* "
*humiliabit eam vsque ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem.* "
*Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum.* "
*Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum.* "
*Et in semita iudiciorum tuorum Domine sustinuimus te: nomen tuum,* "
*& memoriale tuum in desiderio animæ.* "
*Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis* "
*meis de manè vigilabo ad te: cùm feceris iudicia tua in terra, iustitiam di-* "
*scent habitatores orbis.* "
*Misereamur impio, & non discet iustitiam: in terra sanctorum iniqua* "
*gessit, & non videbit gloriam Domini.* "
*Domine exaltetur manus tua, & non videant: videant & confundan-* "
*tur zelantes populi, & ignis hostes tuos deuoret.* "
*Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis.* "
*Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te, tantùm in te* "
*recordemur nominis tui.* "
*Morientes non viuant, gigantes non resurgant: propterea visitasti & con-* "
*triuisti eos, & perdidisti omnem memoriam eorum.* "
*Indulsisti genti Domine, indulsisti genti: nunquid glorificatus es? elon-* "
*gasti omnes terminos terræ.* "
*Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina* "
*tua eis. Sicut quæ concipit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens cla-* "
*mat in doloribus suis: sic facti sumus à facie tua Domine.* "
*Concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum: salutes non* "
*fecimus in terra; ideo non ceciderunt habitatores terræ.* "
*Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini, & laudate* "

» *qui habitatis in puluere: quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detra-*
» *hes in ruinam. Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua*
» *super te, abscondere modicũ ad momentum, donec pertranseat indignatio.*
» *Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habi-*
» *tatoris terræ [peccati regnantis in Adamo vetere] contra eum: & reuelabit*
» *terra sanguinem suum, & non operiet vltrà interfectos suos.*

## Iudicium in tyrannidem maximi hostis hominum.

Isaia 27. *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, [infinita ef-*
» *ficacitatis vi] & forti, super Leuiathan serpentem vectem [infrenem, &*
» *apertam hominum impudentiam & potentiam] & super Leuiathan ser-*
» *pentem tortuosum [dolosam sapientiæ simulationem] & occidet eum qui in*
» *mari est. In die illa vinea meri cantabit ei. Ego Dominus qui seruo eam, re-*
» *pentè propinabo ei: ne fortè visitetur contra eam, nocte & die seruo eam.*
» *Indignatio non est mihi: quis dabit me spinam & veprem in prælio: gradiar*
» *super eam, succendam eam pariter? An potiùs tenebit fortitudinem meam,*
» *faciet pacem mihi, pacem faciet mihi? Qui ingrediuntur impetu ad Iacob,*
» *florebit & germinabit Israel, & implebunt faciem orbis semine. Nunquid*
» *iuxta plagam percutientis se percußit eum? aut sicut occidit interfectos eius,*
» *sic occisus est? In mensura contra mensuram cùm abiecta fuerit, iudicabis*
» *eam: meditatus est in spiritu suo duro per diem æstus. Idcirco super hoc di-*
» *mittetur iniquitas domui Iacob: & iste omnis fructus vt auferatur pecca-*
» *tum eius, cùm posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos, non*
» *stabunt luci & delubra. Ciuitas enim munita desolata erit, speciosa relin-*
» *quetur & dimittetur quasi desertum: ibi pascetur vitulus, & ibi accubabit,*
» *& consumet summitates eius. In siccitate messes illius conterentur, mulie-*
» *res venientes, & docentes eam: non est enim populus sapiens, propterea non*
» *miserebitur eius qui fecit eum: & qui formauit eum, non parcet ei. Et erit:*
» *in die illa percutiet Dominus ab alueo fluminis vsque ad torrẽtem Aegypti,*
» *& vos congregabimini vnus & vnus filij Israel. Et erit: in die illa clange-*
» *tur in tuba magna, & venient qui perditi fuerant de terra Assyriorum, &*
» *qui eiecti erant de terra Aegypti, & adorabunt Dominum in monte sancto*
» *in Ierusalem.*

## Iudicium Dei per Vnctum suum aduersus peccatum, mortem, & infernum.

Ibid. 28, 14. PROPTER *hoc audite verbum Domini viri illusores, qui dominami-*
» *ni super populum meum qui est in Ierusalem. Dixistis enim: Percußimus*
» *fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans*
» *cùm transierit, non veniet super nos: quia posuimus mendacium spem no-*
» *stram, & mendacio protecti sumus. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ecce*
» *ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem,*
» *pretiosum, in fundamento fundatum. qui crediderit, non festinet. Et ponam*

*in pondere iudicium, & iustitiam in mensura: & subuertet grando spem mendacij, & protectionem aquæ inundabunt. Et delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit: flagellum inundans cùm transierit, eritis ei in conculcationem. Quandocunque pertransierit, tollet vos: quoniam manè diluculo pertransibit in die & in nocte, & tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui. Coangustatum est enim stratum, ita vt alter decidat: & pallium breue vtrumque operire non potest. Sicut enim in Monte diuisionum stabit Dominus: sicut in valle quæ est in Gabaon irascetur: vt faciat opus suum, alienum opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Redemptionis opus nouum.

## Boni nuncij repræsentatio.

CONSOLAMINI, *consolamini popule meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam: quoniam completa est militia eius, dimissa est iniquitas illius: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Et erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. Vox dicentis, Clama. Et dixi, Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia Spiritus Domini sufflauit in eo. Verè fœnum est populus: exsiccatum est fœnum, & cecidit flos. Verbum autem Domini nostri manet in æternum. Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam quæ euangelizas Ierusalem: exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iudæ, Ecce Deus vester: ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: ecce, merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Sicut pastor, gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera? Quis adiuuit Spiritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? Cum quo iniit consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ, & erudiuit eum scientiam, & viam prudentiæ ostēdit illi? Ecce, Gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce, insulæ quasi puluis exiguus. Et libanus non sufficiet ad succendendum, & animalia eius non sufficient ad holocaustum. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei. Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? Numquid sculptile conflauit faber? aut aurifex auro figurauit illud, & laminis argenteis argentarius? Forte lignum, & imputribile elegit: artifex sapiens quærit quomodo statuat simulachrum quod nō moueatur. Numquid non scitis? numquid non audistis? numquid non annunciatum* Isaiæ 40.

» *ciatum est vobis ab initio? numquid non intellexistis fundamenta terræ?*
» *Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ: qui extendit velut nihilum cælos, & expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum. Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, iudices terræ velut inane fecit. Equidem neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum: repentè flauit in eos, & aruerunt, & turbo quasi stipulam auferet eos. Et cui adsimulastis me, & adæquastis? dicit sanctus. Leuate in excelsum oculos vestros, & videte quis creauit hæc: qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat: præ multitudine fortitudinis & roboris, virtutisq́; eius, neque vnum reliquum fuit. Quare dicis Iacob, & loqueris Israel, Abscondita est via mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum transiuit? Numquid nescis, & non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit, nec est inuestigatio sapientiæ eius. Qui dat lasso virtutem: & his qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent: qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ; current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.*

## Prouidentia Dei certa ac singularis in filios à se redemptos & assertos.

Esaiæ 43. ET *nunc hæc dicit Dominus creans te Iacob, & formans te Israel:*
» *Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo: meus es tu. Cùm trāsieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, non comburêris, & flamma non ardebit in te. Quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel saluator tuus, dedi propitiationem tuam Aegyptum, Aethiopiam, & Saba pro te. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & gloriosus: ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua. Noli timere, quia ego tecum sum: ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, Da: & Austro, Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. Et omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum. Educ foras populum cæcum, & oculos habentem: surdum, & aures ei sunt. Omnes gentes congregatæ sunt simul, & collectæ sunt tribus: quis in vobis annunciet istud, & quæ prima sunt, audire nos faciet? Dent testes eorum, & iustificentur, & audiant, & dicant, Verè. Vos testes mihi, dicit Dominus, & seruus meus quem elegi: vt sciatis, & credatis mihi, & intelligatis quia ego ipse sum. ante me non est formatus Deus, & post me non erit. Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me saluator. Ego annunciaui, & saluaui: auditum feci, & non fuit in vobis alienus. vos testes mei, dicit Dominus, & ego Deus. Et ab initio ego ipse, & non est qui de manu mea eruat: operabor, & quis auertet illud? Hæc dicit Dominus redemptor*

*demptor vester, sanctus Israel: Propter vos emisi in Babylonem, & detraxi* «
*vectes vniuersos, & Chaldæos in nauibus suis gloriantes. Ego Dominus* «
*sanctus vester, creans Israel rex vester. Hæc dicit Dominus, qui dedit in* «
*mari viam, & in aquis torrentibus semitam. Qui eduxit quadrigam &* «
*equum: agmen & robustum, simul obdormierunt, nec resurgent: contriti* «
*sunt quasi linum, & exstincti sunt. Ne memineritis priorum, & antiqua* «
*ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoscetis ea:* «
*ponam in deserto viam, & in inuio flumina. Glorificabit me bestia agri, dra-* «
*cones & struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio, vt darem* «
*potum populo meo, electo meo. Populum istum formaui mihi, laudem meam* «
*narrabit. Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israel. Non obtulisti* «
*mihi arietem holocausti tui, & victimis tuis non glorificasti me: non te ser-* «
*uire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure. Non emisti mihi ar-* *Misera hominis conditio à parentib. accepta, & propria industria auctior ac miserior reddita. Status itaque humani generis ante Euangelij beneficium.
*gento calamum, & adipe victimarum tuarum non inebriasti me. Veruntamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam, & iudicemur simul: narra si quid habes vt iustificeris. Pater* tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati sunt in me. Et contaminaui principes sanctos, dedi ad internecionem Iacob, & Israel in blasphemiam.*

## Posterioris hominum conditionis Euangelij beneficium consecuturæ descriptio ex imagine.

ET *nunc audi Iacob serue meus, & Israel quem elegi. Hæc dicit Dominus faciens & formans te, ab vtero auxiliator tuus: noli timere serue meus Iacob, & rectissime quem elegi. Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam Spiritum meũ super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas quasi salices iuxta præterfluentes aquas. Iste dicet, Domini ego sum: & ille vocabit in nomine Iacob: & hic scribet manu sua,* DOMINO: *& in nomine Israel assimilabitur. Hæc dicit Dominus Rex Israel, & redemptor eius Dominus exercituum: Ego primus, & ego nouissimus, & absque me non est Deus. Quis similis mei? Vocet & annunciet: & ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum: ventura & quæ futura sunt annuncient eis. Nolite timere, neque conturbemini: ex tunc audire te feci, & annunciaui: vos estis testes mei. numquid est Deus absque me, & formator quem ego non nouerim?* « Isa. 44.

## Commemoratio beneficij diuini, & incitatio ad gratulationem.

MEMENTO *horum Iacob & Israel, quoniam seruus meus es tu. formaui te, seruus meus es tu Israel, non obliuiscaris mei. Deleui vt nubem* « Ibid. v. 21.

*iniqui-*

„ *iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: reuertere ad me, quoniam*
„ *redemi te. Laudate cæli, quoniam fecit Dominus: iubilate extrema terræ, re-*
„ *sonate montes laudationem, saltus, & omne lignum eius, quoniam redemit*
„ *Dominus Iacob, & Israel gloriabitur. Hæc dicit Dominus redemptor tuus,*
„ *& formator tuus ex vtero. Ego sum Dominus faciens omnia, extendens*
„ *cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum. Irrita faciens signa diuino-*
„ *rum, & ariolos in furorem vertens: conuertens sapientes retrorsum, &*
„ *scientiam eorum stultam faciens: suscitãs verbum serui sui, consilium nun-*
„ *ciorum suorum complens. Qui dico Ierusalem, Habitaberis: & ciuitatibus*
„ *Iudæ, Aedificabimini, & deserta eius suscitabo. Qui dico profundo, Deso-*
„ *lare, & flumina tua arefaciam. Qui dico Cyro, Pastor meus es, & omnem*
„ *voluntatem meam complebis. Qui dico Ierusalem, Aedificaberis: & tem-*
„ *plo, Fundaberis.*

## Humanæ iustitiæ beneficium è celo demittendũ in terras.

Isaiæ 45,6. *Ego Dominus, & non est alter: formans lucem, & creans tenebras:*
„ *faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc. Rorate*
„ *cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet saluato-*
„ *rem: & iustitia oriatur simul. Ego Dominus creaui eum.*

## De sancto fœdere cum hominibus feriendo.

Ibid. 49,7. *Hæc dicit Dominus redemptor Israel, sanctus eius, ad contemptibilem*
„ *animam, ad abominatam gentem, ad seruum dominorum: Reges videbunt,*
„ *& consurgent principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est,*
*& sanctum Israel qui elegit te. Hæc dicit Dominus: In tempore placito ex-*
*audiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui: & seruaui te, & dedi te in fœ-*
*dus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas: vt di-*

Futuram salutem in plenitudine téporum.

„ *ceres his qui vincti sunt, Exite: & his qui in tenebris, Reuelamini. Super*
„ *vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum. Non esurient, neque*
„ *sitient, & non percutiet eos æstus & sol: quia miserator eorum reget eos,*
„ *& ad fontes aquarum potabit eos. Et ponam omnes montes meos in viam,*
„ *& semitæ meæ exaltabũtur. Ecce isti de longe venient, & ecce illi ab Aqui-*
„ *lone & mari, & isti de terra Australi. Laudate cæli, & exulta terra, iubi-*
„ *late montes laudem: quia consolatus est Dominus populum suum, & paupe-*
„ *rum suorum miserebitur. Et dixit Sion, Dereliquit me Dominus, & Do-*
„ *minus oblitus est mei. Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt*
„ *non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliui-*
„ *scar tui. Ecce, in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper.*
„ *Venerunt structores tui destruentes te, & dissipantes à te exibunt. Leua in*
„ *circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: viuo*
„ *ego, dicit Dñs, quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circunda-*
„ *bis tibi eos quasi sponsa. Quia deserta tua & solitudines tuæ, & terra rui-*
„ *næ tuæ nunc angusta erunt præ habitatoribus, & longè fugabuntur qui ab-*
*sorbe-*

*sorbebant te. Adhuc dicent in auribus tuis filij sterilitatis tuæ, Angustus est " mihi locus, fac spatium mihi vt habitem. Et dices in corde tuo, Quis genuit " mihi istos? ego sterilis, & non pariens, transmigrata & captiua: & istos quis " enutriuit? ego destituta & sola: & isti vbi hic erant? Hæc dicit Dominus " Deus, Ecce, leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum " meum. Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros porta- " bunt. Et erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terra de- " misso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Et scies quia ego " Dominus, super quo non confundentur qui exspectant eum. Numquid tol- " letur à forti præda? aut quod captum fuerit à robusto, saluum esse poterit? " Quia hæc dicit Dominus, Equidem & captiuitas à forti tolletur: & quod " ablatum fuerit à robusto, saluabitur. Eos verò qui iudicauerunt te, ego iudi- " cabo; & filios tuos ego saluabo. Et cibabo hostes tuos carnibus suis: & quasi " musto, sanguine suo inebriabuntur: & sciet omnis caro, quia ego Dominus " saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob. "*

## Promissa Abrahamo & Saræ benedictio, & communio filiorum omnium in vnum corpus.

AVDITE *me qui sequimini quod iustum est, & quæritis Dominum:* Isaiæ 51. *attendite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernā laci de qua præcisi estis. " Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos: quia " vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum. Consolabitur ergo " Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius: & ponet desertum eius " quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini. Gaudium & læti- " tia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis. Attendite ad me popule " meus, & tribus mea me audite: quia lex à me exiet, & iudicium meum in lu- " cem populorum requiescet. Propè est iustus meus, egressus est saluator meus, " & brachia mea populos iudicabunt: me insulæ exspectabunt, & brachium " meum sustinebunt. Leuate in cælos oculos vestros, & videte sub terra deor- " sum: quia cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, " & habitatores eius sicut hæc interibunt: Salus autem mea in sempiternum " erit, & iustitia mea non deficiet. Audite me qui scitis iustum, populus meus " lex mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias " eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: & sicut " lanam, sic deuorabit eos tinea: Salus autem mea in sempiternū erit, & iusti- " tia mea in generationes generationum. Consurge, consurge, induere fortitu- " dinem brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis, in generationi- " bus seculorum. numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? " Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis: qui posuisti pro- " fundū maris viam, vt transirent liberati? Et nunc qui redempti sunt à Do- " mino, reuertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna su- " per capita eorum, gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus. "*

„ *Ego, ego ipse consolabor vos: quis tu vt timeres ab homine mortali, & à filio*
„ *hominis, qui quasi fœnum ita arescet? Et oblitus es Domini factoris tui, qui*
„ *tetendit cælos, & fundauit terram: & formidasti iugiter tota die à facie*
„ *furoris eius qui te tribulabat, & parauerat ad perdendum: vbi nunc est fu-*
„ *ror tribulantis? Citò veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet vs-*
„ *que ad internecionem, nec deficiet panis eius. Ego autem sum Dominus Deus*
„ *tuus, qui conturbo mare, & intumescunt fluctus eius: Dominus exercituum*
„ *nomen meum. Posui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi*
„ *te, vt plantes cælos, & fundes terram: & dicas ad Sion, Populus meus es tu.*
„ *Eleuare, eleuare, consurge Ierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem*
„ *iræ eius: vsque ad fundum calicis soporis bibisti, & potasti vsque ad fæces.*
„ *Non est qui sustentet eam ex omnibus filiis quos genuit: & non est qui ap-*
„ *prehendat manum eius ex omnibus filiis quos enutriuit. Duo sunt quæ oc-*
„ *currerunt tibi: quis contristabitur super te? vastitas, & contritio, & fames,*
„ *& gladius, quis consolabitur te? Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite*
„ *omnium viarum, sicut oryx illaqueatus: pleni indignatione Domini, incre-*
„ *patione Dei tui. Idcirco audi hoc paupercula & ebria non à vino. Hæc dicit*
„ *dominator tuus Dominus, & Deus tuus, qui pugnabit pro populo suo: Ecce*
„ *tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ, nō ad-*
„ *iicies vt bibas illum vltrà. Et ponam illum in manu eorum qui te humilia-*
„ *uerunt, & dixerunt animæ tuæ, Incuruare, vt transeamus: & posuisti vt*
„ *terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus.*

## Promissum Dei credentibus & sperantibus, pietatique studentibus, præstandum.

Isaiæ 52. CONSVRGE, *consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vesti-*
„ *mentis gloriæ tuæ Ierusalem ciuitas sancti; quia non adiiciet vltrà vt per-*
„ *transeat per te incircuncisus & immundus. Excutere de puluere, consurge,*
„ *sede Ierusalem: solue vincula colli tui captiua filia Sion. Quia hæc dicit Do-*
„ *minus, Gratis venundati estis, & sine argento redimemini. Quia hæc dicit*
„ *Dominus Deus, In Ægyptum descendit populus meus in principio, vt colo-*
„ *nus esset ibi: & Assur absque vlla causa calumniatus est eum. Et nunc quid*
„ *mihi est hîc, dicit Dominus: quoniam ablatus est populus meus gratis? Do-*
„ *minatores eius iniquè agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meū*
„ *blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia*
„ *ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Quàm pulchri super montes pedes annun-*
„ *ciantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem,*
„ *dicentis Sion, Regnauit Deus tuus. Vox speculatorum tuorum, leuauerunt*
„ *vocem, simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt cùm conuerterit*
„ *Dominus Sion. Gaudete & laudate simul deserta Ierusalem: quia conso-*
„ *latus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem. Parauit Dominus*
„ *brachium sanctum suum in oculis omnium Gentium: & videbunt omnes*
*fines*

*fines terræ salutare Dei nostri. Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite* ‹‹
*tangere; exite de medio eius, mūdamini qui fertis vasa Domini. Quoniam* ‹‹
*non in tumultu exibitis, neque in fuga properabitis; præcedet enim vos Do-* ‹‹
*minus, & congregabit vos Deus Israel.*

## De plenitudine ac frequentia populi sancti.

LAVDA *sterilis quæ non paris, decanta laudem, & hinni quæ non pa-* Isaiæ 54.
*riebas: quoniam multi filij desertæ magis, quàm eius quæ habet virum, dicit* ‹‹
*Dominus. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum ex-* ‹‹
*tende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuas consolida. Ad* ‹‹
*dexteram enim, & ad læuam penetrabis: & semen tuum Gentes hæredita-* ‹‹
*bit, & ciuitates desertas inhabitabit. Noli timere, quia non confundêris, nec* ‹‹
*erubesces: non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ obliuiscê-* ‹‹
*ris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius. Quia dominabi-* ‹‹
*tur tui qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius: & redemptor tuus* ‹‹
*sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur. Quia vt mulierem derelictam* ‹‹
*& mærentem spiritu vocauit te Dominus, & vxorem ab adolescentia ab-* ‹‹
*iectam, dixit Deus tuus. Ad punctum in modico dereliqui te, & in mise-* ‹‹
*rationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi fa-* ‹‹
*ciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui:* ‹‹
*dixit redemptor tuus Dominus. Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui iu-* ‹‹
*raui ne inducerem aquas Noë vltrà supra terram: sic iuraui vt non irascar* ‹‹
*tibi, & non increpem te. Montes enim commouebuntur, & colles contre-* ‹‹
*miscent: misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis mea non* ‹‹
*mouebitur: dixit miserator tuus Dominus. Paupercula tempestate conuulsa,* ‹‹
*absque vlla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fun-* ‹‹
*dabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in* ‹‹
*lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. Vniuersos* ‹‹
*filios tuos doctos à Domino: & multitudinem pacis filiis tuis. Et in iustitia* ‹‹
*fundaberis: recede procul à calumnia, quia non timebis: & à pauore, quia non* ‹‹
*appropinquabit tibi. Ecce accola veniet, qui non erat mecū, aduena quondam* ‹‹
*tuus adiūgetur tibi. Ecce, ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas, &* ‹‹
*proferentem vas in opus suum, & ego creaui interfectorem ad disperden-* ‹‹
*dum. Omne vas quod fictū est contra te, non dirigetur: & omnem linguam* ‹‹
*resistentem tibi in iudicio, iudicabis. Hæc est hæreditas seruorum Domini,* ‹‹
*& iustitia eorum apud me, dicit Dominus.* ‹‹

## Inuitatio & vocatio ad salutis donum per fidem & pœnitentiam à Deo obtinendum.

OMNES *sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, pro-* Ibid. 55.
*perate, emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque vlla com-* ‹‹
*mutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, &* ‹‹
*laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, & comedite* ‹‹

„ *bonum, & delectabitur in craßitudine anima vestra. Inclinate aurem ve-*
„ *stram, & venite ad me: audite, & viuet anima vestra, & feriam vobiscum*
„ *pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles. Ecce testem populis dedi*
„ *eum, ducem ac præceptorem Gentibus. Ecce, gentem quam nesciebas, vocabis:*
„ *& gentes quæ te non cognouerunt, ad te current propter Dominum Deum*
„ *tuum, & sanctũ Israel; quia glorificauit te. Quærite Dominum dum inue-*
„ *niri potest, inuocate eũ dum propè est. Derelinquat impius viam suã, & vir*
„ *iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominũ, & miserebitur eius:*
„ *& ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Non enim cogi-*
„ *tationes meæ, cogitationes vestræ: neq; viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus.*
„ *Quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris,*
„ *& cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Et quomodo descendit imber*
„ *& nix de cælo, & illuc vltrà non reuertitur, sed inebriat terram, & in-*
„ *fundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem come-*
„ *denti: sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad*
„ *me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi*
„ *illud. Quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini: montes & colles*
„ *cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu.*
„ *Pro saliunca ascendet abies, & pro vrtica crescet myrthus: & erit Domi-*
„ *nus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.*

Pœnitentiæ doctrina & commendatio ad salutem à Deo impetrandam, & promissio de communione sanctorum Gentibus concedenda.

Isaiæ 56. HÆC *dicit Dominus, Custodite iudicium, & facite iustitiam: quia*
„ *iuxtà est salus mea vt veniat, & iustitia mea vt reueletur. Beatus vir qui*
„ *facit hoc, & filius hominis qui apprehendet istud: custodiens sabbathum ne*
„ *polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum. Et ne dicat filius*
„ *aduenæ qui adhæret Domino, dicens: Separatione diuidet me Dominus à po-*
„ *pulo suo. Et non dicat Eunuchus, Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit*
„ *Dominus Eunuchis, Qui custodierint sabbatha mea, & elegerint quæ ego*
„ *volui, & tenuerint fœdus meum: Dabo eis in domo mea & in muris meis*
„ *locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis,*
„ *quod non peribit. Et filios aduenæ qui adhærent Domino, vt colant eum, &*
„ *diligant nomen eius, vt sint ei in seruos: omnem custodientem sabbathum ne*
„ *polluat illud, & tenentem fœdus meum: Adducam eos in montem sanctum*
„ *meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta eorum & victi-*
„ *ma eorum placebunt mihi super altari meo: quia domus mea, domus orationis*
„ *vocabitur cunctis populis. Ait Dominus Deus qui congregat dispersos Is-*
„ *rael, Adhuc congregabo ad eum congregatos eius. Omnes bestiæ agri venite*
„ *ad deuorandum, vniuersæ bestiæ saltus. Speculatores eius cæci omnes, nescie-*
„ *runt vniuersi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes,*
&

*& amantes somnia. Et canes impudentißimi nescierunt saturitatem: ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam, à summo vsque ad nouißimum. Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius.*

## Causa quamobrem suum maximum donum tota legis tempestate Deus distulerit.

VIAM *facite, præbete iter, declinate de semita, auferte offendicula de via populi mei. Quia hæc dicit excelsus & sublimis, habitans æternitatem: & sanctum nomen eius in excelso & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu: vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum. Non enim in sempiternum litigabo, neque vsque ad finem irascar: quia spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam. Propter iniquitatem auaritiæ eius iratus sum, & percußi eum, abscondi à te faciem meam, & indignatus sum: & abiit vagus in via cordis sui. Vias eius vidi, & sanaui eum, & reduxi eum, & reddidi consolationes ipsi, & lugentibus eius. Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei qui longè est & qui propè, dixit Dominus, & sanaui eum. Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non est pax impiis, dicit Dominus meus.* Isaiæ 57.14.

## Diuinum Domini optatum pœnitentibus, ac sese abnegantibus, adrogandum.

FRANGE *esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adsum. si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest. Cùm effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris: orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. Et ædificabuntur in te deserta seculorũ: fundamenta generationis & generationis suscitabis: & vocaberis ædificator sepium, auertens semitas in quietem. Si auerteris à sabbatho pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris sabbathum delicatum, & sanctũ Domini gloriosum, & glorificaueris eum dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem: Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. os enim Domini locutum est.* Ibid. 58.7.

Donum præstantissimum Dei vt non obtineatur, malitia ac vitio hominum fieri, cuius magnitudinis ac turpitudinis vbi homines verè pertęsum fuerit, confessione propria conuictos, & pœnitentia emendatos, diuinam medicinam & salutem gratis accepturos.

Isaiæ 59. ECCE, *non est abbreuiata manus Domini vt saluare nequeat, neque*
» *aggrauata est auris eius vt non exaudiat : sed iniquitates vestræ diuiserunt*
» *inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à*
» *vobis ne exaudiret. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti*
» *vestri iniquitate: labia vestra locuta sunt mendacium, & lingua vestra ini-*
» *quitatem fatur. Non est qui inuocet iustitiam, neque est qui iudicet verè: sed*
» *confidunt in nihili, & loquuntur vanitates: conceperunt laborem, & pepe-*
» *rerunt iniquitatem. Oua aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt: qui*
» *comederit de ouis eorum, morietur: & quod confotum est, erumpet in regu-*
» *lum. Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis:*
» *opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. Pedes eo-*
» *rum ad malum currunt, & festinant vt effundant sanguinem innocentem:*
» *cogitationes eorū cogitationes inutiles: vastitas & contritio in viis eorum.*
» *Viam pacis nescierunt, & non est iudicium in greßibus eorū. semitæ eorum*
» *incuruatæ sunt eis: omnis qui calcat in eis, ignorat pacem. Propter hoc elon-*
» *gatum est iudicium à nobis, & non apprehendet nos iustitia: exspectauimus*
» *lucem, & ecce tenebræ: splendorē, & in tenebris ambulauimus. Palpauimus,*
» *sicut cæci, parietem, & quasi absque oculis attrectauimus: impegimus meri-*
» *die quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui. Rugiemus quasi vrsi omnes,*
» *& quasi columbæ meditantes gememus. exspectauimus iudicium, & non est:*
» *salutem, & elongata est à nobis. Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ*
» *coram te, & peccata nostra responderūt nobis. quia scelera nostra nobiscum,*
» *& iniquitates nostras cognouimus, peccare & mentiri contra Dominū: &*
» *auersi sumus ne iremus post tergum Dei nostri, vt loqueremur calumniam*
» *& transgreßionem : concepimus, & locuti sumus de corde verba mendacij.*
» *Et conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longè stetit: quia corruit*
» *in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in obli-*
» *uionem: & qui receßit à malo, prædæ patuit: & vidit Dominus, & malum*
» *apparuit in oculis eius, quia non est iudicium: & vidit quia non est vir: &*
» *aporiatus est, quia non est qui occurrat: & saluauit sibi brachium suū, & iu-*
» *stitia eius ipsa confirmauit eum. Indutus est iustitia vt lorica, & galea sa-*
» *lutis in capite eius: indutus est vestimentis vltionis, & opertus est quasi pal-*
» *lio zeli. Sicut ad vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus*
» *suis, & vicißitudinem inimicis suis: insulis vicem reddet. Et timebunt qui*
» *ab Occidente, nomen Domini: & qui ab Ortu solis, gloriam eius: cùm vene-*
» *rit quasi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cogit; & venerit Sion*

redemptor, & eis qui redeũt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus. Hoc fœ- "
dus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, & verba mea "
quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore "
seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo & vsque in sempiternum. "

## Lucis ac disciplinæ in sanctis cognoscendæ discrimen ab externis tenebris.

SVRGE, illuminare Ierusalem: quia venit lumen tuum, & gloria Do- Isaiæ 60.
mini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: "
super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambula- "
bunt Gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu "
oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerũt tibi Filij tui de "
longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis, & afflues, & "
mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo "
maris, fortitudo Gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dro- "
medarij Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurũ & thus deferen- "
tes, & laudem Domino annũciantes. Omne pecus Cedar congregabitur tibi, "
arietes Nabaioth ministrabunt tibi: offerentur super placabili altari meo, & "
domũ maiestatis meæ glorificabo. Qui sunt isti, qui vt nubes volãt, & quasi "
columbæ ad fenestras suas? Me enim insulæ exspectant, & naues maris in "
principio, vt adducam filios tuos de longè: argentũ eorum, & aurum eorum "
cum eis nomini Domini Dei tui, & sancto Israel, quia glorificauit te. Et "
ædificabunt filij peregrinorũ muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi: "
in indignatione enim mea percussi te, & in recõciliatione mea misertus sum "
tui. Et aperientur portæ tuæ iugiter: die ac nocte non claudẽtur, vt afferatur "
ad te fortitudo Gentiũ, & reges earum adducantur. Gens enim & regnum "
quod non seruierit tibi, peribit: & Gentes solitudine vastabũtur. Gloria Li- "
bani ad te veniet, abies & buxus, & pinus simul, ad ornandũ locum sanctifi- "
cationis meæ, & locum pedum meorũ glorificabo. Et venient ad te curui filij "
eorũ qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui "
detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini, Sion sancti Israel: pro "
eo quòd fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret, po- "
nam te in superbiam seculorũ, gaudium in generationem & generationem. "
& suges lac Gentium, & mamilla regum lactaberis: & scies quia ego Do- "
minus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob. Pro ære afferam aurũ, & "
pro ferro afferam argentũ; & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrũ: & po- "
nam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam. Non audietur "
vltrà iniquitas in terra tua, vastitas & contritio in terminis tuis; & occu- "
pabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Non erit tibi ampliùs sol ad "
lucendũ per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in "
lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltrà sol "
tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiter- "
nam,

» *nam, & complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes iusti, in*
» *perpetuũ hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ*
» *ad glorificandum. Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortissi-*
» *mam: ego Dominus in tempore eius subitò faciam istud.*

## Salutem publicam à Dei Verbo susceptam, summoque studio maturatam.

Isaiæ 61. SPIRITVS *Domini super me, eo quòd vnxerit Dominus me: ad an-*
» *nunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem*
» *captiuis indulgentiam, & clausis apertionem: vt prædicarem annũ placabi-*
» *lem Domino, & diem vltionis Deo nostro: vt consolarer omnes lugentes: Vt*
» *ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro*
» *luctu, palliũ laudis pro spiritu mœroris: & vocabũtur in ea fortes iustitiæ,*
» *plantatio Domini ad glorificandũ. Et ædificabunt deserta à seculo, & rui-*
» *nas antiquas erigent, & instaurabunt ciuitates desertas, dissipatas in gene-*
» *rationem & generationem. Et stabunt alieni, & pascent pecora vestra: &*
» *filij peregrinorum, agricolæ & vinitores vestri erunt. Vos autem Sacerdo-*
» *tes Domini vocabimini; ministri Dei nostri, dicetur vobis: fortitudinẽ Gen-*
» *tium comedetis, & in gloria earum superbietis. Pro confusione vestra duplici*
» *& rubore laudabunt partem eorũ: propter hoc in terra sua duplicia possidẽ-*
» *bũt, lætitia sempiterna erit eis. Quia ego Dominus diligens iudiciũ, & odio*
» *habens rapinam in holocausto: & dabo opus eorũ in veritate, & fœdus per-*
» *petuũ feriam eis. Et scietur in Gentibus semen eorum, & germen eorum in*
» *medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt se-*
» *men cui benedixit Dominus. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit*
» *anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento*
» *iustitiæ circundedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam*
» *ornatam monilibus suis. Sicut enim terra profert germen suũ, & sicut hor-*
» *tus semen suum germinat: sic Dominus Deus germinabit iustitiam, & lau-*
» *dem coram vniuersis Gentibus.*

## Ciuitatis sanctorum communionem ac felicitatem perpetuam stabilemque fore.

Ibid. 62. PROPTER *Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec*
» *egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius vt lampas accendatur.*
» *Et videbunt Gentes iustum tuũ, & cuncti reges inclytum tuũ: & vocabi-*
» *tur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit. Et eris corona gloriæ in*
» *manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltrà*
» *derelicta: & terra tua nõ vocabitur ampliùs desolata: sed vocaberis Volũtas*
» *mea in ea, & terra tua inhabitabitur: quia complacuit Domino in te, & ter-*
» *ra tua inhabitabitur. Habitabit enim iuuenis cum virgine, & habitabũt in*
» *te filij tui. Et gaudebit sponsus super spõsam, & gaudebit super te Deus tuus.*
» *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes: tota die & tota nocte in*
*perpe-*

*perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne " detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Ierusalem laudem in terra. " Iurauit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ, Si dedero " triticum tuũ vltrà cibum inimicis tuis: & si biberint filij alieni vinũ tuum " in quo laborasti. Quia qui congregabunt illud, comedent, & laudabũt Do- " minũ: & qui comportant illud, bibent in atriis sanctis meis. Transite, tran- " site per portas, præparate viam populo, planũ facite iter, & eligite lapides, & " eleuate signum ad populos. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, " dicite filiæ Sion, Ecce saluator tuus venit: ecce merces eius cum eo, & opus " eius coram illo. Et vocabunt eos populus sanctus, redempti à Domino. Tu " autem vocaberis, Quæsita ciuitas, & non Derelicta. "*

## Vnius Dei Verbi virtuti & efficientiæ salutis victoriam, beneficiumque totum acceptum referendum.

QVIS est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste formo- Esai.63. sus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor " iustitiam, & propugnator sum ad saluandũ. Quare ergo rubrum est indu- " mentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular " calcaui solus, & de Gentibus non est vir mecũ: calcaui eos in furore meo, & " conculcaui eos in ira mea: & aspersus est sanguis eorum super vestimenta " mea, & omnia indumenta mea inquinaui. Dies enim vltionis in corde meo, " annus redemptionis meæ venit. Circũspexi, & non erat auxiliator: quæsiui, " & non fuit qui adiuuaret: & saluauit mihi brachium meum, & indignatio " mea ipsa auxiliata est mihi. Et conculcaui populos in furore meo, & inebria- " ui eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum. Mise- " rationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit " nobis Dominus, & super multitudinem bonorũ domui Israel, quæ largitus " est eis secundùm indulgentiam suam, & secundùm multitudinem miseri- " cordiarũ suarum. Et dixit, Veruntamen populus meus est, filij non negantes: " & factus est eis saluator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, & " Angelus faciei eius saluauit eos: in dilectione sua, & in indulgentia sua ipse " redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus seculi. Ipsi autem " ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt Spiritum sancti eius: & con- " uersus est eis in inimicum, & ipse debellauit eos. Et recordatus est dierũ se- " culi Moysi & populi sui: Vbi est qui eduxit eos de mari cũ pastoribus gregis " sui? vbi est qui posuit in medio eius Spiritum sancti sui? Qui eduxit ad dex- " teram Moysen brachio maiestatis suæ: qui scidit aquas ante eos, vt faceret " sibi nomen sempiternum. Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto " non impingentem. Quasi animal in campo descẽdens, Spiritus Domini du- " ctor eius fuit: sic adduxisti populum tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ. At- " tende de cælo, & vide de habitaculo sancto tuo & gloriæ tuæ: vbi est zelus " tuus, & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorũ, & miserationũ tuarum? "

» *super me continuerunt se. Tu enim pater noster, & Abraham nesciuit nos,*
» *& Israel ignorauit nos: Tu Dñe pater noster, redemptor noster, à seculo nomen tuũ. Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis, indurasti cor nostrũ*
» *ne timeremus te? Conuertere propter seruos tuos, tribus hæreditatis tua. Quasi nihilũ possederunt populum sanctum tuũ: hostes nostri conculcauerunt sanctificationem tuam. Facti sumus quasi in principio, cùm non dominareris nostri, neque inuocaretur nomen tuum super nos.*

Salutis publicæ per imagines descriptio: quarum tamen significatio rei magnitudinẽ nullo æquare possit modo. Comparatio prioris & posterioris hominũ conditionis.

Isaiæ 64. VTINAM *dirumperes cælos, & descenderes: à facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni, vt notum fieret nomen tuũ inimicis tuis: à facie tua gentes turbarentur. Cùm feceris mirabilia, non sustinebimus: descendisti, & à facie tua montes defluxerũt. A seculo non audierunt, neque auribus perceperũt: oculus non vidit, Deus absq; te, quæ præparasti exspectãtibus te. Occurristi lætanti, & facienti iustitiam: in viis tuis recordabuntur tui: ecce, tu iratus es, & peccauimus: in ipsis fuimus semper, & saluabimur. Et facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ: & cecidimus quasi foliũ vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerũt nos. Non est qui inuocet nomen tuũ: qui consurgat, & teneat te: abscondisti faciem tuam à nobis, & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ. Et nunc Domine, pater noster es tu, nos verò lutũ: & fictor noster tu, & opera manuum tuarũ omnes nos. Ne irascaris Domine satis, & ne vltrà memineris iniquitatis nostræ: ecce, respice, populus tuus omnes nos. Ciuitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est. Domus sanctificationis nostræ & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. Numquid super his continebis te Domine, tacebis, & affliges nos vehementer?*

Salutem publicam communem omni hominum generi promissam, iis tamen tribuendam qui fide & obsequio probati fuerint, cæteros verò ab hoc beneficio exclusum iri.

Ibid. 65,8. HÆC *dicit Dominus, Quomodo si inueniatur granum in botro, & dicatur, Ne dissipes illud, quoniam benedictio est: sic faciam propter seruos meos, vt non disperdam totum. Et educam de Iacob semen, & de Iuda possidentem montes meos: & hæreditabunt eam electi mei, & serui mei habitabunt ibi. Et erunt campestria in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorũ populo meo qui requisierunt me. Et vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meũ, qui ponitis fortunæ mensam, & libatis*

*libat is super eam. Numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis: pro eo quòd vocaui, & non respondistis: locutus sum, & non audistis, & faciebatis malū in oculis meis: & quæ nolui, elegistis. Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus, Ecce, serui mei comedent, & vos esurietis: Ecce, serui mei bibent, & vos sitietis: Ecce, serui mei lætabuntur, & vos confundemini: Ecce, serui mei laudabunt præ exultatione cordis: & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis. Et dimittetis nomen vestrū in iuramentū electis meis: & interficiet te Dominus Deus, & seruos suos vocabit nomine alio. In quo qui benedictus est super terrā, benedicetur in Deo, amē: & qui iurat in terra, iurabit in Deo, amen: quia obliuioni traditæ sunt angustiæ priores, & quia absconditæ sunt ab oculis nostris. Ecce enim ego creo cælos nouos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor. Sed gaudebitis & exultabitis vsque in sempiternum in his quæ ego creo: quia ecce ego creo Ierusalem exsultationem, & populū eius gaudium. Et exsultabo in Ierusalem, & gaudebo in populo meo: & non audietur in eo vltrà vox fletus & vox clamoris. Non erit ibi ampliùs infans dierum, & senex qui non impleat dies suos: quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorū maledictus erit. Et ædificabūt domos, & habitabunt: & plantabunt vineas, & comedent fructus earū. Non ædificabunt, & alius habitabit: non plantabunt, & alius comedet: secūdum enim dies ligni, erunt dies populi mei, & opera manuum eorū inueterabunt electi mei. Non laborabunt frustra, neq; generabunt in conturbatione: quia semen benedictorū Domini est, & nepotes eorū cum eis. Eritq; antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam. Lupus & agnus pascētur simul, & leo & bos comedent paleas, & serpenti puluis panis eius: non nocebunt neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus.*

IAM verò qualis futura esset sanctorum hominum vita, quæ consuetudo, qui mores, cuiusmodi etiam erga Deum atque inter ipsos vicißim, atque adeò erga alios homines rationum & communionis ac societatis vsus, variis prædictionibus Vates indicarunt, reiq; huius argumenta non obscura, sed manifesta fore asseuerauere.

*Conuertimini filij reuertentes, dicit Dominus, quia ego vir vester: & assumam vos vnum de ciuitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion. Et dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. Cumq; multiplicati fueritis, & creueritis in terra in diebus illis, ait Dominus: non dicent vltrà, Arca testamenti Domini: neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet vltrà. In tempore illo vocabunt Ierusalem Soliū Domini; & congregabuntur ad eam omnes Gentes in nomine Domini in Ierusalem, & non ambulabunt post prauitatē cordis sui peßimi. In diebus illis ibit domus Iuda ad domum Israel, & venient simul de terra Aquilonis ad terram quam dedi patribus vestris. Ego autem dixi, Quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram desiderabilem,* Ierem. 3. 14.

» *hæreditatem præclaram exercituum Gentium? Et dixi, Patrem vocabis me,*
» *& post me ingredi non cessabis.*

Ierem.16.14 *Ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicetur vltrà, Viuit Dominus,*
» *qui eduxit filios Israel de terra Aegypti, sed, Viuit Dominus, qui eduxit fi-*
» *lios Israel de terra Aquilonis, & de vniuersis terris ad quas eieci eos: &*
» *reducam eos in terram suam quam dedi patribus eorum [ad naturæ humanæ*
» *primæua integritatem, quod ad illam attinet.]*

Ibidem 23.3 *Ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos*
» *illuc, & conuertam eos ad rura sua, & crescent & multiplicabũtur. Et sus-*
» *citabo super eos pastores, & pascent eos, & non formidabunt vltrà, & non*
» *pauebũt: & nullus quæretur ex numero, dicit Dominus. Ecce, dies veniunt,*
» *dicit Dominus: & suscitabo Dauid germen iustũ: & regnabit rex, & sa-*
» *piens erit: & faciet iudiciũ & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur*
» *Iuda, & Israel habitabit confidenter: & hoc est nomen quod vocabunt eum,*
» Dominus iustus noster. *Propter hoc ecce dies veniũt, dicit Dominus, &*
» *non dicent vltrà, Viuit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aegypti:*
» *sed, Viuit Dominus, qui eduxit & adduxit semen domus Israel de terra*
» *Aquilonis, & de cunctis terris ad quas eieceram eos illuc, & habitabunt*
» *in terra sua.*

Ibid.24,7. *Dabo eis cor vt sciant me, quia ego sum Dominus, & erunt mihi in po-*
» *pulum, & ego ero eis in Deum: quia reuertentur ad me in toto corde suo.*

Ibid.30,17. *Obducam cicatricem tuam tibi, & à vulneribus tuis sanabo te, dicit Do-*
» *minus. Quia eiectam vocauerunt te Sion, Hæc est quæ non habebat requi-*
» *rentem. Hæc dicit Dominus, Ecce, ego conuertam conuersionem tabernacu-*
» *lorum Iacob, & tectis eius miserebor, & ædificabitur ciuitas in excelso suo,*
» *& templum iuxta ordinem suũ fundabitur. Et egredietur de eis laus, voxq́;*
» *ludentium: & multiplicabo eos, & non minuentur: & glorificabo eos, &*
» *non attenuabuntur. Et erunt filij eius sicut à principio, & cœtus eius coram*
» *me permanebit: & visitabo aduersus omnes qui tribulant eos. Et erit dux*
» *eius ex eo, & princeps de medio eius producetur, & applicabo eũ, & accedet*
» *ad me. quis enim iste est, qui applicet cor suum, vt appropinquet mihi, ait*
» *Dominus? Et eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum. Ecce, turbo*
» *Domini furor egrediens, procella ruens: in capite impiorum conquiescet.*
» *Non auertet iram indignationis Dominus: donec faciat & compleat cogita-*
» *tionem cordis sui. in nouissimo dierum intelligetis ea.*

Ibid.31. *In tempore illo, dicit Dominus, ero Deus vniuersis cognationibus Israel,*
» *& ipsi erunt mihi in populum. Hæc dicit Dominus, Inuenit gratiam in de-*
» *serto populus qui remanserat gladio: vadet ad requiem suam Israel. Longè*
» *Dominus apparuit mihi. Et in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te,*
» *miserans. Rursumq́; ædificabo te, & ædificaberis virgo Israel: adhuc orna-*
» *beris tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium. Adhuc plantabis vi-*
» *neas in montibus Samariæ: plantabunt plantantes, & donec tempus veniat,*
non

*non vindemiabunt: Quia erit dies in quo clamabunt custodes in monte « Ephraim: Surgite, & adscendamus in Sion ad Dominum Deum no- « strum. Quia hæc dicit Dominus, Exultate in lætitia Iacob, & hinnite con- « tra caput Gentium: personate, & canite, & dicite: Salua Domine populum « tuum reliquias Israel. Ecce, ego adducam eos de terra Aquilonis, & con- « gregabo eos ab extremis terræ: inter quos erunt cæcus & claudus, & præ- « gnans & pariens simul, cœtus magnus reuertentium huc. In fletu venient: « & in misericordia reducam eos: & adducam eos per torrentes aquarum in « via recta, & non impingēt in ea: quia factus sum Israeli pater, & Ephraim « primogenitus meus est. Audite verbū Dñi Gentes, & annunciate in insulis « quæ procul sunt, & dicite, Qui dispersit Israel, congregabit eū: & custodiet « eū sicut pastor gregem suū. Redemit enim Dominus Iacob, & liberabit eū de « manu potentioris. Et venient, & laudabunt in monte Sion: & confluent ad « bona Domini super frumento, & vino, & oleo, & fœtu pecorum & armen- « torum: eritq́; anima eorum quasi hortus irriguus, & vltrà non esurient. « Tunc lætabitur virgo in choro, iuuenes & senes simul: & conuertā luctum « eorum in gaudium, & consolabor eos, & lætificabo à dolore suo. Et inebria- « bo animam Sacerdotum pinguedine: & populus meus bonis meis adimplebi- « tur, ait Dominus. Hæc dicit Dominus, Vox in excelso audita est lamenta- « tionis, luctus & fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari su- « per eis, quia non sunt. Hæc dicit Dominus, Quiescat vox tua à ploratu, & « oculi tui à lachrymis: quia est merces operi tuo, ait Dominus, & reuertentur « de terra inimici. Et est spes nouissimis tuis, ait Dominus, & reuertentur fi- « lij ad terminos suos. Audiens audiui Israel transmigrantem, Castigasti me, « & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus. conuerte me, & conuertar: « quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim conuertisti me, egi pœniten- « tiam: & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum & « erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. Si filius honorabilis « mihi Ephraim. si puer delicatus: quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recor- « dabor eius. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum: miserans misere- « bor eius, ait Dominus. Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines: dirige « cor tuū in viam rectam, in qua ambulasti. Reuertere virgo Israel, reuertere « ad ciuitates tuas istas. Vsquequo deliciis dissoluêris filia vaga? quia creauit « Dominus nouum super terram: Femina circundabit virum. Hæc dicit Do- « minus exercituum Deus Israel, Adhuc dicent verbum istud in terra Iuda, « & in vrbibus eius, cùm conuertero captiuitatem eorum, Benedicat tibi Do- « minus pulchritudo iustitiæ, mons sanctus: & habitabūt in eo Iudas, & om- « nes ciuitates eius simul: agricolæ & minantes greges. Quia inebriaui animā « lassam, & omnem animam esurientem saturaui. Ideo quasi de somno suscita- « tus sum: & vidi, & somnus meus dulcis mihi. Ecce, dies veniunt, dicit Do- « minus, & seminabo domum Israel & domū Iuda semine hominum, & se- « mine iumentorum. Et sicut vigilaui super eos vt euellerem, & demolirer, «*

,, *& dißiparem, & disperderem, & affligerem: sic vigilabo super eos vt ædifi-*
,, *cem, & plantem, ait Dominus. In diebus illis non dicent vltrà, Patres com-*
,, *ederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Sed vnusquisque*
,, *in iniquitate sua morietur: omnis homo qui comederit vuam acerbam, obstu-*
,, *pescent dentes eius. Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Is-*
,, *rael & domui Iuda fœdus nouum: non secundùm pactum quod pepigi cum*
,, *patribus vestris in die qua apprehendi manum eorũ, vt educerem eos de ter-*
,, *ra Aegypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum,*
,, *dicit Dominus: sed hoc erit pactũ quod feriam cũ domo Israel post dies illos,*
,, *dicit Dominus. Dabo legem meam in visceribus eorũ, & in corde eorũ scri-*
,, *bam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit*
,, *vltrà vir proximum suũ, & vir fratrem suũ, dicens: Cognosce Dominum;*
,, *omnes enim cognoscent me à minimo eorum vsque ad maximum, ait Domi-*
,, *nus, quia propitiabor iniquitati eorũ, & peccati eorum non memorabor am-*
,, *pliùs. Hæc dicit Dominus qui dat solem in lumine diei, ordinẽ lunæ & stel-*
,, *larum in lumine noctis: qui turbat mare, & sonant fluctus eius, Dominus*
,, *exercituũ nomen illi. Si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus: tũc*
,, *& semen Israel deficiet, vt non sit gens coram me cunctis diebus. Hæc dicit*
,, *Dominus: Si mensurari potuerint cæli sursum, & inuestigari fundamenta*
,, *terræ deorsum: & ego abiiciam vniuersum semen Israel, propter omnia quæ*
,, *fecerunt, dicit Dominus. Ecce, dies veniunt, dicit Dominus: & ædificabitur*
,, *ciuitas Domino à turre Hananeel vsque ad portam anguli. Et exibit vltrà*
,, *norma mensuræ in conspectu eius super collem Gareb: & circuibit Goatha,*
,, *& omnem vallem cadauerum, & cineres, & vniuersam regionem mortis,*
,, *vsque ad torrentem Cedron, & vsque ad angulum portæ equorũ Orientalis:*
,, *sanctum Domini non euelletur, & non destruetur vltrà in perpetuum.*

Ierem. 32,36 *Et nunc propter istá, hæc dicit Dominus Deus Israel ad ciuitatem hanc,*
,, *de qua vos dicitis quòd tradatur in manu regis Babylonis in gladio, & in*
,, *fame, & in peste. Ecce, ego cõgregabo eos de vniuersis terris ad quas ieci eos*
,, *in furore meo, & in ira mea, & in indignatione grandi: & reducam eos ad*
,, *locum istũ, & habitare eos faciam confidenter, & erunt mihi in populũ, &*
,, *ego ero eis in Deum. Et dabo eis cor vnũ, & viam vnam, vt timeant me vni-*
,, *uersis diebus: & bene sit eis, & filiis eorũ post eos. Et feriam eis pactum sem-*
,, *piternũ, & non desinam eis benefacere, & timorem meum dabo in corde eo-*
,, *rum, vt non recedant à me. Et lætabor super eis cùm bene eis fecero, & plan-*
,, *tabo eos in terra ista in veritate in toto corde meo, & in tota anima mea.*

Ibid. 33,6. *Ecce ego obducam eis cicatricem & sanitatem, & curabo eos: & reuela-*
,, *bo illis deprecationem pacis & veritatis. Et conuertam conuersionem Iuda,*
,, *& conuersionem Ierusalem: & ædificabo eos sicut à principio. Et emunda-*
,, *bo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccauerunt mihi: & propitius ero*
,, *cunctis iniquitatibus eorũ in quibus deliquerunt mihi, & spreuerunt me. Et*
,, *erit mihi in nomen, & in gaudium, & in laudem, & in exultationem cun-*

*ctis*

*etis gentibus terræ quæ audierint omnia bona quæ ego facturus sum eis: & pauebunt, & turbabuntur in vniuersis bonis, & in omni pace quam ego faciam eis. Hæc dicit Dominus, Audietur in loco isto (quem vos dicitis esse desertum, eo quòd non sit homo nec iumentum: in ciuitatibus Iuda, & foris Ierusalem, quæ desolatæ sunt absque homine, & absque habitatore, & absque pecore) vox gaudij & vox lætitiæ, vox sponsi & vox sponsæ, vox dicentium, Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in æternum misericordia eius: & portantium vota in domũ Domini. reducam enim conuersionem terræ sicut à principio, dicit Dominus. Hæc dicit Dominus exercituum, Adhuc erit in loco isto deserto absque homine, & absque iumento, & in cunctis ciuitatibus eius, habitaculum pastorũ accubantium gregum. In ciuitatibus montuosis, & in ciuitatibus campestribus, & in ciuitatibus quæ ad Austrum sunt, & in terra Beniamin, & in circuitu Ierusalem, & in ciuitatibus Iuda adhuc transibũt greges ad manum numerantis, ait Dominus. Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo verbũ bonum quod locutus sum ad domũ Israel & ad domum Iuda. In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam Dauid germen iustitiæ, & faciet iudiciũ & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Ierusalem habitabit confidenter: & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster, Quia hæc dicit Dominus, Nõ interibit de Dauid vir, qui sedeat super thronum domus Israel. Et de Sacerdotibus, & de Leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocautomata, & incendat sacrificium, & cædat victimas omnibus diebus. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam, dicens: Hæc dicit Dominus, Si irritum potest fieri pactum meũ cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies & nox in tempore suo: & pactũ meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius qui regnet in throno eius, & Leuitæ & sacerdotes ministri mei. Sicuti enumerari nõ possunt stellæ cæli, & metiri arena maris: sic multiplicabo semen Dauid serui mei, & Leuitas ministros meos. Et factũ est verbum Domini ad Ieremiam, dicens: Nũquid non vidisti quid populus hic locutus sit, dicens: Duæ cognationes quas elegerat Dominus, abiectæ sunt: & populum meũ despexerunt, eo quòd non sit vltrà gens corã eis. Hæc dicit Dominus, Si pactum meũ inter diem & noctẽ, & leges cælo & terræ non posui: equidẽ & semen Iacob, & Dauid serui mei proiiciam, vt non assumã de semine eius principes seminis Abraham, Isaac, & Iacob. reducã enim conuersionẽ eorum, & miserebor eis.*

*In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus, quæretur iniquitas Israel, & non erit: & peccatum Iuda, & non inuenietur: quoniam propitius ero eis quos reliquero.* Ierem. 50, 20

*Propterea hæc dicit Dominus Deus: Congregabo vos de populis, & adunabo de terris in quibus dispersi estis: daboq́ue vobis humum Israel. Et ingredientur illuc, & auferent omnes offensiones, cunctasq́ue abominationes in die illa. Et dabo eis cor vnum, & spiritũ nouum tribuam in visceribus eorum:* Ezech. 11.

*&*

» *& auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in*
» *præceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciantque ea; & sint mi-*
*hi in populum, egóque sim eis in Deum.*

Ezech. 13. Vanorum responsorum consultos à Sanctorum communione excipiendos.

*Et erit manus mea super Prophetas qui vident vana, & diuinant mendacium: in concilio populi mei non erunt, & in scriptura domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur, & scietis quia ego Dominus.*

Ibid. 20.

*Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent:*
» *& pollui eos in muneribus suis, cùm offerrent omne quod aperit vuluam*
» *propter delicta sua, & scient quia ego Dominus.*

Ibid. 34.

*Hæc dicit Dominus, Ecce, ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas.*
» *Sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerint in medio ouiũ sua-*
» *rum dissipatarum: sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis in*
» *quibus dispersæ fuerint in die nubis & caliginis. Et educam eas de populis,*
» *& congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam: & pascam eas*
» *in montibus Israel, in riuis, & in cunctis sedibus terræ. In pascuis uberri-*
» *mis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: ibi re-*
» *quiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super mon-*
» *tes Israel. Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit Domi-*
» *nus Deus. Quod perierat, requiram: & quod abiectum erat, reducam: &*
» *quod confractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat, consolidabo: &*
» *quod pingue & forte, custodiam: & pascam illas in iudicio. Vos autem gre-*
» *ges mei, hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego iudico inter pecus & pecus, arie-*
» *tum & hircorum. Nónne satis vobis erat pascua bona depasci? insuper & re-*
» *liquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris: & cùm purissi-*
» *mam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis. Et oues meæ his*
» *quæ cõculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur; & quæ pedes vestri tur-*
» *bauerant, hæc bibebant. Propterea hæc dicit Dominus Deus ad vos, Ecce ego*
» *ipse iudico inter pecus pingue & macilentum. Pro eo quòd lateribus & hu-*
» *meris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora,*
» *donec dispergerentur foras: saluabo gregem meum, & non erit vltrà in ra-*
» *pinam, & iudicabo inter pecus & pecus.* ET SVSCITABO SVPER
» EAS PASTOREM VNVM, *qui pascat eas, seruum meum Dauid: ipse*
» *pascet eas, & ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum*
» *& seruus meus Dauid princeps in medio eorum: ego Dominus locutus sum.*
» *Et faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra:*
» *& qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus. Et ponam eos in cir-*
» *cuitu collis mei benedictionem: & deducam imbrem in tempore suo, pluuiæ*
» *benedictionis erunt. Et dabit lignum agri fructũ suum, & terra dabit ger-*
» *men suum, & erunt in terra sua absque timore: & scient quia ego Domi-*
» *nus cùm contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperãtium*
» *sibi. Et non erunt vltrà in rapinam in Gentibus, neque bestiæ terræ deuora-*
» *bunt eos: sed habitabunt confidenter absque vllo terrore. Et suscitabo eis ger-*

*men nominatum: & non erunt vltrà imminuti fame in terra, neque portabunt vltrà opprobriũ Gentium. Et scient quia ego Dominus Deus eorum cum eis, & ipsi populus meus domus Israel, ait Dominus Deus. Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ homines estis, & ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus.*

*Hæc dicit Dominus Deus, Non propter vos ego faciam, domus Israel: sed propter nomen sanctum meum quod polluistis in Gentibus ad quas intrastis.* Ezech. 36, 22 *Et sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutũ est inter Gentes, quod polluistis in medio earum: vt sciant Gentes quia ego Dominus, ait Dominus exercituum, cùm sanctificatus fuero in vobis coram eis: Tollam quippe vos de Gentibus, & congregabo vos de vniuersis terris, & adducã vos in terram vestram.* ET EFFVNDAM *super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini. Et habitabitis in terra quã dedi patribus vestris: & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum. Et saluabo vos ex vniuersis inquinamentis vestris: & vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non imponam vobis famem. Et multiplicabo fructum ligni, & genimina agri: vt non portetis vltrà opprobrium famis in Gentibus. Et recordabimini viarũ vestrarum pessimarum, studiorumq́ non bonorum: & displicebunt vobis iniquitates vestræ & scelera vestra. Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis: confundimini & erubescite super viis vestris, domus Israel. Hæc dicit Dominus Deus, In die qua mundauero vos ex omnibus iniquitatibus vestris, & inhabitari fecero vrbes, & instaurauero ruinosa: & terra deserta fuerit exculta, quæ quondam erat desolata in oculis omnis viatoris, dicent, Terra illa inculta, facta est vt hortus voluptatis: & ciuitates desertæ, & destitutæ atque suffossæ, munitæ sederunt. Et scient Gentes quæcunque derelictæ fuerint in circuitu vestro, quia ego Dominus ædificaui dissipata, plantauiq́ inculta, ego Dominus locutus sim & fecerim. Hæc dicit Dominus Deus, Adhuc in hoc inuenient me domus Israel, vt faciam eis: Multiplicabo eos sicut gregem hominum, vt gregem sanctum, vt gregem Ierusalem in solennitatibus eius: Sic erunt ciuitates desertæ, plenæ gregibus hominũ: & sciẽt quia ego Dominus.*

## Interioris hominis resurrectio per Spiritum Dei inhabitantem.

ET *scietis quia ego Dominus, cùm aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris, populé meus: & dedero Spiritum meum in vobis, & vixeritis, & requiescere vos faciam super humum vestram: & scietis quia* Ibid. 37, 13.

„ ego Dominus locutus sum, & feci, ait Dominus Deus. Et factus est sermo
„ Domini ad me, dicens: Et tu fili hominis, sume tibi lignum vnum: & scri-
„ be super illud, Iudæ & filiorum Israel sociorum eius; & tolle lignum alte-
„ rum, & scribe super illud, Ioseph lignū Ephraim, & cunctæ domus Israel,
„ sociorumq; eius. Et adiunge illa, vnum ad alterum tibi in signum vnum: &
„ erunt in vnionem in manu tua. Cùm autem dixerint ad te filij populi tui lo-
„ quentes, Nónne indicas nobis quid in his tibi velis? loquêris ad eos: Hæc dicit
„ Dominus Deus, Ecce, ego assumā lignū Ioseph, quod est in manu Ephraim,
„ & tribus Israel quæ sunt ei adiunctæ: & dabo eas pariter cum ligno Iu-
„ da, & faciam eas in lignum vnum: & erunt vnum in manu eius. Erunt
„ autem ligna super quæ scripseris in manu tua, in oculis eorum. Et dices ad
„ eos, Hæc dicit Dominus Deus: Ecce, ego assumam filios Israel de medio na-
„ tionum ad quas abierūt: & congregabo eos vndique, & adducam eos ad hu-
„ mum suam. Et faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Israel, &
„ rex vnus erit omnibus imperans: & non erunt vltrà duæ gentes, nec diui-
„ dentur ampliùs in duo regna. Neque polluentur vltrà in idolis suis & abo-
„ minationibus suis, & cunctis iniquitatibus suis: & saluos eos faciam de
„ vniuersis sedibus in quibus peccauerunt, & emundabo eos: & erunt mihi
„ populus, & ego ero eis Deus. Et seruus meus Dauid rex super eos, & pastor
„ vnus erit omnium eorum: in iudiciis meis ambulabunt, & mandata mea cu-
„ stodient, & facient ea. Et habitabunt super terram quam dedi seruo meo Ia-
„ cob, in qua habitauerunt patres vestri: & habitabunt super eam ipsi, & filij
„ eorum, & filij filiorum eorum, vsque in sempiternū: & Dauid seruus meus
„ princeps eorum in perpetuum. Et percutiam illis fœdus pacis, pactum sem-
„ piternum erit eis: & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo sanctificationem
„ meam in medio eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in eis: &
„ ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et scient Gentes quia ego Dominus
„ sanctificator Israel, cùm fuerit sanctificatio mea in medio eorū in perpetuū.

Ezech.39, 25 Nunc reducam captiuitatem Iacob, & miserebor omnis domus Israel:
„ & assumam zelum pro nomine sancto meo. Et portabūt confusionem suam,
„ & omnem præuaricationem qua præuaricati sunt in me, cùm habitauerint
„ in terra sua confidenter, neminem formidantes, & reduxero eos de populis,
„ & congregauero de terris inimicorum suorum, & sanctificatus fuero in eis
„ in oculis gentium plurimarum. Et scient quia ego Dominus Deus eorum,
„ eo quòd transtulerim eos in nationes; & congregauerim eos super terram
„ suam, & non dereliquerim quemquam ex eis ibi. Et non abscondam vltrà
„ faciem meam ab eis, eo quòd effuderim Spiritum meum super omnem do-
„ mum Israel, ait Dominus Deus.

Regnum

Regnum perpetuum & æternum Vati indicatum, ita vt Deus, qui antea indignum censeret regiam aulam domui suæ coniunctam esse, nunc iam deinceps medius inhabitare ipse sponte velit.

Et *dixit ad me: Fili hominis, locus solij mei, & locus vestigiorum pedum meorum, vbi habito in medio filiorum Israel in æternum: & non polluent vltrà domus Israel nomen sanctum meum, ipsi, & reges eorum, in fornicationibus suis, & in ruinis regum suorum, & in excelsis. Qui fabricati sunt limen suum iuxta limen meum, & postes suos iuxta postes meos: & murus erat inter me & eos: & polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus quas fecerunt: propter quod contempsi eos in ira mea. Nunc ergo repellant procul fornicationem suam, & ruinas regum suorum à me, & habitabo in medio eorum semper.* Ezech. 43, 7.

*Præterea templum ex hominibus diuini Verbi efficientia construendum, in quo Deus perpetuò habitaturus coleretur, sacris atque hostiis in spiritu ac veritate peragendis, numquámque desinentibus, iisdem verò perfectissimis, atque acceptus prorsus & gratissimus propter summi Sacerdotis Vncti authoritatem & gratiam, idem Vates visum sibi externis imaginibus diligenter describere iussus est; qui inter cætera portam clausam sibi monstratam refert, qua solus princeps ingressurus erat: id videlicet significans, Publicæ salutis sacrum ab vno illo Vncto semel in consummationem seculorum esse faciendū, neminiq́ alij illum ad expiationem publicā patefactum iri aditum.*

*Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus, Hi sunt ritus altaris, in quacunque die fuerit fabricatum: vt efferatur super illud holocaustum, & effundatur sanguis. Et dabis Sacerdotibus & Leuitis, qui sunt de semine Sadoc, qui accedunt ad me, ait Dominus Deus, vt offerant mihi vitulum de armento pro peccato. Et assumēs de sanguine eius, pones super quatuor cornua eius, & super quatuor angulos crepidinis, & super coronam in circuitu: & mundabis illud, & expiabis. Et tolles vitulum qui oblatus fuerit pro peccato: & combures eum in separato loco domus extra sanctuarium. Et in die secunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato: & expiabunt altare, sicut expiauerūt in vitulo. Cumq́; compleueris expians illud, offeres vitulum de armento immaculatum, & arietem de grege immaculatum. Et offeres eos in conspectu Domini: & mittent sacerdotes super eos sal, & offerent eos holocaustum Domino. Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie: & vitulum de armento, & arietem de pecoribus immaculatos offerent. Septem diebus expiabunt altare, & mundabunt illud: & implebunt manum eius. Expletis autem diebus, in die octaua & vltrà, facient Sacerdotes super altare holocausta vestra, & quæ pro pace offerunt: & placatus ero vobis, ait Dominus Deus.* Ibid. 43, 18.

*Et conuertit me ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Orien-* Ibid. 44.

» *Orientem: & erat clausa. Et dixit Dominus ad me, Porta hæc clausa erit;*
» *non aperietur, & vir non transiet per eam: quoniam Dominus Deus Israel*
» *ingressus est per eam, eritq́ clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea, &c.*

Ezech. 46,8. *Cumq́ ingressurus est princeps, per viam vestibuli portæ ingrediatur, &*
» *per eandem viam exeat. Et cùm intrabit populus terræ in conspectu Domini*
» *in solennitatibus: qui ingreditur per portam Aquilonis, vt adoret, egrediatur*
» *per viam portæ Meridianæ: porrò qui ingreditur per viam portæ Meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis: non reuertetur per viam portæ*
» *per quam ingressus est, sed è regione illius egredietur. Princeps autem in medio eorum cum ingredientibus ingredietur, & cū egredientibus egredietur.*

## Publicam expiationem & lustrationem hominum generi purissimis Christi liquoribus constituram.

Ibid.47. Et *conuertit me ad portam domus, & ecce aquæ egrediebantur subter*
» *limen domus ad Orientem: facies enim domus respiciebat ad Orientem: aquæ*
» *autem descendebant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris. Et eduxit*
» *me per viam portæ Aquilonis, & conuertit me ad viam foras portam exteriorem, viam quæ respiciebat ad Orientem: & ecce aquæ redundantes à latere dextro. Cùm egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in*
» *manu sua, & mensus est mille cubitos: & traduxit me per aquam vsque ad*
» *talos. Rursumq́ mensus est mille, & traduxit me per aquam vsque ad genua:*
» *& mensus est mille, & traduxit me per aquam vsque ad renes. Et mensus*
» *est mille, torrentem quem non potui transire: quoniam intumuerant aquæ*
» *profundi torrentis qui non potest transuadari. Et dixit ad me, Certè vidisti*
» *fili hominis. Et eduxit me, & conuertit ad ripam torrentis. Cumq́ me conuertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex vtraque parte. Et ait*
» *ad me, Aquæ istæ quæ egrediuntur ad tumulum sabuli portæ Orientalis, &*
» *descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, & exibunt, & sanabuntur*
» *aquæ. Et omnis anima viuens quæ serpit quocumque venerit torrens, viuet:*
» *& erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur: & viuent omnia ad quæ venerit torrens. Et stabunt super illa piscatores, ab Engaddi vsque ad Engallim siccatio sagenarum erit: plurimæ species*
» *erunt piscium eius, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ: in littoribus autem eius, & in palustribus non sanabuntur, quia in salinas dabūtur.*
» *Et super torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius: per singulos*
» *menses afferet primitiua, quia aquæ eius de sanctuario egredientur: & erūt*
» *fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam. Hæc dicit Dominus Deus,*
» *Hic est terminus in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israel:*
» *quia Ioseph duplicem funiculum habet. Possidebitis autem eam singuli æquè*
» *vt frater suus: super quam leuaui manum meam vt darem patribus vestris:*
» *& cadet terra hæc vobis in possessionem. Hic est autem terminus terræ: ad*

plagam

*plagam Septentrionalem, à mari magno via Hethalon, venientibus Sedada,* "
*Emath, Berotha, Sabarim, quæ est inter terminum Damasci & confinium* "
*Emath, domus Tichon quæ est iuxta terminum Auran. Et erit terminus à* "
*mari vsque ad atrium Enon terminus Damasci, & ab Aquilone ad Aqui-* "
*lonem, terminus Emath: plaga Septentrionalis. Porrò plaga Orientalis de* "
*medio Auram, & de medio Damasci, & de medio Galaad, & de medio* "
*terræ Israel, Iordanis disterminans ad mare Orientale, mettemini etiā pla-* "
*gam Orientalem. Plaga autem Australis meridiana, à Thamar vsque ad* "
*aquas contradictionis Cades: & torrens vsque ad mare magnum: & hæc est* "
*plaga ad Meridiem australis. Et plaga maris, Mare magnum à confinio per* "
*directum, donec venias Emath: hæc est plaga maris. Et diuidetis terrā istam* "
*vobis per tribus Israel: & mittetis eam in hæreditatem vobis, & aduenis* "
*qui accesserint ad vos, qui genuerint filios in medio vestrûm: & erunt vobis* "
*sicut indigenæ inter filios Israel: vobiscum diuident possessionem in medio* "
*tribuum Israel. In tribu autem quacunque fuerit aduena, ibi dabitis posses-* "
*sionem illi, ait Dominus Deus.* "

## Ciuitatem sanctam diuina virtute comparandam, cuius imperium Deus præsens perpetuò moderetur, multis rerum ac verborum figuris à Vate prædictam.

ET *hæc nomina tribuum à finibus Aquilonis iuxta viam Hethalon* Ezech. 48.
*pergentibus Emath, atrium Enan terminus Damasci ad Aquilonem iuxta* "
*viam Emath. Et erit ei plaga Orientalis Mare, Dan vna. Et ad terminum* "
*Dan, à plaga Orientali vsque ad plagam Maris, Asser vna: & super ter-* "
*minum Asser, à plaga Orientali vsque ad plagam Maris, Nephthali vna. Et* "
*super terminum Nephthali, à plaga Orientali vsque ad plagam Maris, Ma-* "
*nasse vna. Et super terminum Manasse, à plaga Orientali vsque ad plagam* "
*Maris, Ephraim vna. Et super terminum Ephraim, à plaga Orientali vsq.* "
*ad plagam Maris, Ruben vna. Et super terminum Ruben, à plaga Orientali* "
*vsque ad plagam Maris, Iuda vna. Et super terminum Iuda, à plaga Orien-* "
*tali vsque ad plagam Maris, erunt primitiæ quas separabitis, vigintiquinque* "
*millibus latitudinis & longitudinis, sicuti singulæ partes à plaga Orientali* "
*vsque ad plagam Maris: & erit sanctuarium in medio eius. Primitiæ quas* "
*separabitis Domino: longitudo vigintiquinque millibus, & latitudo decem* "
*millibus. Hæ autem erunt primitiæ sanctuarij Sacerdotum: ad Aquilonem* "
*longitudinis vigintiquinque millia, & ad Mare latitudinis decem millia,* "
*sed & ad Orientem latitudinis decem millia, & ad Meridiem longitudinis* "
*vigintiquinque millia: & erit sanctuarium Domini in medio eius. Sacer-* "
*dotibus sanctuarium erit de filiis Sadoc, qui custodierunt ceremonias meas,* "
*& non errauerunt cùm errarent filij Israel, sicut errauerunt & Leuitæ.* "
*Et erunt eis primitiæ de primitiuis terræ sanctum sanctorum, iuxta termi-* "
*num Leuitarum. Sed & Leuitis similiter iuxta fines Sacerdotum viginti-* "

» *quinque millia longitudinis, & latitudinis decem millia. Omnis longitudo,*
» *viginti & quinque millium, & latitudo decem millium. Et non venundabunt ex eo, neque mutabunt, neque transferentur primitiæ terræ, quia sanctificatæ sunt Domino. Quinque millia autem quæ supersunt in latitudine per vigintiquinque millia, prophana erunt vrbis in habitaculum, & in suburbana: & erit ciuitas in medio eius. Et hæ mensuræ eius: Ad plagā Septentrionalem, quingenta & quatuor millia: & ad plagam Meridianam, quingenta & quatuor millia: & ad plagam Orientalem, quingenta & quatuor millia: & ad plagam Occidentalem, quingenta & quatuor millia. Erunt autem suburbana ciuitatis, ad Aquilonem ducenta quinquaginta, & ad Meridiem ducenta quinquaginta, & ad Orientem ducenta quinquaginta millia, & ad Mare ducenta quinquaginta. Quod autem reliquum fuerit in longitudine secundùm primitias sanctuarij, decem millia in Orientem, & decem millia in Occidentem, erunt sicut primitiæ sanctuarij: & erunt fruges eius in panes his qui seruiunt ciuitati. Seruientes autem ciuitati, operabuntur, ex omnibus tribubus Israel. Omnes primitiæ, vigintiquinque millium, per vigintiquinque millia in quadrum, separabuntur in primitias sanctuarij, & in possessionem ciuitatis. Quod autem reliquum fuerit, principis erit ex omni parte primitiarum sanctuarij, & possessionæ ciuitatis è regione vigintiquinque millium primitiarum vsque ad terminum Orientalem: sed & ad Mare è regione vigintiquinque millium vsque ad terminum Maris, similiter in partibus principis erit: & erunt primitiæ sanctuarij, & sanctuarium templi in medio eius. De possessione autem Leuitarum, & de possessione ciuitatis in medio partium principis erit: in terminum Iuda, & in terminum Beniamin, & ad principem pertinebit. Et reliquis tribubus, à plaga Orientali vsque ad plagam Occidentalem, Beniamin vna. Et contra terminum Beniamin, à plaga Orientali vsque ad plagam Occidentalem, Simeon vna. Et super terminum Simeonis, à plaga Orientali vsque ad plagam Occidentalem, Issachar vna. Et super terminum Issachar, à plaga Orientali vsq. ad plagam Occidentalem, Zabulon vna. Et super terminum Zabulon, à plaga Orientali vsque ad plagam Maris, Gad vna. Et super terminum Gad, ad plagam Austri in Meridiem: & erit finis de Thamar, vsque ad aquas contradictionis Cades, hæreditas contra mare magnum. Hæc est terra quam mittetis in sortes tribubus Israel: & hæ partitiones earum, ait Dominus Deus. Et hi egressus ciuitatis: A plaga Septentrionali quingentos & quatuor millia mensurabis. Et portæ ciuitatis omnibus tribubus Israel, portæ tres à Septentrione, porta Ruben vna, porta Iuda vna. porta Leui vna. Et ad plagam Orientalem, quingentos & quatuor millia: & portæ tres, porta Ioseph vna, porta Beniamin vna, porta Dan vna. Et ad plagam Meridianam, quingentos & quatuor millia metieris: & portæ tres, porta Simeonis vna, porta Issachar vna, porta Zabulon vna. Et ad plagam Occidentalem, quingentos & quatuor millia, & portæ eorum tres, porta Gad vna,*

porta

*porta Aſer vna, porta Nephthali vna. Per circuitum, decem & octo mil-* «
*lia: & nomen ciuitatis ex illa die,* DOMINVS IBIDEM. «

## Salutis publicę Miniſtrum ac Pontificem, certiſſimis oraculis promiſſum, fide ac pœnitentiæ ſerio ſtudio exſpectandum Vates commendauerunt.

DICITE *fratribus veſtris, Populus meus: & ſorori veſtræ, Miſeri-* Hoſeæ 2.
*cordiam conſecuta.* «

*Et erit in illa die, ait Dominus: vocabit me Vir meus, & non vocabit me* Ibid. v. 16.
*vltrà Baghalim. Et auferā nomina Baghalim de ore eius, & non recordabi-* «
*tur vltrà nominis eorum. Et percutiam cum eis fœdus in die illa cum beſtia* «
*agri, & cum volucre cæli, & cum reptili terræ: & arcum, & gladium, &* «
*bellum conteram de terra: & dormire eos faciam fiducialiter. Et ſponſabo te* «
*mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, & in miſe-* «
*ricordia & miſerationibus. Et ſponſabo te mihi in fide: & ſcies quia ego Do-* «
*minus. Et erit in die illa, exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, & illi* «
*exaudient terram. Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum: & hæc* «
*exaudient Iezraghel. Et ſeminabo eam mihi in terram, & miſerebor eius* «
*quæ fuit abſque miſericordia. Et dicam non populo meo, Populus meus es tu:* «
*& ipſe dicet, Deus meus es tu.* «

*In tribulatione ſua manè conſurgent ad me, Venite, & reuertamur ad* Ibid. 6.
*Dominum: quia ipſe cepit, & ſanabit nos: percutiet, & curabit nos. Viuifi-* «
*cabit nos poſt duos dies: in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu* «
*eius. Sciemus, ſequemurq́, vt cognoſcamus Dominum: quaſi diluculum præ-* «
*paratus eſt egreſſus eius, & veniet quaſi imber nobis temporaneus & ſero-* «
*tinus terræ.* «

*Seminate vobis in iuſtitia, & metite in ore miſericordiæ, innouate vo-* Ibid. 10.
*bis nouale, tempus autem requirendi Dominum, cùm venerit qui docebit* «
*vos iuſtitiam.* «

*Poſt Dominum ambulabunt, quaſi leo rugiet, quia ipſe rugiet. Et formi-* Ibid. 11.
*dabunt filij maris, & aduolabunt quaſi auis ex Aegypto, & quaſi columba de* «
*terra Aſſyriorum, & collocabo eos in domibus ſuis, dicit Dominus.* «

*Noli timere terra, exulta & lætare: quia magnificauit Dominus vt face-* Ioel. 2.
*ret. Nolite timere animalia regionis: quia germinauerunt ſpecioſa deſerti,* «
*quia lignum attulit fructum ſuum, ficus & vinea dederunt virtutem ſuam.* «
*Et filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo veſtro: quia dedit vobis* «
*doctorem iuſtitiæ, & deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum & ſero-* «
*tinum ſicut in principio. Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt* «
*torcularia vino & oleo. Et reddam vobis annos quos comedit locuſta, bru-* «
*chus, & rubigo, & eruca: fortitudo mea magna, quam miſi in vos. Et com-* «
*edetis veſcentes, & ſaturabimini: & laudabitis nomen Domini Dei ve-* «
*ſtri qui fecit mirabilia vobiſcum: & non confundetur populus meus in ſem-* «
*piter-*

» *piternum. Et scietis quia in medio Israel ego sum: & ego Dominus Deus*
» *vester, & non est amplius: & non confundetur populus meus in æternum.*
» *Et erit post hæc: effundam Spiritum meum super omnem carnem: & pro-*
» *phetabunt filij vestri & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & iu-*
» *uenes vestri visiones videbunt. Sed & super seruos meos & ancillas in die-*
» *bus illis effundam Spiritum meum. Et dabo prodigia in cælo, & in terra,*
» *sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & lu-*
» *na in sanguinem: antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et*
» *erit: omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit: quia in monte Sion*
» *& in Ierusalem erit saluatio, sicut dixit Dominus, & in residuis quos Do-*
» *minus vocauerit.*

Ioel. 3. *Quia ecce in diebus illis, & in tempore illo cùm conuertero captiuitatem*
» *Iuda & Ierusalem: Congregabo omnes Gentes, & deducam eas in vallem*
» *Iosaphat: & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hæreditate mea Is-*
» *rael, quos dispersérunt in nationibus, & terram meam diuiserunt. Et super*
» *populum meum miserunt sortem: & posuerunt puerum in prostibulum, &*
» *puellam vendiderunt pro vino vt biberent. Verùm quid mihi & vobis Ty-*
» *rus & Sidon, & omnis terminus Palæsthinorum? numquid vltionem vos*
» *reddetis mihi? & si vlciscimini vos contra me, citò velociter reddam vicis-*
» *situdinem vobis super caput vestrum. Argentum enim meum & aurum*
» *tulistis: & desiderabilia mea, & pulcherrima intulistis in delubra vestra. Et*
» *filios Iuda, & filios Ierusalem vendidistis filiis Græcorum, vt longè facere-*
» *tis eos de finibus suis. Ecce ego suscitabo eos de loco in quo vendidistis eos: &*
» *conuertam retributionem vestram in caput vestrum. Et vendam filios ve-*
» *stros & filias vestras in manibus filiorũ Iuda, & venundabunt eos Sabæis,*
» *genti longinquæ, quia Dominus locutus est. Clamate hoc in Gentibus, sancti-*
» *ficate bellum, suscitate robustos: accedant, ascendant omnes viri bellatores.*
» *Concidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas. Infirmus*
» *dicat, quia fortis ego sum. Erumpite, & venite omnes gentes de circuitu, &*
» *congregamini: ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos. Consurgant, &*
» *ascendant Gentes in vallem Iosaphat: quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gen-*
» *tes in circuitu. Mittite falces, quoniam maturauit messis: venite, & descen-*
» *dite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia: quia multiplicata est*
» *malitia eorum. Populi populi in valle cõcisionis: quia iuxtá est dies Domini*
» *in valle concisionis. Sol & luna obtenebrati sunt: & stellæ retraxerũt splen-*
» *dorem suum. Et Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocẽ suam:*
» *& mouebuntur cæli & terra, & Dominus spes populi sui, & fortitudo fi-*
» *liorum Israel. Et scietis quia ego Dominus Deus vester habitans in Sion in*
» *monte sancto meo: & erit Ierusalem sancta, & alieni non transibũt per eam*
» *ampliùs. Et erit in die illa: stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent la-*
» *cte: & per omnes riuos Iuda ibunt aquæ: & fons de domo Domini egredie-*
» *tur, & irrigabit torrentem spinarum. Aegyptus in desolationem erit, &*
*Idu-*

*Idumæa in desertum perditionis: pro eo quòd iniquè egerint in filios Iuda, & effuderint sanguinem innocentem in terra sua. Et Iudæa in æternũ habitabitur, & Ierusalem in generationem & generationẽ. Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaueram. Et Dominus cõmorabitur in Sion.*

*In die illa suscitabo tabernaculũ Dauid, quod cecidit: & reædificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant, instaurabo: & reædificabo eum sicut in diebus antiquis. Vt possideant reliquias Idumææ, & omnes nationes, eo quòd inuocatum sit nomen meum super eos: dicit Dominus faciens hæc. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & comprehendet arator messorem, & calcator vuæ mittentem semen: & stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. Et conuertam captiuitatẽ populi mei Israel: & ædificabunt ciuitates desertas, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & bibent vinum earum: & facient hortos, & comedent fructus eorum. Et plantabo eos super humum suam: & non euellam eos vltrà de terra sua quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.* Amos 9.

*Et in monte Sion erit saluatio, & erit* SANCTVS: *& possidebit domus Iacob eos qui se possederant. Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flãma, & domus Esau stipula: & succendentur in eis, & deuorabunt eos: & non erunt reliquiæ domus Esau, quia Dominus locutus est. Et hæreditabũt ij qui ad Austrum sunt, montem Esau, & qui in campestribus Philisthiim: & possidebunt regionẽ Ephraim, & regionem Samariæ: & Beniamin possidebit Galaad. Et transmigratio exercitus huius filiorum Israel, omnia Chananæorum vsque ad Sareptam: & transmigratio Ierusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit ciuitates Austri. Et ascendent saluatores in montẽ Sion iudicare montem Esau:* ET ERIT DOMINO REGNVM. Abdiæ 1.

*Et erit, in nouissimo dierũ erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles: & fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, & dicent, Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis eius: quia de Sion egredietur lex, & Verbum Domini de Ierusalem. Et iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes vsque in longinquum: & concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones: non sumet gẽs aduersus gentem gladium, & non discent vltrà belligerare. Et sedebit vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat: quia os Domini exercituum locutum est. Quia omnes populi ambulabunt vnusquisque in nomine Dei sui: nos autẽ ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum & vltrà. In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem: & eam quam eieceram, colligam, & quam afflixeram. Et ponam claudicantem in reliquias: & eam quæ laborauerat, in gentem robustam. & regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nũc & vsq; in æternum.* Mich. 4.

*Surge, & tritura filia Sion: quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas ponam æreas: & comminues populos multos, & interficies Do-* Ibid. 4, 13.

» mino rapinas eorum, & fortitudinem eorum Domino vniuersæ terræ.

Mich.5. Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. Propter hoc dabit eos vsque ad tẽpus in quo parturiens pariet: reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Israel. Et stabit, & pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui. Et conuertentur: quia nunc magnificabitur vsque ad terminos terræ: & erit iste pax.

» Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam, quæ non exspectat virum, & non præstolatur filios hominum.

Ibid.7. Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei: donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum: educet me in lucem, videbo iustitiam eius. Et aspiciet inimica mea, & operietur confusione: quæ dicit ad me, Vbi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam: nunc erit in conculcationem, vt lutum platearũ. Dies vt ædificentur maceriæ tuæ: in die illa longè fiet lex. In die illa, & vsque ad te veniet Assur, & vsq; ad ciuitates munitas: & à ciuitatibus munitis vsque ad flumen, & ad mare de mari, & ad montem de monte. Et terra erit in desolationem propter habitatores suos, & propter fructum cogitationum eorum. Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli: pascentur Basan & Galaad iuxta dies antiquos Secundùm dies egressionis tuæ de terra Aegypti ostendam ei mirabilia. Videbunt gentes, & confundentur super omni fortitudine sua: ponent manũ super os, aures eorum surdæ erunt. Lingent puluerem sicut serpens, velut reptilia terræ proturbabuntur de ædibus suis: Dominum Deum nostrum desiderabunt, & timebũt te. Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? non immittet vltrà furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Reuertetur, & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Iacob, misericordiam Abraham: quæ iurasti patribus nostris à diebus antiquis.

Habac.3. Ficus non florebit, & non erit germen in vineis: mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum: abscindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præsepibus. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum: & super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.

Soph.3. Quapropter exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum vt congregem Gentes, & colligam regna: & effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei: in igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra. Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno.

vltra

*Vltra flumina Aethiopiæ, inde supplices mei filij dispersorum meorum deferent munus mihi. In die illa non confundêris super cunctis adinuentionibus tuis, quibus prævaricata es in me: quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ, & non adiicies ex altari amplius in monte sancto meo. Et derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum: & sperabunt in nomine Domini. Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non inuenietur in ore eorum lingua dolosa: quoniam ipsi pascentur & accubabunt, & non erit qui exterreat. Lauda filia Sion, iubila Israel: lætare & exulta in omni corde filia Ierusalem. Abstulit Dominus iudicium tuum, auertit inimicos tuos: rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum vltrà. In die illa dicetur Ierusalem, Noli timere: Sion, non dissoluentur manus tuæ. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit: gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione tua, exultabit super te in laude. Nugas qui à lege recesserant, congregabo, quia ex te erant: vt non vltrà habeas super eis opprobrium. Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo, & saluabo claudicantem, & eam quæ eiecta fuerat, congregabo: & ponam eos in laudem & in nomen, in omni terra confusionis eorum. In tempore illo quo adducam vos, & in tempore quo congregabo vos: dabo enim vos in nomen, & in laudem omnibus populis terræ, cùm conuertero captiuitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus.*

*Et factum est verbum Domini secundò ad Haggæum, in vicesima & quarta mensis, dicens: Loquere ad Zorobabel ducem Iuda, dicens: Ego mouebo cælum pariter & terram. Et subuertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regni Gentium: & subuertam quadrigam & ascensorem eius: & descendent equi, & ascensores eorũ, vir in gladio fratris sui. In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel fili Salathiel serue meus, dicit Dominus, & ponam te quasi signaculũ, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.* Hagg. 2.

*Hæc ait Dominus exercituum, dicens:* ECCE VIR ORIENS NOMEN EIVS: *& subter eum orietur, & ædificabit templum Domino. Et ipse exstruet templum [verum] Domino, & ipse portabit gloriam [efficientiæ & regni] & sedebit, & dominabitur super solio suo, & erit Sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos [qui venerunt] Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idatæ, & Hen filio Sophoniæ memoriale in templo Domini. Et qui procul sunt, venient, & ædificabunt in templo Domini, & scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri [fidem & pænitentiam postulantis].* Zach. 6.

*Hæc dicit Dñs Deus exercituum, Si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi huius in diebus illis, numquid in oculis meis difficile erit, dicit Dominus exercituum? Hæc dicit Dominus exercituum, Ecce ego saluabo populum meum de terra Orientis, & de terra Occasus Solis. Et adducam eos, &* Ibid. 8.

» & habitabunt in medio Ierusalem: & erunt mihi in populum, & ego ero
» eis in Deum in veritate & in iustitia. Hæc dicit Dominus exercituũ, Con-
» fortentur manus vestræ, qui auditis in his diebus sermones istos per os Pro-
» phetarum in die qua fundata est domus Domini exercituum, vt templum
» ædificaretur. Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces
» iumentorum erat, neque introeunti neque exeunti erat pax præ tribulatione:
» & dimisi omnes homines vnumquemque contra proximum suum. Nũc au-
» tem non iuxta dies priores ego faciam reliquiis populi huius, dicit Dominus
» exercituum, sed semen pacis erit: vinea dabit fructum suum, & terra dabit
» germen suum, & cæli dabunt rorem suum: & poßidere faciam reliquias po-
» puli huius vniuersa hæc. Et erit: sicut eratis maledictio in Gentibus, domus
» Iuda & domus Israel: sic saluabo vos, & eritis benedictio: nolite timere, con-
» fortentur manus vestræ. Quia hæc dicit Dominus exercituum, Sicut cogi-
» taui vt affligerem vos, cùm ad iracundiam prouocassent patres vestri me,
» dicit Dominus exercituum, & non sum misertus: sic conuersus cogitaui in
» diebus istis vt benefaciam domui Iuda & Ierusalem: nolite timere. Hæc
» sunt ergo verba quæ facietis: Loquimini veritatẽ vnusquisque cum proxi-
» mo suo: veritatem & iudicium pacis iudicate in portis vestris. Et vnusquis-
» que malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, & iura-
» mentum mendax ne diligatis. omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus.
» Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens, Hæc dicit Domi-
» nus exercituum, Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi,
» & ieiunium decimi erit domui Iudæ in gaudium & in lætitiam, & in so-
» lennitates præclaras: veritatem tantùm & pacem diligite. Hæc dicit Do-
» minus exercituũ, Vsquequo veniant populi, & habitent in ciuitatibus mul-
» tis, & vadant habitatores vnus ad alterum, dicentes: Eamus, & deprece-
» mur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum, vadam etiã ego.
» Et venient populi multi, & gentes robustæ ad quærendum Dominum exer-
» cituum in Ierusalem, & deprecandam faciem Domini. Hæc dicit Dominus
» exercituum, In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omni-
» bus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes: Ibi-
» mus vobiscum: audiuimus enim quoniam Deus vobiscum est.

Zachar. 9. Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: ECCE REX TVVS ve-
» niet tibi iustus & saluator: ipse pauper & ascendens super asinum, & super
» pullum filium asinæ. Et disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ie-
» rusalem, & dißipabitur arcus belli: & loquetur pacem Gentibus, & potestas
» eius à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad fines terræ. Tu quoque
» in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.
» Conuertimini ad munitionem vincti spei, hodie quoque annuncians dupli-
» cia reddam tibi. Quoniam extendi mihi Iudam quasi arcum, impleui Eph-
» raim: & suscitabo filios tuos Sion super filios tuos Græcia, & ponam te quasi
» gladium fortium. Et Dominus Deus super eos videbitur, & exibit vt ful-
gur

*tur iaculum eius: & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Au- " stri. Dominus exercituum proteget eos: & deuorabunt, & subiicient lapidi- " bus fundæ: & bibentes inebriabuntur quasi à vino, & replebuntur vt phia- " la, & quasi cornua altaris. Et saluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, " vt gregem populi sui: quia lapides sancti eleuabuntur super terrã eius. Quid " enim bonum eius est, & quid pulchrum eius: nisi frumentum electorum, & " vinum germinans virgines? "*

*Et confortabo domum Iuda, & domum Ioseph saluabo: & conuertam eos,* Zachar. 10. *quia miserebor eorum. & erunt sicut fuerunt quando non proieceram eos: " ego enim Dominus Deus eorum, & exaudiã eos. Et erunt quasi fortes Eph- " raim, & lætabitur cor eorum quasi à vino: & filij eorum videbunt, & læta- " buntur, & exultabit cor eorum in Domino. Sibilabo eis, & congregabo illos, " quia redemi eos: & multiplicabo eos sicut antè fuerant multiplicati. Et se- " minabo eos in populis, & de longè recordabuntur mei: & viuent cum filiis " suis, & reuertentur. Et reducam eos de terra Aegypti, & de Assyriis con- " gregabo eos: & ad terram Galaad & Libani adducam eos: & non inuenie- " tur eis locus: & transibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus, & con- " fundentur omnia profunda fluminis: & humiliabitur superbia Assur, & " sceptrũ Aegypti recedet. Confortabo eos in Domino, & in nomine eius am- " bulabunt, dicit Dominus.*

*Et saluabit Dominus tabernacula Iuda, sicut in principio: vt non magni-* Ibid. 12. *ficè glorietur domus Dauid, & gloria habitantiũ Ierusalem contra Iudam. " In die illa proteget Dominus habitatores Ierusalem: & erit qui offenderit " ex eis in die illa, quasi Dauid: & domus Dauid quasi Dei, sicut Angelus " Domini in conspectu eorum. Et erit in die illa: quæram conterere omnes " Gentes quæ veniunt contra Ierusalem. Et effundam super domum Dauid, " & super habitatores Ierusalem Spiritum gratiæ & precum: & aspicient " ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, " & dolebunt super eum vt doleri solet in morte primogeniti. "*

*In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in* Ibid. 13. *ablutionem peccatoris & menstruatæ. "*

*Et erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duæ in ea disperdentur &* Ibidem. *deficient: tertia pars relinquetur in ea. Et ducam tertiam partem per " ignem [separationis & expiationis] & vram eos sicut vritur argentum: & " probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, & ego exau- " diam eum. Dicam, Populus meus es, & ipse dicet, Dominus meus. "*

*Et erit dies vna quæ nota est Domino, non dies neque nox: & in tempore* Ibid. 14. *vesperi erit lux. Et erit in die illa: exibunt aquæ viuæ de Ierusalem, mediæ " earum ad mare Oriẽtale, & mediæ earum ad mare nouißimum: in æstate & " in hieme erunt. Et erit Dñs rex super omnẽ terrã: in die illa erit Dominus " vnus, & erit nomen eius vnum. Et reuertetur omnis terra vsque ad deser- " tum, de colle Remmon ad Austrum Ierusalem: & exaltabitur, & habita- "*

,, *bit in loco suo, à porta Beniamin vsque ad locum portæ prioris, vsque ad por-*
,, *tam angulorum: à turre Hananeel vsque ad torcularia regis. Et habitabunt*
,, *in ea, & anathema non erit amplius, sed sedebit Ierusalem secura.*

Malach. 3. *Ecce venit, dicit Dominus exercituum: & quis poterit cogitare diem ad-*
,, *uentus eius, & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans,*
,, *& quasi herba fullonum: & sedebit conflans & emundans argentum, &*
,, *purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum, & erunt*
,, *Domino offerentes sacrificia in iustitia, & placebit Domino sacrificium Iu-*
,, *da & Ierusalem sicut dies seculi, & sicut anni antiqui.*

Ibid. 3. *Et erunt mihi, ait Dominus exercituũ, in die qua ego facio, in peculium:*
,, *& parcam eis, sicut parcit vir filio suo seruienti sibi. Et conuertimini, & vi-*
,, *debitis quid sit inter iustum & impium: & inter seruientem Deo, & non*
,, *seruientem ei.*

Ibid. 4. *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pen-*
,, *nis eius: & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento. Et calcabitis*
,, *impios, cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorum in die qua ego facio,*
,, *dicit Dominus exercituum.*

*Atque loci hi ex Vatum responsis excerpti & indicati, cæteris qui plurimi supersunt de hac promissi diuini ratione, constantia, & magnitudine, argumenti aperti ac patentis vice abunde satis fuerint: iisdem adiuncta breuis, quam meditamur, commentatio, obscurioris interdum sermonis elucidationem præstabit.*

# De testimoniis & oraculis in Psalmorum libro frequentissimis.

## CAPVT XVI.



ONGISSIMAM *profectò telam ordiri ac texere cogeremur, si oracula omnia, quæ à Dauide Rege ac Vate, aliisq́; Psalmorum conditoribus, de diuino dono, atque salutis humanæ arcano promisso decantata sunt, citare constituissemus, cùm nullum ferè ex illis carminibus excipi possit, cuius vel totum, vel præcipuum argumentum in hanc rem omnium, quæ celebrantur, maximam tendere non adnotetur: id quod & alij ante nos, & nostra etiam memoria complures indicarunt, &* (In argumẽtis Psalmorum carmine Latino versorũ.) *nos aliàs non otiosè aut negligenter ostendisse nobis videmur. Verùm quoniam hoc etiam sacrorum scriptorum genus ad partes quoque suas à Dei Filio vocatum accepimus, nonnullam ex eodem fonte riuulorum portionem in hunc hortum deriuare opportunũ fuerit, illud cum primis animo ac mente recolentibus nobis, quod ante citanda ex aliis Vatibus responsa præfati commune huius rationis argumentum describebamus.*

Psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firma-*
,, *mentum. Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat scientiam.*

Non

*Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ. In sole posuit tabernaculum suum: & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius. Et occursus eius vsque ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius. Lex Domini immaculata, conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi: iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum. Etenim seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. Et erunt vt complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, Domine adiutor meus, & redemptor meus.*

BEATI *quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.* Psal. 31.

EXVLTATE *iusti in Domino: rectos decet collaudatio. Confitemini Domino in cithara: in psalterio decem chordarum psallite illi. Cantate ei canticum nouum: bene psallite ei in vociferatione. Quia rectum est verbum Domini, & omnia opera eius in fide. Diligit misericordiam & iudicium: misericordia Domini plena est terra.* Ibid. 32.

ECCE *oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adiutor & protector noster est. Quia in eo lætabitur cor nostrum: & in nomine sancto eius sperauimus. Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum sperauimus in te.* Ibid. 32, 18.

QVEMADMODVM *desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus? Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei, In voce exultationis & confessionis, sonus epulantis. Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus. Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermonium, à monte modico. Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum. Omnia excelsa tua, & fluctus tui, super me transierunt. In die mandauit Dominus misericordiã suam, &* Psal. 41.

„ *& noƈte canticum eius. Apud me, oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo, Susceptor meus es. Quare oblitus es mei? & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus? Dum confringuntur oſſa mea, exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei. Dum dicunt mihi per ſingulos dies, Vbi eſt Deus tuus? quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.*

Pſal. 51. ASPERGES *me Domine hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata. Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur. Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam. Domine, labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam. Quoniam, ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique: holocauſtum non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Benignè fac in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Ieruſalem [ſupernæ viſionis].*

*Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.*

Ibid. 66. DEVS *miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri. Vt cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuũ. Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.*

Ibid 79, 15. DEVS *virtutum conuertere: reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam. Et perfice eam quam plantauit dextera tua: & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi. Incenſa igni & ſuffoſſa ab increpatione vultus tui peribunt. Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ: & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi. Et non diſcedimus à te: viuificabis nos: & nomen tuum inuocabimus. Domine Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.*

Ibid. 84. BENEDIXISTI *Domine terram tuam: auertiſti captiuitatem Iacob. Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum. Mitigaſti omnem iram tuam: auertiſti ab ira indignationis tuæ. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter: & auerte iram tuam à nobis. Nunquid in æternum iraſceris nobis? aut extẽdes iram tuam à generatione in generationem?*

*Deus tu conuerſus viuificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.*

*Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam: & ſalutare tuum da nobis.*

*Audiam quid loquatur in me Deus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.*

*ſuam. Et ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor.*
*Veruntamen prope timentes eum ſalutare ipſius: vt inhabitet gloria in terra noſtra. Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi: iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Veritas de terra orta eſt: & iuſtitia de cælo proſpexit.*
*Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra noſtra dabit fructum ſuum. Iuſtitia ante eum ambulabit: & ponet in via greſſus ſuos.*

MISERICORDIAS *Domini in æternum cantabo.* Pſal.88.
*In generatione & generationem annunciabo veritatem tuam in ore meo. Quoniam dixiſti, In æternum miſericordia ædificabitur: in cælis præparabitur veritas tua in eis. Diſpoſui teſtamentum electis meis, iuraui Dauid ſeruo meo, vſque in æternum præparabo ſemen tuum. Et ædificabo in generatione & generationem ſedem tuam.*

CONVERTERE *Domine, vſquequo? & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos.* Pſal 89, 13.
*Repleti ſumus manè miſericordia tua: & exultauimus, & lætati ſumus omnibus diebus noſtris. Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala. Reſpice in ſeruos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum. Et ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, & opera manuum noſtrarũ dirige ſuper nos; & opus manuum noſtrarũ dirige.*

## Enthuſiaſmus Prophetarum in exſpectatum ſalutis tempus.

CANTATE *Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit.* Pſal.97.
*Saluauit ſibi dextera eius, & brachium ſanctum eius. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: in conſpectu Gentium reuelauit iuſtitiam ſuam.*
*Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſrael.*
*Viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri. Iubilate Domino omnis terra: cantate, & exultate, & pſallite. Pſallite Domino in cithara, in cithara & voce pſalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.*
*Iubilate in conſpectu regis Domini: moueatur mare & plenitudo eius: orbis terrarum, & qui habitant in eo. Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini: quoniam venit iudicare terram.*
*Iudicabit orbem terrarum in iuſtitia, & populos in æquitate.*

## Votum pro Ierusalem inſtauranda.

TV *autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generatione & generationem.* Pſal.101.
*Tu exſurgens miſereberis Sion: quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus. Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius: & terræ eius miſerebuntur. Et timebunt Gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam. Quia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria ſua. Reſpexit in orationem humilium: & non ſpreuit precem eorum. Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur, laudabit Dominum. Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cælo in terram aſpexit: Vt audiret gemitus compeditorum, vt ſolueret*

» filios interemptorum : Vt annuncient in Sion nomen Domini, & laudem
» eius in Ierusalem, In conueniendo populos in vnum, & reges vt seruiant
» Domino. Respondit ei in via virtutis suæ, Paucitatem dierum meorũ nun-
» cia mihi. Ne reuoces me in dimidio dierum meorum: in generatione & ge-
» nerationem anni tui. Initiò tu Domine terram fundasti: & opera manuum
» tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vesti-
» mentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu
» autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Filij seruorum tuorum ha-
» bitabunt: & semen eorum in seculum dirigetur.

Psal.105.44. IPSI autem exacerbauerunt eum in consilio suo: & humiliati sunt in
» iniquitatibus suis. Et vidit cùm tribularentur, & audiuit orationem eo-
» rum. Et memor fuit testamenti sui: & pœnituit eum secundùm multitudi-
» nem misericordiæ suæ. Et dedit eos in misericordias in conspectu omnium
» qui ceperant eos. Saluos nos fac Domine Deus noster, & congrega nos de
» Nationibus: Vt confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua.
» Benedictus Dominus Deus Israel à seculo & vsque in seculum: & dicet
» omnis populus, Fiat, fiat.

## Supplicatio & gratulatio seruatorum.

Ibid. 110. CONFITEBOR tibi Domine in toto corde meo: in consilio iustorum
» & congregatione. Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates
» eius. Confessio & magnificentia opus eius: & iustitia eius manet in secu-
» lum seculi. Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator
» Dominus: escam dedit timentibus se. Memor erit in seculum testamenti
» sui, virtutem operum suorum annunciabit populo suo: Vt det illis hæredita-
» tem Gentium: opera manuum eius veritas & iudicium. Fidelia omnia man-
» data eius: confirmata in seculum seculi, facta in veritate & æquitate.
» Redemptionem misit populo suo: mandauit in æternum testamentũ suum.
» Sanctum & terribile nomen eius: initium sapientiæ timor Domini.
» Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in secu-
» lum seculi.

## Gratulatio.

Ibid. 116. LAVDATE Dominum omnes Gentes [ad benedictionis communio-
» nem vocatæ] laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos
» misericordia eius, & veritas Domini manet in æternum.

Ibid. 117. IMPVLSVS euersus sum vt caderem: & Dominus suscepit me.
» Fortitudo mea & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.
» Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum. Dextera Domini
» fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtu-
» tem. Non moriar, sed viuam: & narrabo opera Domini. Castigans
» castigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Aperite mihi portas
» iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intra-
bunt

*bunt in eam. Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in* «
*salutem. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput* «
*anguli. A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.* «
*Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* «
*O Domine saluum me fac, ô Domine bene prosperare: benedictus qui ve-* «
*nit in nomine Domini. Benediximus vobis de domo Domini: Deus Do-* «
*minus & illuxit nobis. Constituite diem solennem in condensis vsque ad* «
*cornu altaris. Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & ex-* «
*altabo te. Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in sa-* «
*lutem. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum mise-* «
*ricordia eius.* «

IN *conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut conso-* Psal. 125.
*lati. Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.* «
*Tunc dicent inter Gentes, Magnificauit Dominus facere cum eis.* «
*Magnificauit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.* «
*Conuerte Domine captiuitatem nostram, sicut torrens in Austro.* «
*Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant &* «
*flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione,* «
*portantes manipulos suos.* «

## Tranquillitas & felicitas noui seculi.

ECCE *quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum:* Psal. 132.
*Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* «
*Quod descendit in oram vestimenti eius: sicut ros Hermon qui descen-* «
*dit in montem Sion. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem,* «
*& vitam vsque in seculum.* «

LAVDATE *Dominum, quoniam bonus est psalmus Deo nostro: sit iu-* Psal 146.
*cunda decoráq; laudatio. Aedificans Ierusalem Dominus, dispersiones Is-* «
*raelis congregabit. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* «
*Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocans.* «
*Magnus Dominus noster, & magna virtus eius: & sapientiæ eius non est* «
*numerus Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores vs-* «
*que ad terram. Præcinite Domino in confessione: psallite Deo nostro in ci-* «
*thara: Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam. Qui produ-* «
*cit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum. Qui dat iumen-* «
*tis escam ipsorum: & pullis coruorum inuocantibus eum. Non in fortitu-* «
*dine equi voluntatem habebit: neque in tibiis viri beneplacitum erit ei.* «
*Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant su-* «
*per misericordia eius.* «

*Atque huiusmodi felicem ætatem sibi præcognitam, & vnius Dei virtute & efficientia constituram, genti suæ maturari & confirmari primus ille bonus rex poposcisse obseruatur. Scio Deus meus quòd probes corda, & simpli-* 1 Paral. 29.

» citatem diligas, vnde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa
» hæc: & populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi of-
» ferre donaria. Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel patrum nostro-
» rum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & semper in ve-
» nerationem tui mens ista permaneat.

# LIBER SEPTIMVS.

# DE SALVTIS PVBLICÆ MATVRATIONE, APPARATV, ET NVNCIATIONE.

## De salutis publicæ maturatione & oportunitate. CAPVT I.



ROMISSORVM Dei quamquam hominibus magna constiterat vis, purum tamen & æquum ac simplex, quale oportuerat esse, iudicium demum requisitum est; hoc efficiente humani animi feminea portione illa, quæ cum diuina effata omnia ad potiorem partem, id est, interiorem hominem æstimanda transmittere conferreq; debuisset, ipsa sibi suo modo ac modulo ingenioq; proprio examinanda ac definienda arrogauit, & tractanda, atque in vsum proprium conuertenda constituit: neque aliter marito quàm vt sibi vsurpauerat, vel discutienda, vel excipienda concessit. quo in vitio antiquum nimirum illud suum obtinuit, de quo à primis mundi experimentis scriptum est: Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescẽdum,

Genesis 3. » & pulchrum oculis, adspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, &
» comedit, deditq; viro suo, qui comedit.

Et quidem legis vaticiniorumq; doctrina ac disciplina omnis gemino constabat capite: altero, quo bonorum statueretur finis; altero verò, quo via ac ratio ad illum reperiendum finem instrueretur. Prioris capitis summa omnis interioris hominis instaurationem, ornamentum, & amplificationem continebat: quam cùm nemo homo sibi conficere valeret, Dei vnius virtute effectum iri, credere, ac sperare par fuit. Posterioris verò ratio in quadam vitæ probitate, legis præceptis & institutis præscripta, quam pœnitentiã dicimus, constituebatur. Vtrumque autẽ cum interiore homine præcipuè communicatum collatúmque, atque ex eiusdem sententia initum & præstitum oportuit, sicut decretum scriptumq; fuerat: Sub potestate viri eris, & ipse

Ibidem. » dominabitur tui. Verùm enimuero vtriusque partis res rationesq; omnes non ex viri iudicio, sed suo ipsius consilio atque vsu metita feminea hominis pars perperam constituit. Quippe bonorum finem beatitatis quidem nomine com-

*commendatum accepit: quid verò beatitas esset, cùm nesciret, cognoscere ac « describere se posse iactabat: & quamquam frui Deo esse diceret, quisnam « Deus, quidve esset, quo pacto obtinendus & habendus, planè ignorans, mul- « tis rebus ac nominibus & imaginibus à Deo diuinaq; natura ac virtute « alienißimis cõfingebat, regnum quoddam sibi somnians terrenum volupta- « tis, atque ambitiosæ abundans gloriæ; quo vbi diutius vsi essent homines, « postea in deliciarum paradisum vel cælum aliumq; beatum locum translati, « requiem obtinerent perpetuam, ac memoriam famamq; sui posteris laudan- « dam commendandamq; relinquerent. Atque hæc demum omnia non tam « diuini beneficij authoritate, quàm sua ipsorum operâ & industria, ex legis « tamen præscripto ponenda, obtentum sese ire sperabant: id quod grauibus as- « siduisq; disputationibus veritatis diuinæ assertores Apostoli redarguunt. « Quid ergo dicemus? quòd Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehen-* Rom 9. *derunt iustitiam, iustitiam autem quæ ex fide est; Israel autem sectando le- « gem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed « quasi ex operibus. offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptũ est: « Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petrã scandali: & omnis qui cre- « dit in eum, non confundetur. &, Testimoniũ enim perhibeo illis quòd æmu-* Ibid. 10. *lationem Dei habent, sed non secundùm scientiam. Ignorantes enim iusti- « tiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Atq; « iustitiam hoc loco breuiter eam animi dignitatem esse dicimus, quam vbi as-* De pœnitentia siue sanctitate carnis. *secutus obtinuerit homo, Deo non modò reconciliatus, verùm charus atque filij nomine & gratia auctus, & diuini regni hæres euadit. S.S.E. Ipse enim* Ibid. 8. *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd simus filij Dei. si autẽ filij, « & hæredes; hæredes quidem Dei, &c. Huiusmodi itaque bonorum vmbras « humana sapientia, feminea, inquam, illa hominum industria, quæ pro vero « bonorum fine appeteret, capesseret, attamen nunquam obtineret, sibi confin- « xerat, persuaserat, ac mendosè promiserat. «*

*Nec verò meliùs aut consultiùs de veri boni quærendi ac inueniendi ratione & modo statuerat, nec eam instituerat viam, quam vnicã, simplicem, ac rectam diuina Sapientia demonstratam acceperat, quod arctiorem illam quidem, & in arduo, verùm tuto loco stratã cognouerat, eam videlicet viam quam sibi optandam atque diligenter obseruandam susceperat Vates. Legem* Psal. 118. *pone mihi Domine viam iustificationum tuarum: & exquirã eam semper. « Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: & custodiam illam in toto « corde meo. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. « Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiã. Auerte oculos meos « ne videam vanitatem: in via tua viuifica me. Et ne auferas de ore meo ver- « bum veritatis vsquequaque: quia in iudiciis tuis supersperaui. «*

*Atqui ab huiusmodi seria legis cognitione, meditatione, atque exercitatione desciscens humana industria, ipsa sibi sanctitatis quandam formam concinnauit, specie magis & externo ornatu ac fuco atque habitu & gestu hu-*

*manis oculis spectabilem, quàm vera & solida pietatis virtute Deo probandam, iis nimirum legis posthabitis præceptis, quæ internos animi motus, & honesto aduersos impetus compescere, sedare, & corrigere tenderent; iis verò quæ externum cultum ac ritum adornabant, atque interiorum virtutū signa quædam & rudia simulacra erant, ad fastum, ambitionem, ostentationemq́ susceptis & procuratis, atque adeò pro summæ religionis virtute non modò homini obiectis, verùm Deo ipsi venditatis: cuiusmodi ieiunia, sacrificia, vestimenta, cibaria, & magnifica ac sumptuosa ædificia, aliaq́ omnia illis seculis vsurpata, quæ cùm sola, ac præter significationis virtutem tractarentur, Deo, cuius præcipuus cultus in animo consistit, fastidiosa magis quàm grata euasere. S. S. E. Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ. Quò mihi multitudo victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum. holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui. Cùm veneritis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atriis meis? ne afferatis vltrà sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & sabbathum, & festiuitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri: calendas vestras & solennitates vestras odiuit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. Et cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam. manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite peruersè agere, discite benefacere: quærite iudiciū, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd si nolueritis, & me ad iracūdiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos: quia os Domini locutum est. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mixtum est aqua. Principes tui infideles, socij furum. omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, causa viduæ non ingreditur ad illos.*

Isaiæ 58. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Me etenim de die in diē quærunt, & scire vias meas volunt: quasi gens quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui nō dereliquerit: rogant me iudicia iustitiæ; appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non adspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce, in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce, ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affli-*

*affligere hominem animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? numquid istud vocabis ieiunium & diem acceptabilem Domino? Nónne hoc est magis ieiunium quòd elegi? dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panẽ tuum, & egenos vagosq́ induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adsum. si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest. Cùm effuderis esurienti animam tuam, & animã afflictam repleueris: orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erũt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. Et ædificabuntur in te deserta seculorum, fundamenta generationis & generationis suscitabis: & vocaberis ædificator sepium, auertens semitas in quietem. Si auerteris à sabbatho pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris sabbathum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaueris eum dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem: Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. os enim Domini locutum est.*

*Quamquam itaque Dei veritas humano generi legis atque vatum testimonio ostensa, quamquam etiam voluntas declarata ac denunciata fuisset; tamen vtriusque rei vsus vel dimissus ac turbatus, vel perperam captus, & ad inanem speciem in abusum plerumque translatus est.*

*Namque ex duabus partibus, in quas hominum genus post latam promulgatamq́ legem diducebatur, altera in crassis ignorationis occultata & circumfusa tenebris habitare non destitit, à veriq́ Dei cognitione & religione abalienata, vel pro diis mendacia, & meras sectata nugas, vitæ, officiorum, atque humanitatis formam variam, peruersam, atque barbaram & inconstantem sibi effingebat; altera verò lucis quidem, hoc est, legis doctrinæq́ diuinæ cognitionem sese habere iactans, vitæ tamen ac virtutis veræ iter vel non rectiùs quàm altera instituebat, iisdem nimirum corrupta vitiis, & palàm impurè ac prophanè agens, vel solidioribus atq́ maioribus legis præceptis posthabitis, quadam pietatis fucata imagine, ostentationis aut quæstus causa philosophabatur, idq́ non rationibus modò à se excogitatis, verùm doctrinæ atque institutionis diuinæ, vel humanæ etiam traditionis à Deo (vt prætexebat) deriuatæ nomine & professione, cum summa notantium aut improbantium pernicie, tuebatur ac propugnabat. Atque vtrarumque huiusmodi partium ac factionum censura cùm sæpe aliàs repetitur, tum breuiter ac dilucidè apud Apostolum obseruatur: Et sicut non probauerunt Deum habere in noti-* Rom. 1.

» notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum: vt faciant ea quæ non con-
» ueniunt: repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia,
» plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detra-
» ctores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum,
» parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque
» fœdere, sine misericordia. Atque hæc quidem alterius hominum partis de-
Rom. 1. scriptio notatioq; est: Alterius verò illa: Qui, cùm iustitiā Dei cognouissent,
» non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: nō solùm qui
Ibid. 2. ea faciunt, sed etiā qui consentiunt facientibus. Propter quod inexcusabilis
» es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterū, te ipsum cōdemnas,
» ea enim agis quæ iudicas. Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundùm
» veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc, ô homo qui iudicas
» eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias
» benignitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quo-
» niam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duri-
» tiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuela-
» tionis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera eius. iis qui-
» dem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem & incor-
» ruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui sunt ex contentione, &
» qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.
» Tribulatio & angustia in omnem animam operantis malū, Iudæi primùm
» & Græci: gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo pri-
» mùm & Græco. non enim est acceptio personarum apud Deum. Quicun-
» que enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt; & quicunque in lege pec-
» cauerunt, per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud
» Deum, sed factores legis iustificabuntur. Ita demum verißima & explora-
tißima illa magni Vatis constitit sententia:

Psal. 13. Dominus de cælo prospexit super filios hominū: vt videat si est intelligens,
» aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non
» est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Adeò vt neque ij qui diuinam
ex Deoq; acceptam iactabant legem (quod ad veram & solidam pietatem at-
tinet) quamquam notitiam præferrent meliorem, tamen sanctiorem & in-
culpabilem vitæ consuetudinem Deo probarent, tantùm autem se legis luce
Galat. 3. magis notatos & redargutos ostenderent. Lex ergo aduersus promissa Dei?
» Absit. Si enim data esset lex quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia,
» sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promißio ex fide Iesu Christi
Rom. 5. daretur credentibus. Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum
» intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit,
» in quo omnes peccauerunt. Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo:
» peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset. Sed regnauit mors ab
» Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem
Galat. 3. præuaricationis Adæ, qui est forma futuri. Quid igitur lex? Propter
trans-

*transgreßiones posita est; donec veniret semen cui promiserat, ordinata per* "
*Angelos in manu mediatoris. Mediator autem vnius non est, Deus autem* "
*vnus est.* "

## De instructione, vnctione, & veritate ministri, & expiatoris publici, humanæque salutis Pontif. Max. CAP. II.

DVM quem *diuinarum legum scriptor ac minister interpres'que Moyses publicæ salutis causa à Deo promissum exspectandumq; hominibus definierat, compluribus argumentis atq; signis descriptum, attentè ac diligenter spectandum in terris, spectatum verò demum cognoscendum, & cognitum studiosè suscipiendum cæteri vates descripsere, & commendauere. Atque horum signorũ summa ratio tribus nominibus complebatur: vno quidem, prodigiorum ac miraculorum ad humanæ vitæ vtilitatem edendorum tum multitudine, tum verò magnitudine, quæ diuinam planè virtutem efficacitatemq; probarent, bonitatem quoque & benignitatem supremam testata declararent: altero verò, summæ veritatis in docenda atque explicanda Dei voluntate ac doctrina, nec non libertatis & constantiæ ad verum sacrorum scriptorum sensum referendæ: tertiò autem ipsius diuini legati admirandæ, & nullis vnquam aliis exemplis comparabilis integritatis, modestiæ atque fidei & innocentiæ, atque adeò stupendæ fortitudinis & clementiæ in rependendis pro maledicto benedictionibus, pro ingrati animi dolis & calũniis beneficentia & gratia reponenda, ac tandem in propria vita pro suorum etiam inimicorũ salute & cõmodis impendenda.*

*Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Dicite pusillanimis, Confortamini, & nolite timere. ecce Deus vester vltionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine. Et quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. In cubilibus in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami & iunci. Et erit ibi semita & via, & via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita vt stulti non errent per eam. Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam, nec inuenietur ibi; & ambulabunt qui liberati fuerint.* Isaiæ 35.

*Ecce seruus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum, iudicium Gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris: calamũ quassatum non conteret, & linum fumigans non exstinguet: in veritate educet iudicium. Non erit tristis, neque turbulẽtus, donec ponat in terra iudicium: & legem eius insulæ exspectabunt.* Ibid. 42.

 *Egre-*

Esaiæ 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum spiritus timoris Domini. non secundùm visionem oculorum iudicabit, neque secundùm auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ: & percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.*

Ibid. 61. *Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit Dominus me: ad annunciandum mansuetis misit me, & vt mederer contritis corde, & prædicarē captiuis indulgentiam, & clausis apertionem: Vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro: Vt consolarer omnes lugentes: Vt ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris: & vocabuntur in ea Fortes iustitiæ, Plantatio Domini ad glorificandum.*

*His vaticiniis & aliis, quæ plurima in hanc eandem rem sunt, ac sibi constant, eum, qui à Deo hominum seruator mittendus fuerat, tamquam ponderibus certissimis examinatum Vates decantauerunt.*

*Igitur quo temporum humanarumq́ rerum articulo diuina prouidentia tantam rem expediendam decreuerat, oportunissimè maturauit. Cùm videlicet omni terrarum orbi summa pacis & otij tranquillitas esset, externo rerum imperio ad Romanos, atque adeò ad vnum Cæsarem Augustum relato; ita quidquid vbique gentium rari exempli ederetur, Romanis ipsis principibus, atque adeò nationibus aliis notum esse potuit, nullis belli tumultibus huiusmodi notitiam interturbantibus. Quamobrem duo insignes diuini consilij ministri adornati sunt, duobus nominibus illustres: alter quidē, qui prior in terris natus, magnusq́ habitus fuit, Iohannes ex diuino oraculo dictus: alter verò, qui posterior aliquanto apud homines ortus, natura tamen ac virtute priori longissimè præstitit, Iesus vocatus, & cognomento appellatus Christus. Vtrumque nomen ita concinnatū fuit, vt Iohannis gratiam, Iesu verò salutē significaret, eoq́ pacto diuinæ misericordiæ publicè humano generi præstandæ, non ex debito aliquo, non ex hominum dignitate, sed ex mera Dei liberalitate, iam adesse oportunitatem arcano consilio præfinitam, atque hanc gratiæ denunciationem ipsum salutis veræ donum e vestigio consecuturum. Atque vt eius, qui salutis author promissus fuerat, veritas, virtus, & efficientia multis nominibus per Vates complures decantata fuerat: sic etiam alterius, qui hanc salutem prænunciaturus vt præco, atque adeò vt testis indicaturus erat, partes & actiones non ab vno tantùm Vate & prædictæ palàm, & literarum monumentis ad temporum adnotationem fuere consignatæ.* Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.*

Ange-

*Angelum testamẽti appellatum diuina Sapientia voluit eum, qui nouũ cum hominum genere fœdus feriturus, sæpius etiam fuerat prædictus, quemadmodum prioris fœderis nuncius ac minister Moyses declaratus fuit. Quantum verò inter vtrumque fœdus interesset, iam in iis, qui præcessere, libris significabamus, planiùs etiam & pleniùs oportuno posthac loco, idq́ ex Dei, à quo hæc omnia nobis contigere, beneficio edißerturi.*

*Atqui Angelum illum siue nuncium, cuius præconio ac testimonio orbis terrarum seruatorem publicum hominibus primò contestatum atque indicatum Deus voluit, sacræ & grauißimæ authoritatis atque fidei ornamentis ab ipsis vsque hominis nasciturі initiis obseruandum ac spectandũ exhibuit, à seniore patre, matre vetula ac sterili genitum, idq́ cælestis nuncio Spiritus patri declaratum, ac matri ipsi insinuatum priùs, deinde etiam admirando exemplo præstitum, cum spectantium stupore & exspectatione maxima de infante ipso edito, quẽ tam rara, tanta, totq́ miracula præcesserint, & comitata, ac demum consecuta fuerint: quorum narrationem, ab ipso diuini Spiritus ministro ex veri cognitione & communione perceptam, audire operæpretium fuerit.*

FVIT *in diebus Herodis Regis Iudææ sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia: & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela, & non erat illis filius: eo quòd esset Elizabeth sterilis, & ambo processißent in diebus suis. Factũ est autem: cùm sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundùm consuetudinem sacerdotij, sorte exiit vt incensum poneret ingressus in templum Dñi: & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autẽ illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est, videns: & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus, Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Iohannem: & erit gaudiũ tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebũt. erit enim magnus coram Domino: & vinum & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ: & multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum: & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ: vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam. Et dixit Zacharias ad Angelum, Vnde hoc sciam? ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. Et respondens Angelus dixit ei, Ego sum Gabriel qui asto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. Et ecce, eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem quo hæc fiant: pro eo quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. Et erat plebs exspectans Zachariam: & mirabantur quòd tardaret in templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerunt quòd visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens* Lucæ 1.

 illis,

» *illis, & permansit mutus. Et factum est: vt impleti sunt dies officij eius, abiit*
» *in domum suam. post hos autem dies concepit Elizabeth vxor eius: & occul-*
» *tabat se mensibus quinque, dicens: Quia sic fecit mihi Dominus in diebus*
» *quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. In mense autem*
» *sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen*
» *Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo*
» *Dauid: & nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus, ad eam dixit: Aue*
» *gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audis-*
» *set, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait*
» *Angelus ei, Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. ecce con-*
» *cipies in vtero, & paries filium: & vocabis nomen eius Iesum. hic erit ma-*
» *gnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Da-*
» *uid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius nō erit*
» *finis. Dixit autem Maria ad Angelum, Quomodo fiet istud? quoniam virum*
» *non cognosco. Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet*
» *in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideo & quod nascetur ex te San-*
» *ctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit*
» *filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi quæ vocatur sterilis: quia*
» *non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria, Ecce*
» *ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et discessit ab illa An-*
» *gelus. Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festina-*
» *tione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Eli-*
» *zabeth. Et factum est: vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit*
» *infans in vtero eius: & repleta est Spiritu sancto Elizabeth: & exclamauit*
» *voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus*
» *vētris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim*
» *vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans*
» *in vtero meo. & beata quæ credidit, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt*
» *ei à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum: & exul-*
» *tauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem an-*
» *cillæ suæ. ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*
» *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.*
» *Et misericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum.*
» *Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.*
» *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit*
» *bonis: & diuites dimisit inanes. Suscepit Israel puerum suum, recordatus*
» *misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini*
» *eius in secula. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus: & re-*
» *uersa est in domum suam. Elizabeth autem impletum est tempus pariendi,*
» *& peperit filium. Et audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit*
» *Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum*
» *est: in die octauo venerunt circuncidere puerum, & vocabant eum nomine*
*patris*

*patris sui, Zachariam. Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam, sed vo- " cabitur Iohannes. Et dixerunt ad illam, Quia nemo est in cognatione tua " qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius, quẽ vellet vocari eum. " Et postulans pugillarem, scripsit, dicens: Iohannes est nomen eius. Et mirati " sunt vniuersi. Apertum est autem ilico os eius, & lingua eius, & loqueba- " tur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: & " super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc: & posuerũt " omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Ete- " nim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius repletus est Spi- " ritu sancto: & prophetauit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel: " quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis " nobis, in domo Dauid pueri sui: Sicut locutus est per os sanctorum, qui à " seculo sunt, Prophetarum eius: Salutem ex inimicis nostris, & de manu " eorum qui oderunt nos: Ad faciendam misericordiam cum patribus no- " stris: & memorari testamenti sui sancti: Iusiurandum quod iurauit ad " Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, Vt sine timore de manu " inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi In sanctitate & iustitia " coram ipso, omnibus diebus nostris. Et tu puer, Propheta Altißimi vocabe- " ris: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius: Ad dandam scien- " tiam salutis plebi eius, in remißionem peccatorum eorum, Per viscera mi- " sericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto, Illuminare " his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros " in viam pacis. Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat " in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel. "*

# De Seruatoris publici declarata præsentia.

## CAPVT III.

PRÆCONIS *futuri admirabilitatem ipse salutis author, sexto pòst mense in terris editus, plurimis ac longè admirabilioribus exemplis præiuit: cum primis ex matre virgine, sine viri hominis operâ, sed diuini Spiritus virtute genitus, illæsa parientis pudicitia natus; Patre Deo verus Deus, matre puella integerrima verus homo, constans vtroque nomine, & quo Deus, & quo homo, idem vnusq; iure dictus est, Dei Filius appellatus, noua prorsus, & huic vni constanti duplici natura, quæ & humanam infirmitudinem, atque adeò mortalitatem, & quidquid homini tribui potest (peccato excepto) ferret, idemq; diuinam prorsus vim, efficacitatem, & immortalitatem, vtpote propriam & æternam, teneret. Talem enim ac tantum, tam sublimem & immensum, tam humilem & infirmum exstare oportuit eum, qui sese vno authore, conciliatore, & efficace maxima paruis, summa imis, suprema infimis coniuncturus, distantiamq; ac dißidentiam inter cælestia ac terrestria in vnam concordiam &*

Galat. 4. *communicationem compositurus erat. S. S. E. Cùm essemus paruuli, sub ele-*
*» mentis mundi eramus seruientes. At vbi venit plenitudo temporis, misit*
*» Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege*
Hebr. 2. *erant, redimeret; vt adoptionem filiorum reciperemus. Decebat enim eum,*
*» propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam addu-*
*» xerat, authorem salutis eorum per passionem consummare. Qui enim san-*
*» ctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes.*

*Atque hanc nouam, vnicam, admirabilemq́ maximè rem orbi omni terrarum, atque vtriusque partis hominum, tam eorum qui ex diuina doctrina, quàm eorum qui ex humana sapientia priuatas ac publicas res gerere profitebantur, statim ab initio indicatam, notam, contestatam, consignatamq́ esse Deus voluit; ita vt nulla hominum conditio esset, quæ sese testimonij expertem huius, cùm ad veritatis examen deuentum esset, causari posset, non Scriba, legisq́ peritus arcanæ, non sapiens, & inquisitor huius mundi, qui alio nomine Magus vocatur, non senes, non iuuenes, non feminæ etiam prouectioris ætatis, nõ deniq́ vel ruri & in siluis agens pastor. Hæc omnia quemadmodũ cõparata & explicata fuerint, ex sacra historia plenè intelligemus.*

Lucæ 2. *Factum est autem, in diebus illis exiit edictum à Cæsare Augusto, vt de-*
*» scriberetur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima, facta est à præside Syriæ*
*» Cyrino, Et ibant omnes vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem. Ascen-*
*» dit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam, ciuitatem*
*» Dauid quæ vocatur Beth-lehem: eo quòd esset de domo & familia Dauid, vt*
*» profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem,*
*» cùm essent ibi, impleti sunt dies vt pareret. Et peperit filium suum primoge-*
*» nitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat*
*» eis locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & cu-*
*» stodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce, Angelus Domini ste-*
*» tit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore ma-*
*» gno. Et dixit illis Angelus, Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gau-*
*» dium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator*
*» qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum, Inuenie-*
*» tis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Et subitò facta est*
*» cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, & dicentium,*
*» Gloria in altißimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et fa-*
*» ctum est; vt discesserunt ab eis Angeli in cælum, pastores loquebantur ad in-*
*» uicem: Transeamus vsque Beth-lehem, & videamus hoc verbum quod fa-*
*» ctum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes: & inue-*
*» nerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes au-*
*» tem, cognouerunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui*
*» audierunt, mirati sunt: & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria*
*» autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt*
*» pastores, glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant, & vi-*
*derant,*

*derant, ſicut dictum eſt ad illos. Et poſtquam conſummati ſunt dies octo vt circuncideretur puer: vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo priùs quàm in vtero conciperetur. Et poſtquã impleti ſunt dies purgationis eius ſecundùm legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino, (ſicut ſcriptum eſt in lege Domini, Quia omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur.) & vt darent hoſtiam ſecundùm quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce: homo erat in Ieruſalẽ, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus, & timoratus, exſpectans conſolationem Iſrael: & Spiritus ſanctus erat in eo. Et reſponſum acceperat à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini. Et venit in ſpiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo: & ipſe accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, Quod paraſti ante faciem omnium populorum: Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael. Et erat pater eius & mater mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius, Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetiſſa, filia Phanuel, de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua. Et hæc vidua vſque ad annos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die. Et hæc, ipſa hora ſuperueniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus qui exſpectabant redemptionem Iſrael. Et vt perfecerunt omnia ſecundùm legem Domini, reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatem ſuam Nazareth. Puer autem creſcebat, & confortabatur; plenus ſapientia, & gratia Dei erat in illo.*

## Hominum varia iudicia in ſalutis authore excipiendo. CAP. IV.

PROMISSVM antea ac diu exſpectatum miniſtrum illum Dei, *qui libertatem ac ſalutem terrarum orbi pariturus effecturusq́; erat, iam exhibitum, atque adeò præſentem, iÿ, quorum cauſa in mundum venerat, non vno eodem animo ac modo, vti oportuerat, ſed pro vario humani ingeniÿ conſilio atque ſtudio aliÿ aliter excipiunt.*

*Atqui, vt ab initio huius operis edocebamur, in ternas potiſſimùm partes diductum viuit. Primæ ac perexiguæ eorum, qui, quamquam Adami filÿ ſint (vt reapſe tum ipſi, tum cæteri ſunt omnes, tam qui ſub lege degunt, quàm quibus ignota eſt lex) tamen ipſi ſuæ infirmitudinis conſciÿ, ex diuinæ clemen-*

*clementiæ ac misericordiæ fide atque spe vitam agunt simplicē ac modestam, pietatemq́, quatenus præstare possunt, colunt, atque salutis propriæ beneficium à Deo postulant, & morum atque animorum sinceritatem, consuetudinisq́ innocentiam & integritatem accuratè & studiosè tueri conantur. Atque (vt rei summam exemplo exhibeamus) Abeli personam referunt, qui tertius in orbe terrarum editus homo, simplicitatis & probitatis probatum Deo exemplar fuit.*

*Secundæ verò partes ab iis aguntur, quos proprij tantùm commodi cura & cupiditas ad vim faciendam, iniuriamq́ aliis palàm inferendam, præcipites agit. Quo in genere fraudes etiam atque doli ponuntur: namque his ministris potentia sæpissimè vti solet. Hi verò manifestè sese proceros formidabilesq́ gerunt. Cuius gregis ac notæ priscos illos ante diluuium gigātes vocitatos fuisse, atq́ horum matres hominum filias appellatas accepimus.*

*Tertias demum partes illi ferunt, qui à vera simplicitate & modestia desciscentes, rem, commoditatem, gloriamq́ omnem, atque adeò salutis prætextæ rationem non ex diuino consilio ac præscripto, sed ex proprij ingenij inuento & calliditate instituunt, actionumq́ suarum spectatores homines in primis theatri subselliis ponunt, à quibus & plausum, & præmia captant, in postremis verò Deum collocandum curant, in cuius tamen gratiam ludos & spectacula, omnemq́ agendi apparatum præbere sese profitentur.*

*Atque vtrumque genus istud, cui secundas tertiasq́ adnotauimus, ab illo secundo mundi cultore & parricida Caino familiæ, sectæ, disciplinæq́ suæ originem ducere iam animaduertimus. Ille enim fraudem & vim palàm factam, in malitia intelligentiæ simulationem, & vanam virtutis imitationem, pro sui cōmodi atq́ vsus oportunitate, propriis exemplis primus docuit.*

*Atqui secundarum partium studiosi facie quidem terribiles ac magis horrendi sunt, vtpote qui rusticitatem, feritatem, atque immanitatē vultu præferant, & maiestatis ac potentiæ fulgore mortales oculos præstringere cupiant: verùm eo minùs nocentes habentur, quo apertiùs agunt, maximè dum proprias vires palàm iactant & exercent. Alij verò nequiores & infestiores multo, longéque magis importuni, propterea quòd animum non minùs quàm superiorum superbum & arrogantem seueritate vultus atque habitus & incessus, sermonisq́ grauitate celant, & simulandi ac dissimulandi calliditate stannum pro argento, orichalcum pro auro, terram pro cælo proponere ac venditare valent, ad eamq́ rem, consilij, curæ, & studij plurimum coniunctis operis conferunt, & tantum etiam adhibent doctrinæ ac dissertationis, quantum ad tutandam communem authoritatem satis esse ducunt; idque non ex vera ac legitima ratione & scientia, sed ex priuata interpretatione, sententiarum numero potiùs quàm pondere fulta, in medium proferunt: quamquam aliàs ipsi in varias sectas & factiones diducti, pro sua quisque & re & gloria secum inuicem occultis dissideant odiis, & aperta sæpius oratione actioneq́ contendant. Atque isti omnes tantum arte consequi & efficere*

*cere valent, vt non modò simpliciores, quos despiciūt, in seruitutem adstringant, sed potentiores illos & ferociores morem sibi gerere, obsequioq́; adesse, artium suarum calliditate, & ingenij solertia, atque industriæ dexteritate cogant. Quippe qui se priuatarum ac publicarum rerum omnium peritos, ac totius vitæ duces & instructores esse aliis omnibus persuadeant, rationemq́; tenere profiteantur, qua bonum malo, malum bono, turpe honesto, curuum recto, sine veritatis periculo mutari poßit: id verò nullis præterea aliis quàm sibi suisque constare gregibus, à quibus cæteri postulare & emere poßint ac debeant.*

*Atqui iudicij Dei ponderibus vtriusque partis examinata causa nihil solidi, veri, ac diuini, nihil verè humani habere deprehensa est, atque adeò suo vtrauis modo ad mortalis huius vitæ existimata cōmoda, & ad gloriolæ apud homines etiam captandæ fructum tendere iudicata, auaritiæ atque ambitionis spiritu, seu potiùs vento impelli, & variis procellis æstuationibusq́; obnoxia perpetuò sursum, deorsum, antrorsum, ac retrorsum agi, & pro tempestatum vi identidem verti ac mutari, nec vnquam tranquillum ac tutum salutis & quietis inuenire portum. Hunc adeò vtriusque factionis rerū statum esse, nominibus quidem splendidum, maiestatis ac potentiæ alterum, alterum verò sapientiæ & sanctimoniæ; faciem verò dißimilem vtriusque videri: prioris quidem propriam, apertam, & simpliciter feram ac terribilem, ideoq́; magis ingenuam, vtpote minùs fallentem; posterioris autem non propriam, sed honestatis ac seueritatis persona indutam, accuratißimeq́; ornatam, sese in suis agendis partibus solertißimè exercentem, ob eamq́; rem hypocritarum nomine à Dei sapientiâ sæpius vocitatam.*

*Igitur cùm primùm diuinum Verbum propter carnis humanæ salutem caro factum in terris exstitit, ab hominibus, quorum causa venerat, variè exceptum est: nam simpliciores quidē, cùm rudiores, tum verò ij qui sapientiæ studio non ad ambitionem, sed ad suam ipsorum & communem vtilitatem vacabant, simpliciter ingenueq́; atque piè iam præsentem gratulati salutauere, cum magna exspectatione salutaris efficacitatis ex diuina misericordia & liberalitate iam iam dono atque vsu ipso ostendendæ, & piis omnibus probandæ. Cuius officij exempla præbuere pastores primùm gens rusticior, simplicis tamen apertæq́; mentis: Deinde verò cultioris vitæ homines, pietatis veræ candore insignes, quos Dei Spiritus veritatis præsentis certiores fecit: Tertij demum Magi, hoc est, qui sapientiæ studium ad diuina inquirenda contulerāt. De quibus huiusmodi à Spiritu sancto testimonia scripta legimus: Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce, Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus, Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum, Inuenietis infantem pannis* Lucæ 2.

» nis inuolutum, & positum in præsepio. Et subitò facta est cum Angelo
» multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in
» altissimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum
» est: vt discesserunt ab eis Angeli in cælum, pastores loquebantur ad in-
» uicem: Transeamus vsque Beth-lehem, & videamus hoc verbum quod fa-
» ctum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes: & inue-
» nerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes au-
» tem, cognouerunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui
» audierunt, mirati sunt: & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria
» autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt
» pastores, glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant, & vi-
» derant, sicut dictum est ad illos. Et postquam consummati sunt dies octo vt
» circuncideretur puer: vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab
» Angelo priùs quàm in vtero conciperetur. Et postquā impleti sunt dies pur-
» gationis eius secundùm legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt siste-
» rent eum Domino, (sicut scriptum est in lege Domini, Quia omne mascu-
» linum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.) & vt darent ho-
» stiam secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos
» pullos columbarum. Et ecce: homo erat in Ierusalē, cui nomen Simeon, & ho-
» mo iste iustus, & timoratus, exspectans consolationem Israel: & Spiritus
» sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se
» mortem, nisi priùs videret Christum Domini. Et venit in spiritu in tem-
» plum. Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secun-
» dùm consuetudinem legis pro eo: & ipse accepit eum in vlnas suas, & bene-
» dixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm
» verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum, Quod
» parasti ante faciem omnium populorum: Lumen ad reuelationem Gentium,
» & gloriam plebis tuæ Israel. Et erat pater eius & mater mirantes super
» his quæ dicebantur de illo: Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam ma-
» trem eius, Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in
» Israel, & in signum cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit
» gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna pro-
» phetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, &
» vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua vsque
» ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo, ieiuniis & ob-
» secrationibus seruiens nocte ac die. Et hæc, ipsa hora superueniens, con-
» fitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redem-
» ptionem Israel.

Matth. 2. Cùm ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis Regis:
» Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus
» est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus cum
» muneribus adorare eum.

Atque

*Atque simpliciorum magisq; apertorum Abelisq; simillimorum hominum sensus ac mens ita erga diuinam bonitatem & voluntatem sese exhibuerũt. Verùm enimuero duæ illæ aliæ, quas notauimus, variis quidem itineribus in idem tendentes humani sensus factiones, quamquã pro suo vtraque more multo aliter egere. Quippe certiores facti præsentiæ eius quem terrarum expectabat orbis, à Deo tam sæpius promissum, alteri, qui vi & imperio rerum potiebantur, veriti ne maioris potentiæ vi loco pellerentur, periculum ferro præuertendum sibi simpliciter decreuerunt. Idq; quo minore cum incommodo fieret, taciturnitate ac dissimulatione cogitandum primò, deinde etiam aperta manu vlciscendum arbitrati sunt.*

*Ii autem qui astu, industria, & sapientiæ ac sanctitatis simulatione suas comparabant res, attentione atque obseruatione primùm agendum censuerunt, quoad, quidnam maximè sibi expediret, cognoscerent, & cognitũ exsequerentur: vtrosque enim Regis nomen commouit; sed alteri, id potentiam, maiestatem ac tyrannidem arbitrati, quamprimum auertendum duxere; alteri verò, existimantes regni splendorem sibi ipsis & authoritate, & vtilitati fortasse futurum, partibusq; fauturum suis, in quámnam partem demum vergeret, animaduertendum censuere, & interim pro calliditatis ac solertiæ suæ ratione sese vel neutrarum esse partium ostendere studuere, vel ab ea quæ tunc rerum facies erat, sese minimè desciscentes alienatosq; præferre: interim enim deliberandi sibiq; consulendi non occasionem modò, sed maturum tempus datum iri sperabant.*

*Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Et congregans omnes Principes sacerdotum & Scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei, in Bethlehem Iudæ. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquã minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populum meũ Israel. Tunc Herodes, clàm vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tẽpus stellæ quæ apparuit eis: & mittens illos in Bethlehem dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Qui cùm audissent Regem, abierunt. & ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret suprà, vbi erat puer. Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerũt eum: & apertis thesauris suis, obtulerunt illi munera, aurum, thus, & myrrham. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Qui cùm recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum: & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendũ eum. Qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte: & secessit in Aegyptum: & erat ibi vsque ad obitum Herodis: vt adimpleretur quod dictum est à* Math. 2.

» *Domino per Prophetam dicentem, Ex Aegypto vocaui filium meum. Tunc*
» *Herodes, videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens*
» *occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à*
» *bimatu & infrà, secundùm tempus quod exquisierat à Magis. Tunc adim-*
» *pletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam, dicentem: Vox in Ra-*
» *ma audita est, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, &*
» *noluit consolari, quia non sunt.*

*Atqui insanire quidem potest carnis humanæ potentia, sæuitiam quoque ac feritatem aliquando exserere & ostendere suam, nimirum in innocentiæ atque mansuetudinis diuinæ postrema membra sese immaniter gerendo: ipsam verò innocentiam & mansuetudinem perdere non potest, sed eatenus laboribus, fuga, exiliisq; exercere, quatenus & pati & exerceri diuina prouidentia permiserit, & hoc pacto efficitur vt ipsa crescat augeaturq;, & ad ætatis firmitudinem prouehatur, interim verò feritas consiliis votisq; irritis quidquid aduersus innocentiam molita fuerit, in suum ipsius exitiũ euasisse demum sentiat. S. S. E. Ipsum conteret caput tuum, & tu insidiaberis* (Genesis 3.)
» *calcaneo eius. Namque Herodes quidquid ad perdendum puerum commentus machinatusq; fuerat, in instruendis tantùm arcani corporis calcaneo insidiis consumpsit, atque hoc pacto sese morti damnationiq; prodidit. De-* (Matth 2.)
» *functo autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Iosephin*
» *Aegypto, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram*
» *Israel: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui consurgens,*
» *accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Israel. Audiens autem*
» *quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire: &*
» *admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et veniens habitauit in ci-*
» *uitate quæ vocatur Nazareth: vt adimpleretur quod dictum est per Prophe-*
» *tas: Quoniam Nazaræus vocabitur.*

*Neque verò Verbum ipsum caro factum vllo temporis momento maxima & incomparabilis virtutis indole iis, quibus oportuit, probanda cessat, sed vltra ætatis vsum & exemplum interdum prudentiæ, probitatis, ac pietatis admirabile specimen apud carnis sapientiam & sanctitatem exhibet: seseq; ad maxima & præstantissima planeq; diuina editum docet, nulli interim grauis aut molestus, importunus nemini; iis verò apud quos educabatur, matri, inquam, ac cæteris secundùm carnem propinquis, omni pio atq; honesto obsequio & officio libenter morigeratus: quippe qui venerat, non vt faceret voluntatem suam, sed eius voluntatem Patris à quo missus, delegatus, in-* (Ioan.6.)
*structusq; fuerat. cuius voluntas & pietatem erga Deum summã, & summam erga homines beneuolentiam, integritatem, & commodam facilitatem postulat. Sicut scriptum est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* (Lucæ 10.)
» *tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum*
» *sicut te ipsum. Namque ad huius voluntatis normam sese gerendi, vitamq; omnem ad extremum vsque comparandi disciplinam & ipse in se suscepit, &*

*& iis, quos instruendos curabat, oratione atque exemplo plenissimè tradidit. Puer autem crescebat, & cōfortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat* Lucæ 2.
*in illo. Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem, in die solenni* "
*Paschæ. Et cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis in Iero-* "
*solymam secundùm consuetudinem diei festi, consummatisq́ diebus, cùm* "
*redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem: & non cognouerunt parentes* "
*eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & re-* "
*quirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regreßi sunt in* "
*Ierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum inuenerunt illum* "
*in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem* "
*eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis* "
*eius. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum, Fili, quid feci-* "
*sti nobis sic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos,* "
*Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt,* "
*oportet me esse? Et ipsi non intellexerant verbum quod locutus est ad eos. Et* "
*descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis. Et mater eius* "
*conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia &* "
*ætate & gratia apud Deum & homines.* "

## De Indicis Nomenclatorisque munere & officio. CAP. V.

MAXIMA *illa à Deo promissa hominibus dona sæpius prædictum est iis tantùm facienda, qui & piè pureq́ crederent, & obsequio, hoc est, virtutis veræ, iamq́ definitæ studiis intenti accipiēda expeterent & curarent; sine hoc idem per omnem antea vitæ cursum egissent, siue etiam erroris humani vitiis prius palantes, diuino monitu reuocati resipiscerent, & à vitiis abhorrentes, animos moresq́ ex præscripta norma emendatos Deo probarēt. Hæc enim diuini pacti lex iam inde à principio stabilita, omniumVatum responsis per cunctas hominum ætates confirmata fuerat: nam quisquis hanc respueret conditionem, credendi videlicet diuinis effatis, atque præceptis obtemperandi pro tempore datis, eum à salutis publicæ communione exclusum iri, identidem denunciatum fuerat.*

*Atque diuina misericordia & prouidentia, quæ omnes homines saluos fieri semper optauit & voluit, ne nulla vnquam parte non satis superq́ fecisse, iure existimari posset, perpetuò prospiciens consuluit, aßiduis Vatibus ac Doctoribus allegandis, interdum frequentibus, nonnunquam etiam rarioribus, vt temporum postulabat vsus. In ipsa verò salutis iam missæ ac præsentis oportunitate celeberrimum (sicuti Vates futurum prænunciarant) destinauit ministrum, illum, inquam, Zachariæ & Helisabtehæ seniorum parentum filium, ab ipsis nascendi initiis clarum, & publicè spectatum; qui spe-*

 *rato*

*rato exspectatoq́ multis antea seculis regi, & regno iam iam comparandæ viam muniret, ediceretq́ ea semoueri omnia, quæcunque tanto excipiendo bono moram impedimentúmve inferre possent, hoc est, fidem & pœnitentiam hominibus propriæ salutis cupidis indiceret & suaderet; idem etiam testis esset veritatis à Deo iam præstitæ, ac maximi omnium promissi, vsu ipso propediem exsoluendi.*

*Hunc autem nuncium sibi Deus comparauit, iis omnibus instructum partibus, quæ legitimum ac verum legatũ ornare, & testem veritatis integrum nulla exceptione excludendum probare possent, hoc est, fide, sedulitate, ac diligentia ad peragendum munus, officiumq́ faciendũ: ad hæc etiam suiipsius rerumq́ suarum ita negligentem, vt neque ille victum quidem, neque vestimentum ab hominibus, quorũ causa missus allegatusq́ erat, neque quicquam præterea commodi quæreret aut admitteret; rursus verò laboris & incõmodi nihil, atque adeò nec vincula, nec mortem horreret aut recusaret, quo minùs demandatas sibi parteis summa constantia atque integritate perageret, vtpote qui sese non sibi, sed Regis venturi seruituti & obsequiis natum, atque publicæ hominum salutis studio addictum, diuiniq́ consilij simplicem & veracem integrumq́ ministrum intelligeret & profiteretur, denique eam repræsentaret personam, quam grauissimus ac seuerissimus Vates Elias apud*
Malach. 4. *principes & populos quondam sustinuerat. S. S. E. Ecce, ego mittam vobis*
» *Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis: &*
» *conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorũ ad patres eorum, ne fortè ve-*
» *niam, & percutiam terram anathemate. Id quod ita præstiturum diuinus*
Lucæ 1. *nuncius patri sacerdoti (vti superiùs recitauimus) declarauerat: Et ipse præ-*
» *cedet ante illum in Spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in fi-*
» *lios, & incredulos ad prudentiam iustorum: parare Domino plebem perfe-*
*ctam. Hic autem quemadmodum natus educatusq́ fuerit, nouimus; qui, vti à Deo ad certam rem certumq́ tempus delectus, nihil cum hominibus consuetudinis aut societatis coluit, quinimo ab his remotus, priuatam & solitariam agebat ætatem, opportunitatem muneris à se obeundi Deo, cui sese dicatum*
Ibidem. *gerebat, permittens. Puer autem crescebat & confortabatur spiritu, eratq́ in*
Ioan. 1. *desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israël. Fuit homo missus à Deo,*
» *cui nomen erat Iohannes: hic venit in testimonium, vt testimonium perhi-*
» *beret de lumine. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine*
» *[Verbo Dei homine facto] qui erat lux vera, quæ illuminat omnem homi-*
» *nem venientem in hunc mundum.*

*Atque hic diuinus nuncius præter testimonij fidem, quam sincerissimam præstitit, legationis etiam suæ in terris munus liberè ac diligenter exercuit, nulla hominum conditione excepta, quam suarum non admoneret partium, non principum, non populi, non publicanorum, non militum; maximè verò eos qui sapientiam sanctitatemq́ profitebantur & iactabant, singularibus ac seuerissimis actionibus interdum redarguens notabat, & ad communem*

cum aliis sui ipsorum cognitionem & correctionem hortabatur, vtpote quos propter sanctitatis opinionem, & sapientiæ nomen difficiliores, & proprij consilij pertinaciores experiretur.

Anno autem quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituræ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna & Caipha: factum est verbum Domini super Iohannem Zachariæ filium, in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum: sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. omnis vallis implebitur: & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa: & aspera in vias planas, & videbit omnis caro salutare Dei. Dicebat ergo ad turbas quæ exibant vt baptizarentur ab ipso, Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. & ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quia potēs est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonū, excidetur, & in ignem mittetur. Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis, Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. Venerunt autem & publicani vt baptizarentur, & dixerunt ad illum, Magister, quid faciemus? At ille dixit ad eos, Nihil amplius, quàm quod constitutum est vobis, faciatis. Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis, Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris. Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Iohanne, ne fortè ipse esset Christus: respondit Iohannes, dicens omnibus, Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam: & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem cōburet igni inextinguibili. Multa quidem & alia exhortans, euangelizabat populo. Lucæ 3.

Iohannes testimonium perhibet de ipso, & clamat, dicens: Hic erat quem dixi, Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Et hoc est testimonium Iohannis, quando miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad eum, vt interrogarent eum, Tu quis es? Et confessus est, & non negauit: & confessus est, Quia non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum, Quid ergo? Elias es tu? Et dixit, Non sum. Propheta es tu? Et respondit, Non. Dixerunt ergo ei, Quis es, vt responsum demus his Iohan. 1.

qui

„ *qui miserunt nos? quid dicis de te ipso? Ait, Ego vox clamantis in deserto,*
„ *Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta. Et qui missi fuerant,*
„ *erant de Pharisæis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo ba-*
„ *ptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Respondit eis Io-*
„ *hannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrûm stetit quem vos*
„ *nescitis. Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego*
„ *non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti. Hæc in Bethania fa-*
„ *cta sunt trans Iordanem, vbi erat Iohannes baptizans. Altera die vidit Io-*
„ *hannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata*
„ *mundi. Hic est de quo dixi, Post me venit vir, qui ante me factus est: quia*
„ *prior me erat. & ego nesciebam eum: sed vt manifestetur in Israel, propter-*
„ *ea veni ego in aqua baptizans. Et testimonium perhibuit Iohannes, dicens:*
„ *Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit su-*
„ *per eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi*
„ *dixit, Super quem videris Spiritum descendentem, & manentē super eum,*
„ *hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi: & testimonium perhibui*
„ *quia hic est Filius Dei. Altera die iterum stabat Iohannes, & ex discipulis*
„ *eius duo. Et respiciens Iesum ambulantem, dicit, Ecce agnus Dei. Et audie-*
„ *runt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum.*

## De manifestatione Iesu Christi, & boni nuncij ministerio. CAP. VI.



*VAMQVAM verò maximus ille, omniumq́ hominum longè præstantissimus vir, quem Iesum ab Angelo primùm Dei, deinde à matre nominatum intelleximus, & sua ipsius, qua homo erat, natura & virtute inter mortales primas iure teneret; & altera, qua Verbum idemq́ Deus erat, nullis legibus, nullis obligationibus obnoxius, nullis conditionibus, aut mortalium cæterorum moribus adstrictus esset, vtpote qui vti Deus immortalis, liber, atque omnium Princeps ac Dominus erat, vt homo verò ab omni peccato & vitio prorsus immunis, virtutumq́ omnium maximè compos: tamen eodem consilio atque studio quo se se iam inde ab initio humanarum rerum instauratorem & amplificatorem, probante Patre ac Spiritu sancto, constituerat, modestissimum & obsequentissimum, atque adeò humillimum per omne ætatis tempus præbuit. quippe qui ea quæ tum Luciferi superbia, calliditate, & arrogantia, tum parentis primi Adami insolentia perierant bona, hoc est, honoris atque gloriæ verum decus hoc modo atque habitu summa cū dignitate sibi atque suis restitutum iri cognouerat. Quamobrem non quis ipse erat, sed quam personam acturus venerat, perpetuò considerauit, eamq́ ad extremum vsque sine vlla conditionis exceptione plenissimè, aptissimè, ac libentissimè gessit; ita vt nihil ipse de se*

*se vlla in re, vllóve tempore, præter humilitatem, obedientiam, modestiam, tolerantiam, mansuetudinem, & abstinentiam, denique meram seruitutem profiteretur: dumq́; Dei Patris honori, & hominum vtilitati curam operamq́; impenderet, nullam proprij commodi, nullam suæ dignitatis & æstimationis rationem habuit: atque ab illatarum sibi iniuriarum vltione & vindicatione tantum abfuit, vt potiùs maledicta & malefacta aduersum se hominum, maximis, aßiduis, & repetitis beneficiis ac benedictionibus rependeret. Id quod nobis hoc loci significatum, in omni rerum, quæ ab illo gestæ, actæ, & perlatæ narrantur, exemplo ac genere obseruatum constiterit. Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu: qui cùm in forma Dei esset,* Philip. 2.
*non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit,* "
*formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu in-* "
*uentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem,* "
*mortem autem crucis.* "

*Ex hoc autem animo, consilio, ac more effectum est, vt numquam idem de se magnificum quicquam iactaret; nec aliud sibi nomen vsurparet nisi hominis filium; neque nunquam legi, in qua natus homo fuerat, satisfaceret, non modò interno ac vero absolutoq́; cultu, sed externo quoque ritu ac more. Misit, inquit Paulus, Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub* Galat. 2.
*lege. Quamobrem antequam idem à Iohanne Baptista cognitus agnus Dei indicaretur, hominis modestißimi atque humillimi specie & habitu, perinde vt cæteri homines, aquis intingi lauariq́; voluit, vt qui authoritatis dignitatisq́; suæ testimonium nec vltro sibi arrogaret, nec palàm postularet, sed ei, à quo missus erat, Patri declarandum permitteret; atque ita nihil humanæ sapientiæ & contentionis proteruitas, quod sibi obiiceret, habere posset. Semper enim illud verißimum aduersariis respondere solitus est: Ego non quæro* Iohan. 8.
*gloriam meam; est qui quærat, & iudicet. Si ego perhibeo testimonium de* "
*meipso, testimonium meum non est verum. alius est qui testimonium perhi-* "
*bet de me: & scio quia verum est testimonium eius, quod perhibet de me. Vos* "
*misistis ad Iohannem: & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non* "
*ab homine testimonium accipio: sed hæc dico vobis vt salui sitis. Ille erat lu-* "
*cerna ardens & lucens, vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.* "
*Ego autem habeo testimonium maius Iohanne.* "

*Atqui Iohannes ex responso sibi à Deo dato agnitum fuisse Dei Filium declarauit; ita, inquam, agnitum, vt publicè testari ac indicare, officij iam sui esse intelligeret: cui quemadmodum ratio hæc & cognitio contigerit, sacer narrat historicus: Tunc venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Iohannem,* Math 3.
*vt baptizaretur ab eo. Iohannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te de-* "
*beo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Iesus, dixit ei, Sine mo-* "
*do: sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum. Bapti-* "
*zatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua. Et ecce, aperti sunt ei cæli,* "
*& vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbã, & venientem super se.* "

„ *Et eccevox de cælis dicēs, Hic est Filius meus dilectus,in quo mihi cõplacui.*

*Nec verò tantæ dignitatis amplitudinisq; præconio ornatus ille Iesus à susceptæ modestiæ humilitatisq; vsu & exemplo,atque à serui forma & persona sese vnquam subduxit; serui,inquam, Dei, cuius fuerat appellatus Filius,atque etiam serui hominum,quorum salutem curaturus,effecturus,atque denunciaturus iuxta consilium ac voluntatem Dei venerat: adeò vt quamprimum declaratus quis esset, ipsemet audiit quod semper nouerat,& Iohannes aliiq; acceperunt , non ad hominum cœtus propriam maiestatem ostentabundus processit: quin potiùs interim dum ministeriorum susceptorum oportunitas accederet , in deserto solitarioq; loco secessum sibi diuinitus imperatum libens petiit, in quo laboris, modestiæ, patientiæ, atque perpetuæ obsecrationis spectatores habuit feras,ac demum diabolum,sese vafre callidéque cùm diffidentiam, tum vanam fiduciam , tum verò gloriæ, ambitionis, atque dominationis cupidinē multis modis suadere aggressum & conatum, summa animi constantia ac maxima sapientia redargutum superauit & pe-*
Marci 1. *pulit. Et statim Spiritus expulit eum in desertum , & erat in deserto qua-*
» *draginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana, erátque*
» *cum bestiis, & Angeli ministrabant illi.*

*Eadem verò tempestate prænuncius ille Iohannes,officio iam suo perfunctus, potentia tyrannide (cui ingenua aperta libertas mirè infensa odiosáque esse solet) occisus, de medioq; sublatus, ad eum à quo missus fuerat, ea-*
Ibid.9. *dem qua cæteri antiquiores Vates,via rediit. S.S.E. Quid ergo dicunt Pha-*
» *risæi & Scribæ, quia Eliam oportet venire primùm? Qui respondens, ait*
» *illis: Elias cùm venerit primò, restituet omnia: & quo modo scriptum est in*
» *Filium hominis,vt multa patiatur & contemnatur. Sed dico vobis quia &*
» *Elias venit (& fecerunt illi quæcunque voluerunt) sicut scriptum est de eo.*

## De duplici Christi ministerio secundùm carnem. Cap. VII.

EX *legitimis monumentis per Moysen conscriptis , atque ex cæterorum Vatum responsis ac prædictionibus,promißi Christi ministerium geminum futurū esse constabat : alterū quidem, Nuncij, Præconis , ac Vatis publicæ salutis tempus iam adesse declarantis : alterum verò Seruatoris communis hominum, cui & humani sceleris expiandi,vitiiq; tollendi,atque gratiam, vitam, & veram felicitatem restituendi,conciliandi, & conferendi partes, sapientia, prouidentia, iustitia, ac misericordia diuina dedissent.*

*Atque prius quidem vaticinandi nunciandiq; publici boni munus apud Israelitas tantùm obeundum & exercendum, singulari in illam gentem dono ac munere, diuinoq; promisso receperat: eamq; legationis partem pluribus etiam*

*etiam signis & miraculis, quàm quispiam alius Vatum, edocturus ac probaturus erat. Primus ad Sion dicet, Ecce adsum, & Ierusalem Euangelistam dabo. Eundemq́ post Eliæ, hoc est, Iohannis Baptistæ nunciationem quoque expectandum Malachias præmonuerat: Statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis; & Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.* Isaiæ 41. Malach. 3.

*Atque huiusmodi munere obeundo plus quàm vnius & alterius ac tertij quoque annorum tempus impendit Iesus Christus, quantum videlicet satis superq́ fore ad veritatem suam præstandam ac publicandam diuina prouidentia definierat. Id quod ille maxima dexteritate, diligentia, authoritate, atque assiduitate peregit, nullis laboribus parcendo, nihil proprij commodi quærendo, nihil opis atque auxilij, non solùm modestis & sese excipientibus, verùm etiam aduersariis, vbicunque opus esset, subtrahendo, nullam ab ingratis atque inimicis & inuidis illatam sibi iniuriam & contumeliã non patientissimè tolerando; quos, vti iam antea exponebamus, modestia, clementia, mansuetudine, atque etiam summa beneficentia ad suam ipsorum vtilitatem & salutem lenire, flectere, atque deducere studuit. Hoc autem hîc expositum, vt breue quoddam totius historiæ illius argumentum præfigere operæpretium fuerit, idemq́ certis sanctorum scriptorũ adstipulationibus confirmatum docere. De Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo. Verbum misit Deus filiis Israel, nuncians pacem per Iesum Christum (hic est omniũ Dominus.) Vos scitis, quod factum est verbum per vniuersam Iudæam; incipiens enim à Galilæa, post baptismum quod prædicauit Iohannes. Iesum à Nazareth quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute, qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium quæ fecit in regione Iudæorum & Ierusalem. Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum.* Lucæ 24. Actor. 10. Rom. 15.

*Posterius verò munus, cuius nunciandi causa Vates omnes antiqui ad Iohannem vsque missi fuerant, cuius etiam indicandi, docendi, atque apparandi ipse prius illud, quod diximus, apud Israelitas obierat, post alterũ peractum absoluit quoque, idq́ ad omnes orbis terrarum nationes pertinuit, vtpote à primi hominum parentis tempore omnibus gentibus promissum, & per Vates identidem confirmatum. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsum conteret caput tuum. &, In semine tuo benedicentur vniuersæ familiæ terræ. Quam rem postremus ex antiquis Vatibus, Vates, inquam, idemq́ locupletissimus testis declarauit. Altera die vidit Iohannes Iesum venientẽ ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Hic est de quo dixi, Post me venit vir qui ante me factus est, quia prior me erat. & de plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum, &c.* Genesis 3. Ibid. 15. Iohan. 1.

# Prioris ministerij Iesu Christi summa narratio. CAP. VIII.

Matth. 4. *CVM autem audisset Iesus quòd Iohannes traditus esset, secessit in Galilæam: & relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephthali, vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam; Terra Zabulon & terra Nephthali, via maris trans Iordanem Galilææ gentium: populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit Iesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum. Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis, Venite post me: & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannē fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua: & vocauit eos. Illi autem statim, relictis retibus & patre, secuti sunt eum. Et circuibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni: & sanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos: & secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Ierosolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem.*

## Doctrinæ Christi argumentum.

DISCIPLINÆ *à Christo traditæ summa omnis duo præcipua capita habere obseruatur, quorum alterum ea continet arcana admirandaq́ rerum genera, quibus regni Dei atque maximi illius diuiniq́ beneficij imago tātùm delineata & adumbrata, vt est captus hominum, ostenditur. Alterum verò ea præscribit, quæ salutis propriæ cupidum atque studiosum hominem curare, scire, ac præstare ex diuini consilij conditione ac lege oporteat.*

*Atque priorem illam diuini doni rationem nusquam vel sermone, vel scripto vllo palàm & certis ac propriis verbis humano sensu excipiendis dissertam atque expositam obseruauimus. Idq́ duabus ex causis natum apparet: altera, quòd videlicet res ipsa diuina planè, & ab omni humanarum cogitationum exemplo remotissima, atque ex consequenti sermonis humani vsum* Esaiæ 64. *& comparationē infinito & immenso interuallo sit excellens. S. S. E. A seculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te. Altera verò causa est, quòd ea quæ docenda*

*docenda proponuntur, ad eorum, qui audituri conueniunt, mentē animumq́ temperare, prudentis magisterij officium semper fuerit. Atqui vario ac diuerso studio & animo huiusmodi disciplinæ adiri petiq́ solent, quorundam quidem simpliciorum, qui ad suam vtilitatem ingenuè & candidè erudiendos instruendosq́ sese permittunt; aliorum verò insidiatorum & inuidentium, qui adeò multum ingenio suo, atque humanæ sapientiæ & industriæ propriæ tribuunt, vt quidquid suis ipsorum à se definitis & quæsitis commodis aliquatenus aduersari arbitrentur, depugnare omnino parati respuant, explodant, atque collatis consiliis, compositisq́ dolis, & comparatis opibus ac viribus, funditus euertere, destruere, ac perdere studeant & moliantur. In quam factionem duæ illæ, quas antea notabamus, partes coire solent, potentia videlicet, quæ Superbia vitæ dicitur; & prudentia, sapientia, sanctitasq́ carnis, quas industriæ nomen continet.*

*Atque sapientiæ illius cælestis arcanæq́ vis, vtrorumque hominum, qua homines, id est, Adamo prognati sunt, ingenium & sensum fugiens, longè post se relinquit, quamquam diuerso interuallo ac modo: quippe simplicioribus fauens, vmbram quandam vestigiumq́ sui, qua se ament, expetant, & indagent, sequanturq́, ostendit, & spem bonam proponit copiæ sui perseuerantibus faciendæ.*

*Alteris verò, qui potentia, calliditate, & industria aguntur, prorsus inimica & aduersaria, sese inueniendi viam craßis tenebris occultat & circunfundit; conatis verò & satagentibus contumaciterq́ comprehendere molitis stultitiam, amentiam, atq́ insaniam ad suum ipsorum exitium accidere permittit. S. S. E. Pedes eorum ad malum currunt, & festinant vt effundant* Isaiæ 59.
*sanguinem innocentem: cogitationes eorum cogitationes inutiles: vastitas* "
*& contritio in viis eorum. Viam pacis nescierunt, & non est iudicium in* "
*greßibus eorum. semitæ eorum incuruatæ sunt eis: omnis qui calcat in eis,* "
*ignorat pacem. Propter hoc elongatum est iudicium à nobis, & non appre-* "
*hendet nos iustitia: exspectauimus lucem, & ecce tenebræ; splendorem, & in* "
*tenebris ambulauimus. Palpauimus, sicut cæci, parietem, & quasi absque ocu-* "
*lis attrectauimus: impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi* "
*mortui. Rugiemus quasi vrsi omnes, & quasi columbæ meditantes gememus.* "
*exspectauimus iudicium, & non est: salutem, & elongata est à nobis. Mul-* "
*tiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te, & peccata nostra responde-* "
*runt nobis: quia scelera nostra nobiscum, & iniquitates nostras cognouimus,* "
*peccare & mentiri contra Dominum: & auersi sumus ne iremus post ter-* "
*gum Dei nostri, vt loqueremur calumniam & transgreßionem: concepi-* "
*mus, & locuti sumus de corde verba mendacij. Et conuersum est retrorsum* "
*iudicium, & iustitia longè stetit: quia corruit in platea veritas, & æquitas* "
*non potuit ingredi. Et facta est veritas in obliuionem: & qui receßit à ma-* "
*lo, prædæ patuit: & vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia* "
*non est iudicium: & vidit quia non est vir: & aporiatus est, quia non est qui* "

,, occurrat: & saluauit sibi brachium suum, & iustitia eius ipsa confirmauit ,, eum. Itaque eam actionum suarum partem quæ Dei in hominibus efficientiam donumq; spectabat, omnibus quidem ordinibus atque gregibus, tam industriosiorum quàm simpliciorũ, eo modo quo excipi posse intelligebat, Christus proposuit: verùm alteris ob studium candidiùs cognoscere auentibus, pleniùs & apertiùs in loco exposuit; alteris verò vmbris & imaginibus tectam occultatamq; reliquit: neutris tamen, vtpote adhuc feminea hominis parti, in cognitionis facultate addictis, rerum ipsarum naturam vel ostendit, vel aptis & congruentibus explicuit verbis. Atque hanc partis huius adnotatam rationem subiunctis exemplis indicare consentaneum fuerit.

Matth. 13. In illo die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare. Et congregatæ sunt ,, ad eum turbæ multæ, ita vt in nauiculam ascendens sederet: & omnis turba ,, stabat in littore, & locutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit qui ,, seminat, seminare. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosa, ,, vbi non habebant terram multam: & continuò exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. sole autem orto æstuauerunt: & quia non habebant ,, radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in spinas: & creuerunt spinæ, & ,, suffocauerunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Qui habet ,, aures audiendi, audiat. Et accedentes discipuli dixerunt ei, Quare in parabolis loqueris eis? Qui respondens, ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis autem non est datum. Qui enim habet, dabitur ei, ,, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Ideo in ,, parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, ,, neque intelligunt. & adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicens, Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos ,, clauserunt: nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligãt, ,, & conuertantur, & sanem eos. Vestri autem beati oculi quia vident, & aures vestræ quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ & ,, iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, ,, & non audierunt. Vos ergo audite parabolam seminantis. Omnis qui audit ,, verbum regni & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est ,, in corde eius: hic est qui secus viam seminatus est. Qui autem super petrosa ,, seminatus est, hic est, qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud; non habet autem in se radicem, sed est temporalis. facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuò scandalizatur. Qui autem ,, seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, & solicitudo seculi istius, ,, & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. Qui ,, verò in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem

sexage-

*sexagesimum, aliud verò tricesimum. Aliam parabolam proposuit illis, di- « cens: Simile factum est regnum cælorum homini qui seminauit bonū semen « in agro suo. cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & super- « seminauit zizania in medio tritici, & abiit. Cùm autem creuisset herba, & « fructum fecisset: tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui pa- « tris familias, dixerunt ei, Domine, nônne bonum semen seminasti in agro « tuo? vnde ergo habet zizania? Et ait illis, Inimicus homo hoc fecit. Serui au- « tem dixerunt ei, Vis imus, & colligimus ea? Et ait, Non: ne fortè colligentes « zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite vtraque crescere vsque « ad messem, & in tempore messis dicam messoribus, Colligite primùm Ziza- « nia, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congrega- « te in horreum meum. Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Simile est re- « gnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo: « quod minimum quidem est omnibus seminibus: cùm autem creuerit, maius « est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in « ramis eius. Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum cælorum fer- « mento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermen- « tatum est totum. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas: & sine « parabolis non loquebatur eis: vt impleretur quod dictum erat per Prophe- « tam dicentem, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à consti- « tutione mundi. Tunc dimissis turbis venit in domum: & accesserunt ad eum « discipuli eius, dicentes, Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui re- « spondens ait illis, Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. Ager au- « tem, est mundus. Bonū verò semē, hi sunt filij regni. Zizania autē, filij sunt « nequam. Inimicus autē qui seminauit ea, est diabolus. Messis verò, consum- « matio seculi est. Messores autem, Angeli sunt. Sicut ergo colliguntur ziza- « nia, & igni comburuntur: sic erit in consummatione seculi. mittet Filius ho- « minis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui « faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & « stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui « habet aures audiendi, audiat. Simile est regnum cælorum thesauro abscondi- « to in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & « vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum simile est regnum « cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inuēta autem vna « pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Ite- « rum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere « piscium congreganti. quam, cùm impleta esset, educentes, & secus littus se- « dentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in con- « summatione seculi. exibunt Angeli, & separabūt malos de medio iustorum, « & mittent eos in caminum ignis. ibi erit fletus, & stridor dentium. Intel- « lexistis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam. Ait illis, Ideo, omnis scriba doctus in « regno cælorum, similis est homini patrifamiliâs, qui profert de thesauro sua «*

*noua*

„ *noua & vetera. Et factum est: cùm consummasset Iesus parabolas istas,*
„ *transiit inde.*

*Ac simplicioris & candidioris auditoris, suamq; salutem non ex opinione propria, sed ex virtute diuina expetentis & curantis qualis animus, cuiusmodiq; studium, quantaq; discendi cupiditas esse soleat, discipulorum interrogatio & attentio atque obseruatio indicat. Contrà verò, quæ malæ mentis, & sui ipsius amantis hominis inuidia, & cum veritate pugnantia contentioq; sit, illorum declarat oratio, qui ex ambitione, gloria, & ex cæteris vulgaribus ac popularibus opinionibus & sententiis, doctrinæ ac vitæ rationem constituunt; & quæ ipsi sibi ex vitiosa carnis disciplina pro maximis ac diuinis præsumpserunt, ea tantùm laudant, comprobant, & consuetudine moribusq; præstare student, illis reiectis & contemptis, quæ veram sapientiam cum modestia, humanitate, atque humilis animi demißione coniungunt. Huiusmodi auditorum iudicia Christi Iesu communionẽ nec velle, nec admittere, sed neque experiri posse, illa arguit narratio: Et veniens in patriam*
Matth. 13.
„ *suam, docebat eos in synagogis eorum, ita vt mirarentur, & dicerent, Vnde*
„ *huic sapientia hæc, & virtutes? Nónne hic est fabri filius? Nónne mater eius*
„ *dicitur Maria? & fratres eius, Iacobus & Ioseph, & Simon & Iudas? &*
„ *sorores eius, nónne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? Et*
„ *scandalizabantur in eo. Iesus autem dixit eis, Non est Propheta sine honore*
„ *nisi in patria sua, & in domo sua. Et non fecit ibi virtutes multas propter*
„ *incredulitatem illorum.*

# De arcanæ doctrinæ magnitudine.

## Capvt IX.

NVLLAM *aciem humani ingenij tantam esse, quæ in arcanam diuini doni lucem penetrare poßit, duobus testimoniis compertum est, dupliciq; per Iesum Christum facto periculo: altero quidem rudioris ac simplicioris mentis, & nulli priuatæ opinioni vel doctrinæ addictæ, cuiusmodi faciliùs imbuuntur ingenia: altero autem cultioris, & humana sapientia pollentis, atque diuinis etiam mysteriis, quibus homines ab aliis hominibus initiantur, informatæ, prorsusq; à dolo & simulatione inuidentiaq; alienæ: siquidem vtramque, quamquam cupidam attentamq;, cùm aliquando Christus docere cœpisset, ad arcana illa tamen hebetiorem esse declarauit, propter interioris hominis infirmitudinem, quãquam & hunc femineæ partis operâ instruere tentasset, rerũ, quæ sensibus capiuntur, similitudinibus & imaginibus disciplinæ causa obiiciendis, atque etiam indicandis legis ac Vatum locis & oraculis, ad eius, qui literas profitebatur, instructionem. Atque experimenti vtriusque tum in eruditiore, tum verò in rudiore ingenio constantis historiam adscribere non pigebit.*

*Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum.* Ioan. 3.
*Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister; nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Iesus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus, Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterum introire & nasci? Respondit Iesus, Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo. Spiritus vbi vult spirat: & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, & quò vadat: sic est omnis qui natus est ex Spiritu. Respondit Nicodemus, & dixit ei, Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus, & dixit ei, Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo si dixero vobis cælestia, credetis? Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat; sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credidit in nomine vnigeniti Filij Dei. Hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.*

*Vt ergo cognouit Iesus quia audierunt Pharisæi quòd Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quàm Iohannes, (quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam. oportebat autem eum transire per Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sichar: iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autẽ ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontẽ. Hora erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus, Da mihi bibere. Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coũtuntur Iudæi Samaritanis. Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Dicit ei mulier, Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: vnde ergo habes aquam viuam? Numquid tu maior es patre nostro Iacob,* Ibid. 4.

» *qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Re-*
» *spondit Iesus, & dixit ei, Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui au-*
» *tem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quã ego*
» *dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternã. Dicit ad eum mulier,*
» *Domine, da mihi hanc aquam, vt non sitiam: neque veniam huc haurire.*
» *Dicit ei Iesus, Vade, voca virum tuum, & veni huc. Respondit mulier, &*
» *dixit, Non habeo virum. Dicit ei Iesus, Bene dixisti, quia non habeo virum.*
» *quinque enim viros habuisti. & nunc quem habes, non est tuus vir. hoc verè*
» *dixisti. Dicit ei mulier, Domine, video quia Propheta es tu. Patres nostri in*
» *monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus vbi adorare*
» *oportet. Dicit ei Iesus, Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in*
» *monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nesci-*
» *tis: nos adoramus quòd scimus, quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora, &*
» *nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.*
» *Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: &, eos qui*
» *adorant eũ, in spiritu & veritate oportet adorare. Dicit ei mulier, Scio, quia*
» *Messias venit, (qui dicitur Christus): cùm ergo venerit, ille nobis annun-*
» *ciabit omnia. Dicit ei Iesus, Ego sum qui loquor tecum.*

# De altera doctrinæ Iesu Christi parte.

## CAPVT X.

LEGATIONIS *Iesu Christi summam duobus omnino capitibus confici indicabamus: altero boni nuncij veritatis & constantiæ promissorum Dei atque doctrinæ de salute publica humani generis, quatenus hominum videlicet capere posset ingenium: altero verò earum partium, quæ à propriæ salutis expetentibus hominibus curandæ ac præstandæ diuinæ sapientiæ decreto exigebantur. Ac de priore quidem capite, quæ in præsentiarum satis fore videbantur, tractauimus; de posteriore autem nunc porrò deinceps agendum.*

*Atqui diuinum Verbum, cuius sapientia & authoritate antiqua omnis doctrina constiterat, vt suapte natura simplex, æternum, ab omniq; mutatione & varietate semotum prorsus est: ita cùm in terris sese conspiciendum, spectandum, audiendumq; vltro præbuit, nihil omnino de antiquæ disciplinæ veritate mutauit, nisi quantum eadem præcepta & instituta luculentiùs & planiùs repetita, atque ab arcanis verbis ad familiarem magis deducta sermonem, pleniùs & exactiùs obseruanda, & studio ac moribus præstanda exegit; & ad rudissimorum quoque ingenium & facultatem attemperata, communiter tenenda, & singulariter agenda imperauit.*

*Huius verò capitis duæ præcipuæ sunt partes: anterior quæ* Fides *dicitur, & posterior quæ* Obsequium *siue* Pœnitentia, *nominatur. vtriusque verò nos iam pluribus in locis meminimus. Atque fidem effatis ac promissis*

quon-

*quondam diuinis postulatam, ad boni nuncij à se suisq; sociis & administris allati præsens tempus accommodandam exigebat: quippe qui pollicitationum omnium finem iam ipsa veritatis ac iustitiæ Dei constantia & vsura propediem perfectum iri prædicens obtestaretur. Pœnitentiam verò cùm semper aliàs, tum hoc maximè tempore non modò vsui fore, sed necessariam esse asseuerabat; quæ videlicet animos hominum ad maxima excipienda Dei munera præpararet, à caducarũ rerum cupidine & contagione ad æternarũ, spiritualium, ac planè diuinarum amorem, studium, & fructũ traductos. Hoc itaque doctrinæ huius initium fuit, quod à Iohanne illo prænũcio, eiusdemq; sapientiæ ministro, fuerat inchoatum. Postquam autem traditus est Iohannes, venit Iesus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei: Pœnitemini, & credite Euangelio. Et circuibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnẽ languorem in populo. Et abiit opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos: & secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Ierosolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem.* Marci 1. Matth. 4.

*Ad magisterij autem doctrinæq; tum authoritatem, tum communicationem, beneficiorum ac miraculorum facultas & copia plurimum illa tempestate faciebat: tum ob alia plurima, tum præcipuè quòd illius doctrina vis, quæ externis beneficiis tanquam signis quibusdam sese commendabat, maximam ad sanandos animos vim & efficacitatem habere crederetur, atq; hoc pacto maximè expetenda & suscipienda prædicaretur. Huiusmodi namque rectè animaduertentium & obseruantium sententia increscebat. Et mirati sunt omnes, ita vt conquirerent inter se, dicentes: Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc noua? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei.* Marci 1.

*Atque doctrina omnis, quam de pœnitentia Iesus Christus tradebat, in tres partes distributa est: Ex quibus prima ad cognitionem sui ipsius hominem aduocat: Secunda bonorum & malorum discrimen tenendum docet: Tertia, ad veram ac seriam malorum detestationem & fugam, atque ad diligens bonorum studium hortatur. In cognitione verò sui ipsius illa constitutio ponitur, quam hominis natura primùm à Conditore suo acceperat, adprimè rectam & sui compotem, secum & cum sociis rectè agere, beneq; viuere valentem, modò suum ordinem suumq; locum tueri & seruare delectaret. Non legistis, inquit, quia qui fecit ab initio, masculum & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniũxit, homo non separet. Quæ sententia tametsi in viri & vxoris causa pro tempore dicta fuit à Christo, eadem tamen ad primum* Matth. 19.

mum humani generis quietum ac tranquillum rectumq́ statum cognoscendum, contemplantium & obseruantium mentes impellit. Deinde verò ab illa prima sui conditione degenerantem hominem ad durißimam & abiectißimam seruitutem traductum, doctrina Christi notabat; atque ex consequenti, domo, gratia, familiaritateq́ Dei abdicatum arguebat; neque alio pacto in libertatem posse asseri docebat, quàm Filij veri Dei interuentu, procuratione, & operâ: idq́ ex duorum in Abrahami domo natorum imagine & exemplo ostensum; quorum alter, quòd non ex promisso ac fide datus fuisset, liberi ius non obtinuit; alter verò, qui ex fide in Deum parentibus contigerat, & filius & hæres dictus, familiæ nomen ad posteritatem propagauit.

Iohan. 8. Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderant ei, Iudæos: Si vos manseritis in
» sermone meo, verè discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatem, & veritas
» liberabit vos. Responderunt ei, Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiui-
» mus vnquam: quomodo tu dicis, Liberi eritis? Respondit eis Iesus, Amen,
» amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. seruus au-
» tem non potest manere in domo in æternum: filius manet in æternum. Si
» ergo vos Filius liberauerit, verè liberi eritis.

Ex hoc verò fonte secunda Christianæ doctrinæ pars deriuata est, quæ bonorum pariter ac malorum naturas distinguit, solumq́ ea dicit bona, quæ animorum pietatem & virtutem veram spectant; mala verò contrà ea omnia vel quæ vitiosa ipsa sunt, ab honesto diuersa; vel quæ vitij fouendi causa appetuntur, quamquam hæc non ex natura, sed ex abusu & hominum culpa ad malorum nomen & crimen trahuntur. Prioris generis quæcunque vel singulares hominum mores corruptos produnt, vel ipsorũ inter se hominum societatem communionemq́ lædunt. Omnia verò hæc ad vnam referri formam amoris proprij, siue priuatarum studij rerũ, quod vnicum antiqui Serpentis illius infestißimum atque maximè pestiferũ caput est. Ille enim, cùm mendax ab initio fuerit, mendacij, fallaciæ, fraudis, omnisq́ malæ mentis author & suasor hominibus permanet. Hæc, inquam, propria atque prima esse mala, quorum veneno vita omnis humana corrumpatur. Posterioris verò generis quædam esse, quæ vitæ putantur adiumenta, cùm tamen ob humanum vitium impedimenta plerumque magis quàm adiumenta esse euincantur, vt diuitiæ, opes, & vulgares ac populares honores, quibus omnibus non tã pietas ac virtus mera, quàm auaritia, & ambitio, luxuriesq́ promouẽtur: quæ teterrimi humani animi letalesq́ morbi sunt: quibus etiã adscribitur nimia & immoderata filiorum & propinquorum cura ad singularem & priuatam causam, cum aliorum quoque contemptione & incommodo pertinens; vnde simultates, contentiones, & cetera manifesta mala connectuntur. Cætera verò quæ non propriè ex animo proficiscuntur, vel animũ subeunt, neq́ si adsint, in bonorum censu numeranda esse; neque, si desint, malorum aut vitiorum culpæve partibus adscribenda: quamquam ex humanæ industriæ documentis vel laudem vel vituperationem existimentur promereri. Gerere hæc

hæc quidem personatam quandam pietatis vel impietatis formam, non tamen à diuina Sapientia, sed ab humana sapientiæ simulatione impositam, ideòque notatione & auersione dignã. Tunc accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? non enim lauant manus suas cùm panem manducant. Ipse autem respondens, ait illis, Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit, Honora patrem & matrem; &, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Quicunque dixerit patri vel matri, Munus quodcunque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum aut matrẽ suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite & intelligite. Non quod intrat in os coinquinat hominẽ: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei: Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt? At ille respondens ait, Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur. Sinite illos: cæci sunt, duces cæcorum. cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Respondens autem Petrus dixit ei, Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit, Adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem. Matth. 15. " " " " " " " " " " " " " " " " " " " " " "

Quæ verò ad diuitiarum & opum honorumq́ æstimationem & appetitionem pertinent, ea multis diserta modis & ratione & experimento cuiusmodi eos, qui possideant, reddant, aliis atque aliis in locis in hanc sententiam exponebat Christus. Semen quod seminatum est in spinis, hic est qui verbum audit, & solicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. Homo quidam fecit cænam magnam, & vocauit multos. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei, Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam; rogo te habe me excusatum. Et alter dixit, Iuga boum emi quinque, & eo probare illa; rogo te habe me excusatum. Et alius dixit, Vxorem duxi, & ideo non possum venire. Et reuersus seruus, nunciauit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamiliâs, dixit seruo suo, Exi citò in plateas & vicos ciuitatis: & pauperes ac debiles & cæcos & claudos introduc huc. Et ait seruus, Domine, factum est vt imperasti: & adhuc locus est. Et ait dominus seruo, Exi in vias & sepes: & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illo- Matth. 13. Lucæ 14, 16. " " " " " " " " " " "

Lucæ 12. illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. Videte & cauete ab omni
» auaritia: quia, non in abundantia, cuiusquam vita eius est, ex his quæ possi-
» det. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiusdam diuitis
» huberes fructus ager attulit. & cogitabat intra se dicẽs: Quid faciam, quia
» non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, Destruam
» horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mi-
» hi, & bona mea, & dicam animæ meæ, Anima, habes multa bona posita
» in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus,
» Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erũt?
Ibid.6. Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues. Væ vobis diuitibus,
» qui habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurie-
» tis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Væ cùm benedixerint
» vobis omnes homines, secundùm enim hæc faciebant pseudoprophetis patres
Matth.20. eorum. Scitis, quia principes Gentium dominantur eorum; & qui maio-
» res sunt, potestatem exercent inter eos. Non ita erit inter vos: sed quicũque
» voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos
» primus esse, erit vester seruus. Sicut Filius hominis non venit ministrari,
» sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.

Porrò quæ ad externam & spectabilem sanctimoniam siue pietatis cul-turam & significationem apparantur, eadem bifariam distribuebat: quædam vt nudè ac simpliciter antiquis legibus præscripta, quæ ad imaginem vel vmbram potiùs verorum instituta docens, paulo pòst veritati concessura prædixit, atque finem habitura luce iam præsente, vmbrasq́ omnes antiquas discutiente, atque adeò minora obscurante lumina. Alia verò hominum ingenio & industria prioribus ad fastum adiuncta, vel vltro excogitata & inuenta, tradita, atque obseruata. Neutra autem post veritatis præsentiam vtilia fore præmonens, immo quædam ex illis propter gloriolæ studium, quam affectare censebantur, vana prorsus & incommoda iudicioq́ diuino reiicienda ac damnanda. Atque de priore genere illæ aliæq́ complures sententia præceptionesq́ dictæ.

Ioan.4. Dicit ei mulier, Domine, video quia Propheta es tu. Pa-
» tres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ierosolymis est lo-
» cus vbi adorare oportet. Dicit ei Iesus, Mulier, crede mihi, quia venit hora,
» quando nec in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem. Vos ad-
» oratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. Sed
» venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiri-
» tu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est
» Deus, &, eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. &,
Marci 2. Sabbathum propter hominem factum est, & non homo propter sabbathum.
» Itaque Dominus est Filius hominis, etiam sabbathi.

Posterius verò externæ sanctimoniæ rerum genus, quod in nuda ac ieiuna
Lucæ 12. specie consumitur, ita Christus notare solet: Attendite à fermento Pharisæo-
» rum quod est hypocrisis. Nihil autem opertum est, quod non reueletur: & nihil

*nihil secretum, quod non sciatur. Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. à fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus; & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos: discedite à me qui operamini iniquitatem.* Matth.7.

*Irritum fecistis mandatū Dei propter traditionem vestram. Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: Scis quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalizati sunt? At ille respondens, ait: Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Ibid.15.

*Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua; vt sit eleemosyna tua in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus. amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuū in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Orantes autem, nolite multū loqui, sicut ethnici: putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester, &c.* Ibid.6.

*Tunc Iesus locutus est ad turbas & ad discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolūt ea mouere. Omnia autem opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus est enim magister vester,* Ibid.23.

» *vester, omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super*
» *terram: vnus est enim Pater vester qui in cælis est. Nec vocemini magistri:*
» *quia magister vester vnus est, Christus. Qui maior est vestrûm, erit mini-*
» *ster vester. Qui autē se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit,*
» *exaltabitur. Væ autē vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia clauditis re-*
» *gnum cælorum ante homines. vos enim non intratis: neque introeuntes si-*
» *nitis intrare. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia comeditis domos*
» *viduarum, orationes longas orantes. propter hoc amplius accipietis iudicium.*
» *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia circuitis mare & aridam, vt*
» *faciatis vnum proselytum: & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehen-*
» *næ duplo quàm vos. Væ vobis duces cæci, qui dicitis, Quicunque iurauerit*
» *per templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debet. Stulti &*
» *cæci, quid enim maius est, aurum, an templum quod sanctificat aurum? Et*
» *quicunque iurauerit in altari, nihil est: quicunque autem iurauerit in dono*
» *quod est super illud, debet. Cæci, quid enim maius est, donum, an altare quod*
» *sanctificat donum? Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus quæ*
» *super illud sunt: & quicunque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo qui*
» *habitat in ipso: & qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet*
» *super eum. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia decimatis mentam*
» *& anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium,*
» *& misericordiam, & fidem. hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces*
» *cæci, excolantes culicem, camelum autē glutientes. Væ vobis Scribæ & Pha-*
» *risæi hypocritæ: quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis: intus*
» *autem pleni estis rapina & immūditia. Pharisæe cæce, munda priùs quod in-*
» *tus est calicis & paropsidis, vt fiat id, quod deforis est, mundum. Væ vobis*
» *Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à*
» *foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum,*
» *& omni spurcitia, sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti, intus*
» *autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.*

*Atque tertia doctrinæ Iesu Christi pars, quæ pœnitentiam siue vitæ ac morum informationem parabat, distinctionem præcipit cùm personæ eius quam discipulus sustineat, tum verò eorum apud quos personæ partes agendæ fuerint: qui duo tantùm sunt, Deus videlicet atque homo. Deo autem pietatem cum primis deberi tanquam supremo authori, seruatori, ac Domino omniū, bonorumq; fini vltimo: Pietatem verò interno præcipuè cultu præstari, atque animi simplicissimo, plenissimo, absolutissimoq; studio, & perpetua mentis & votorum cogitationumq; omnium dedicatione, ad hæc etiam commendatione sui ipsius, confessioneq; integra maximorum beneficiorum ex diuinæ prouidentiæ ac misericordiæ benignitate acceptorum, sine vlla de se ipso egregiæ cuiusquam virtutis opinione aut præceptione. Id verò cùm nemo Adami filius, qua parte patrem illum suum imitatur ac refert, exactè agere atque repræsentare possit, ad misericordiæ & clemētiæ diuinæ magnitudi-*

*tudinem confugiendum, & virtutis promissæ gratiam precibus assiduis appellandã inculcabat. Atque hoc pacto & veram legis præstandæ rationem docebat, & quod in hac parte cuique deesset, cognoscere, & cognitum summis votis postulare monebat. Pharisæi autem audientes quòd silentium imposuisset Sadducæis, cõuenerunt in vnum, & interrogauit eum vnus ex eis legis doctor tentans eum, Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare & non deficere, dicens: Iudex quidam erat in quadam ciuitate qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur: Vidua autem quædã erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de aduersario meo. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor; tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me. Ait autem Dominus, Audite quid iudex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte; & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum.*

Matth. 22. Marci 12. Lucæ 18.

*Quis vestrũm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi, Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum: & ille deintus respondens dicat, Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi. Et si ille perseuerauerit pulsans: dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis, Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem, nũquid lapidem dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum: numquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis pater vester de cælo dabit Spiritum bonum petentibus se. Erant autem appropinquantes ei publicani & peccatores vt audirent illum. Et murmurabant Pharisæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam, dicens: Quis ex vobis homo qui habet centum oues: & si perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: & veniens domum, conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat? Dico vobis quòd ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem: si perdiderit drachmam vnam, nónne accendit lu-*

Lucæ 11. Ibidem 15.

» cernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat? & cùm
» inuenerit, cõuocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia in-
» ueni drachmam quam perdideram? Ita, dico vobis, gaudium erit coram An-
» gelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Ait autem, Homo qui-
» dam habuit duos filios: & dixit adolescentior ex illis patri, Pater, da mihi
» portionem substantiæ quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam. Et non
» post multos dies, congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus
» est in regionem longinquam: & ibi dißipauit substantiam suam viuendo
» luxuriosè. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in re-
» gione illa, & ipse cœpit egere. Et abiit, & adhæsit vni ciuium regionis illius.
» Et misit illum in villam suam vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ven-
» trem suum de siliquis quas porci manducabant: & nemo illi dabat. In se au-
» tem reuersus dixit, Quanti mercenarij patris mei abundant panibus: ego au-
» tem hîc fame pereo? Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater,
» peccaui in cælum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me
» sicut vnum de mercenariis tuis. Et surgens venit ad patrem suum. Cùm au-
» tem adhuc longè esset, vidit eum pater ipsius, & misericordia motus est, &
» accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Dixitq; ei filius,
» Pater, peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.
» Dixit autem pater ad seruos suos, Citò proferte stolam primam, & induite
» illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius: &
» adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur:
» quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est. Et
» cœperunt epulari. Erat autem filius eius senior in agro: & cùm veniret &
» appropinquaret domui, audiuit symphoniam & chorum: & vocauit vnum
» de seruis, & interrogauit quid hæc essent. Isq; dixit illi, Frater tuus venit,
» & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit. Indi-
» gnatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus cœpit rogare
» illum. At ille respondens, dixit patri suo, Ecce tot annis seruio tibi, & num-
» quam mandatum tuum præteriui, & nunquam dedisti mihi hædum vt cum
» amicis meis epularer: sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam
» suam cum meretricibus, vênit, occidisti illi vitulum saginatum. At ipse
» dixit illi, Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: epulari autem
» & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit; perie-
» rat, & inuentus est.

Atque de cultu pietatis quam erga Deum discipulos Iesu Christi præsta-
re oportet, hæc breuiter exposuisse sat fuerit: ad quæ cetera argumenti huius
in nouo Testamento scripta reuocare in promptu est.

De

# De officio diſcipulorum Chriſti erga hominem. CAP. XI.

*VT generis origine omnium naturam hominum communem atq; parem eſſe ſacra hiſtoria apertè declarauit; ita ad eandem vitæ communionem ac ſocietatem proprios diſcipulos hortari ſolet Chriſtus. Quam quidem ſocietatem nullo alio vinculo aut alligari, aut contineri æquè poſſe aiebat, quàm caritatis amorisq; mutui; ita tamen vt vnuſquiſque non de aliorum erga ſeſe, verùm de ſuo erga alios amore ſolicitus eſſet, neque vnquam ſe in ea re ſatisfacere exiſtimaret, quoad neminem hominem alium minùs quàm ſeſe diligeret. Atque hanc vnicā rationem eſſe conſtituendæ & continendæ ſocietatis veræ & puræ, ſi nemo ſuis potiùs quàm alienis conſulat ac proſpiciat commodis; ſed, quantum in ſe eſt, aliis æquè atque ſibi ſtudeat, ſi modò priuatam agat vitam; quòd ſi publicum ſuſtineat munus, minimam ſuarum, maximam verò alienarum rerum habendam ſibi rationem ducat; neque verò aut hic, aut ille prior, hoc eſt, priuatus, quemadmodum alius ſecum agat, ſed quid ſe erga alios agere, curare, efficereq; oportet ac decet, attendat exiſtimetq;. Siquidem hoc pacto, & officio reſpondebit ſuo, & alios ad ſimile prouocabit exemplum, quos tametſi ingratos aliquando fuerit expertus, aut inuidos & infeſtos ſenſerit, nunquā pro inimicis vel excipiat vel habeat; ſed amiciſſimos perpetuò ducat, & benignitatis in eos conferendæ pertinacia vel omnino flectat, vincat, & reconciliet, vel ſuperet prorſus nobiliſſimo vltionis genere vſus, id eſt, patientia, tolerantia, & beneficentia: nunquamq; tantum in hac mente ſeſe profeciſſe arbitretur, quin vlteriùs etiam & ampliùs proficere poſſe & ſperet & contendat. Atque adeò totius in hac parte Chriſtianæ doctrinæ in ſummam coactæ, & doctoris ipſius perpetuis exemplis commonſtratæ, compendium in duo præcepta breuiſſimè redigi poteſt: Neminem minoris quàm ſeſe facere, minúſve amare: Nulli non pro viribus prodeſſe; acceptam ab aliis iniuriam æquo animo ferre. Secundum autem [mandatum] ſimile eſt huic,* Math.22.
" *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.*

*Audiſtis quòd dictum eſt antiquis, Non periurabis: reddes autem Do-* Ibid.5.
" *mino iuramenta tua. Ego autem dico vobis non iurare omnino; neque per cælum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius; neque per Ieroſolymam, quia ciuitas eſt magni Regis; neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum. Sit ſermo autem veſter, Eſt, eſt: Non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt. Audiſtis quia dictum eſt, Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicunque te* "

 anga-

„ angariauerit mille passus, vade cum illo alia duo. Qui petit à te, da ei: & vo-
„ lenti mutuare à te, ne auertaris. Audistis quia dictũ est, Diliges proximum
„ tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite ini-
„ micos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus
„ & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est, qui solem
„ suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si
„ enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne &
„ publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid am-
„ plius facitis? nonne & ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut &
„ Pater vester cælestis perfectus est.

Luc. 10. [Et legis peritus quidam] volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Et
„ quis est meus proximus? Suscipiens autẽ Iesus, dixit: Homo quidam descen-
„ debat à Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerũt
„ eum: & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Accidit autem vt Sacer-
„ dos quidam descenderet eadem via: & viso illo, præteriuit. Similiter & Le-
„ uita, cùm esset secus locum, & videret eum, pertransiit. Samaritanus autem
„ quidam iter faciens, venit secus eum: & videns eum, misericordia motus est.
„ Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum: & impo-
„ nens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. Et
„ altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius
„ habe: & quodcunque supererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi. Quis
„ horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille
„ dixit, Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus, Vade, & tu fac si-
Matth. 22. militer. Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt vt caperent eum in
„ sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister,
„ scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de
„ aliquo. non enim respicis personam hominum: dic ergo nobis quid tibi vide-
„ tur, licet censum dare Cæsari, an non? Cognita autem Iesus nequitia eorum,
„ ait: Quid me tentatis hypocritæ? ostendite mihi numisma census. At illi ob-
„ tulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus, Cuius est imago hæc & superscriptio?
„ Dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait illis, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari:
Ibid. 17. & quæ sunt Dei, Deo. Et cùm venissent Capharnaum, accesserunt qui
„ didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei, Magister vester non sol-
„ uit didrachma? Ait, Etiam. Et cùm intrasset in domum, præuenit eum Iesus
„ dicens, Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum
„ vel censum? à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit, Ab alienis. Dixit illi Ie-
„ sus, Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare,
„ & mitte hamum: & eum piscem qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore
„ eius, inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te.

Et quidem huic tantæ proprij commodi negligentiæ, & alienæ potiùs vti-
litatis studio, iis qui humano more de rebus iudicant, comes videretur futu-
ra egestas, & rerũ penuria maxima, & solitudo mera, & vita sine amicis,
insidia-

insidiarum & metus ac periculorum plena. Id verò discipulis suis nullo modo timendum, sed ne cogitandum quidem; quippe quorum mens & opera in quærendo præcipuè Dei regno poneretur, terrenarum rerum, tanquã ad eam rem minùs oportunarum, contemptionem probabat. quæ quidem contemptio, animi magnitudinem cum primis ostendit, & propter melioris conditionis curam & studium diuinam prouidentiam in minoribus quoque rebus (iis, inquam, quibus vita indiget) suppeditandis manifestè declaratum, atque assiduis exemplis spectatum iri asseuerabat. Id autem tum ex immensitate beneficentiæ Dei nullum nec malorum, nec bonorum hominũ genus excipiente, tum verò ex legitimo iure eorum qui non otiosi ac desides viuere decreuere, confirmabat: namq; Deum iustis de mercede exsoluenda legibus à se constitutis non renunciaturum defuturumq; prædicare consentaneum erat.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo: vbi neque ærugo neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt? Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & mammonæ. Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nónne anima plus est quàm esca: & corpus plus quàm vestimentum? Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa. Nónne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrûm cogitans, potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescũt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos minimæ fidei? Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis. Nolite ergo soliciti esse in crastinũ. Crastinus enim dies solicitus erit sibiipsi. sufficit diei malitia sua. Matth. 6.

Quod verò ad periculorum, incommodorum, atque adeò mortis etiam contemptionem facit, quam huiusmodi sui negligens, & prodiga, aliorumq; amans & studiosa vita cum primis postulare videtur, id omne in diuinæ tutelæ præsidio latère affirmabat Iesus, cuius efficacitate & virtute pro damno exiguo lucrum maximum, pro parentum & amicorum defectione frequentissimam meliorum propinquorum societatem, pro luctu consolationem

*ac lætitiam, pro fuga & exilio regnum, pro mortis tolerantia immortalem vitam, pro ignominia veram æternamq́ gloriam, etiam præsenti tempore cognoscenda, & experimento probanda constarent.*

*Ad hæc autem iniuriarum vlciscendarum insolitam admirandámque rationem præceptor idem primus tradidisse atque monstrasse celebratur; & nouum atque eximium modum superandi inimicos, & victoriæ cōparandæ, quem à veteribus nondum initum dux ipse ac princeps milites edocuit suos, atque facto in se primùm periculo, certos intrepidosq́ reddidit, ad eandemq́ tenendam militiæ disciplinam instructos animauit. Huius verò argumenti huiusmodi adhuc scriptæ præceptiones exstant:*

Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & vxorem, » & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest » meus esse discipulus. Et qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non » potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non » priùs sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficien- » dum: ne postea quàm posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, om- » nes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædifica- » re, & non potuit consummare? Aut quis Rex iturus committere bellum ad- » uersus alium Regem, non sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus » occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? alioqui adhuc illo longè » agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis » qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Marci 10. *Amen dico vobis, Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut soro- » res, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Eu- » angelium, qui non accipiet centies tantum, nunc, in tempore hoc; domos, & » fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros, cum persecutionibus, & in*
Matth. 10. *seculo futuro vitam æternā. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam » autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum qui potest & animam & » corpus perdere in gehennam. Nónne duo passeres asse veneunt: & vnus ex » illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem & capilli capi- » tis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis » vos. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum » coram Patre meo qui in cælis est: qui autem negauerit me coram hominibus, » negabo & ego eum coram Patre meo qui in cælis est. Nolite arbitrari quia » pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. » veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus » matrem suam, & nurum aduersus socrum suam: & inimici hominis, dome- » stici eius. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus: » & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus: & qui non acci- » pit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Qui inuenit animam » suam, perdet illam: & qui perdiderit animā suam propter me, inueniet eam.*

*Et quidem antiquos aduersus inuidentes & infestos infensosq́ homines bello,*

*bello, nece, aut alio plagarum genere vsos nouimus, vt Moysen, Dauidem, Eliam (quibus etiam nõ dissimile quiddam Petrum Apostolum conatum obseruauimus) vtpote nondum diuinam illam clementiæ & alienæ salutis exoptandæ atque expetendæ & curandæ suauitatem & comitatem assecutos. At verò Verbum hoc æternum, cuius nunquam non placida ac mitis mens fuit, propriam & veram, nullaq́ ex parte fallentem dimicandi formam, & præceptis exposuit, & vsu ipso firmauit. Id quod Moysi aliquando Dei simplicem & veram faciem intueri auenti, & sibi vt phas esset postulanti, significanti imagine indicatum legimus. Non poteris videre faciem meam: Non enim videbit me homo & viuet. Et iterum, Ecce, inquit, est locus apud me, & stabis supra petram: cumq́ transierit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam: tollamq́ manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. Cumq́ descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum Deo inuocans nomen Domini. Quo transeunte coram eo, ait, Dominator Domine Deus misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata, nullusq́ apud te per se innocens est. Eiusdem quoque significationis illud spectrum & responsum Eliæ Vati contigit apud montem Horeb: quò cùm ille venisset, mansit in spelunca. Et ecce, sermo Domini ad eum, dixitq́ illi: Quid hic agis Elia? At ille respondit, Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Israel: altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam vt auferant eam. Et ait, Egredere, & sta in monte coram Domino: & ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis, subuertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in cõmotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cùm audisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ. Atque hunc diuinæ clementiæ ac lenitatis placidissimum sibilum nõ verbis tantùm, sed consuetudine ac moribus Iesus Christus expressit, lenitatisq́ suæ exempla maximo victoriæ ac pacis vsui imitatoribus fore pollicitus est. Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniã sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suã firmauit vt iret in Ierusalem. Et misit nuncios ante conspectum suum, & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum,*

Marginal notes: Exodi 33. — Ibid. 34. — 3 Reg. 19. — Matth. 11.

» norum, vt pararent illi. Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis
» in Ierusalem. Cùm vidissent autem discipuli eius Iacobus & Iohannes, di-
» xerunt: Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?
» Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis: Filius ho-
» minis non venit animas perdere, sed saluare.

Iohan. 8. Iesus autem perrexit in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in
» templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. Adducunt
» autem Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & statue-
» runt eam in medio, & dixerunt ei, Magister, hæc mulier modò deprehensa
» est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare.
» Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum: vt possent accusare
» eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Cùm ergo
» perseuerarent interrogantes eum: erexit se, & dixit eis, Qui sine peccato est
» vestrûm, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans, scribebat
» in terra. Audientes autem, vnus post vnum exibant, incipientes à seniori-
» bus: & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. Erigens autem Iesus
» dixit ei: Mulier, vbi sunt qui te accusabant? nemo te condemnauit? Quæ
» dixit, Nemo Domine. Dixit autem Iesus, Nec ego te condemnabo. Vade, &
» iam amplius noli peccare. Itaque lenitatem, patientiam, modestiam, despi-
cientiam sui ipsius, & studium ac beneficientiam etiam erga infensos &
inimicos, propria à seq; exposita ad pugnam atque ad victoriam documenta
& arma, Dux ipse monstrauit.

Lucæ 6. Sed vobis dico qui auditis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui
» oderunt vos. Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus
» vos. Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. Et ab eo qui aufert ti-
» bi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te, tri-
» bue: & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. Et prout vultis vt faciant vobis
» homines, & vos facite illis similiter. Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ
» vobis est gratia? nam & peccatores diligentes se diligunt. Et si benefeceritis
» his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc
» faciunt. Et si mutuum dederitis his à quibus speratis recipere, quæ gratia est
» vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. Ve-
» runtamen diligite inimicos vestros: benefacite & mutuum date, nihil inde
» sperantes: & erit merces vestra multa, & eritis filij Altißimi, quia ipse
» benignus est super ingratos & malos. Estote ergo misericordes, sicut Pater
» vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condẽnare,
» & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini. Date, & dabitur vo-
» bis. mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem da-
» bunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetie-
» tur vobis. Cùm aliquando Iesus idem de doctrinæ discipulorumq; suorum
ratione & causa rogantem Pontificem vero ac iusto, imò legitimo excepisset
responso; vnus aßistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic re-
spondes

ſpondes Pontifici? Reſpondit ei Ieſus, Si malè locutus ſum, teſtimonium "
perhibe de malo: ſi autem bene, quid me cædis? "

Et cùm comprehenderetur Ieſus, Simon Petrus habens gladium, eduxit Iohan.18.
eum, & percutiens Pontificis ſeruum, abſcidit auriculam eius dexterā. Erat "
autem nomen ſeruo Malchus. Dixit ergo Ieſus Petro, Mitte gladium tuum "
in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Om- "
nes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quia non poſſum "
rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones "
Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri? "
Aũt Ieſus, Sinite vſque huc. & cùm tetigiſſet auriculam eius, ſanauit eum. "

Atque ad hanc diſciplinæ partem documenta & exempla referuntur illa.

Venit Filius hominis ſaluare quod perierat. Quid vobis videtur? ſi fue- Matth.18.
rint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis, nonne relinquit nonaginta "
nouem in montibus, & vadit quærere eam quæ errauit? & ſi contigerit vt "
inueniat eam; amen dico vobis, quia gaudet ſuper eam magis quàm ſuper no- "
naginta nouem quæ non errauerunt. Sic non eſt voluntas ante Patrem ve- "
ſtrum qui in cælis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis. Si autem peccauerit in "
te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit, "
lucratus eris fratrem tuũ: ſi autem te non audierit, adhibe tecũ adhuc vnum "
vel duos, vt in ore duorum vel triũ teſtium ſtet omne verbum. Quòd ſi non "
audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam nõ audierit, ſit tibi ſicut ethni- "
cus & publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, "
erunt ligata & in cælo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta "
& in cælo. Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, "
de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cælis eſt. Vbi "
enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. "
Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater "
meus, & dimittam ei? vſque ſepties? Dixit illi Ieſus, Non dico tibi vſque "
ſepties: ſed vſque ſeptuagies ſepties. Ideo aſſimilatum eſt regnum cælorum "
homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. Et cùm cœpiſſet "
rationẽ ponere, oblatus eſt ei vnus qui debebat ei decem millia talenta. Cùm "
autem non haberet vnde redderet, iuſſit eum dominus eius venundari, & "
vxorẽ eius & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autẽ ſeruus "
ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Mi- "
ſertus autem dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Egreſ- "
ſus autem ſeruus ille, inuenit vnum de conſeruis ſuis qui debebat ei centum "
denarios: & tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens "
conſeruus eius, rogabat eũ, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam "
tibi. Ille autem noluit: ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet de- "
bitum. Videntes autem conſerui eius quæ fiebant, contriſtati ſunt valde: & "
venerunt, & narrauerunt domino ſuo omnia quæ facta fuerant. Tunc vo- "
cauit eum dominus ſuus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, "

» *quoniam rogasti me: nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut*
» *& ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus,*
» *quoadusque redderet vniuersum debitum. Sic & Pater meus cælestis faciet*
» *vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

# Doctrinam Iesu Christi quemadmodum homo excipiat. Cap. XII.

NON vnum idémque apud homines iudicium Iesu Christi doctrina experitur; sed pro vniuscuiusque ingenio siue potiùs proposito multiplex & varium. Quippe in duas parteis humana studia distracta comperiuntur: Vnam eorum qui nihil sibi arrogantes vel fidentes, omnem salutis & felicitatis, quam vnicā expetunt & quærunt, rationem à Deo sibi comparandam credunt, sperant, poscunt, & attētè exspectant, tum verò iis modis & conditionibus impetrare curant, quibus se diuinitus instructos intellexerint: intelligunt autem labore, exercitatione, ac sudore viam illam insisti ac teneri oportere, quæ ad vitā ducens, pro præsenti hominum statu difficilior apparet. Alteram verò partem notare ac definire proximum est, eorum nimirum, qui sui ipsorum, propriūq; commodi præcipuè amantes, omne vitæ studium in hanc vnam rem ponendum duxere, vt sibi in primis bene ac suauiter sit; secundo loco iis, qui se ad eandem rem iuuerint & promouerint, commodorum partem aliquam remittant, vt mercenariis magis quàm sociis; & præter hos nihil præterea cæteros curent, nisi vt, quoad fieri possit, sibi subiiciant.

Atque hi suarum rerum curatores in tres diuiduntur greges, quos eadem ambitionis & auaritiæ ancilla mens diuersis moribus imbuit, alit, ac diducit: Alium quidem aperta via ac superbia, alium verò nō minore quidem arrogantia & insolentia, sed sapientiæ, pietatis, ac sanctimoniæ titulo laudata, orationis splendore ornata, ac personis tecta decoris: alium autem simplicitatem & probitatem, atque fidem prætexentem, vulpinis tamen moribus fallaciam dissimulare doctum. Atque in omnibus istis gregibus ille, quē primò recensuimus loco, rudium & integrorum discipulorum minimè frequens esse solet. Tres verò alij pro locorū ac tempestatū vsu nunc hic, nunc ille frequentior, aliquando etiam numeratu & recensitu difficillimus comperitur.

Atqui Iesu Christi dicta & facta atque famam cùm quatuor isti greges cognoscere studeant, vt diuerso proposito & consilio istud agunt; ita etiā vario prosequuntur iudicio: nam primi, vtpote simplices, integri, & præter propriæ salutis curam nihil sibi adscribentes, doctrinæ apertam veritatem & probitatem cognitam laudant, & authoritatem multis confirmatam signis veneranti admittunt, & candidissimè suscipiunt: adeò vt rogati de asperitate ac difficultate illius, & ad discedendi optionē aliquando, si libeat, reuocati, constan-

constanter se discessuros negent, vtpote quibus nihil ad felicitatem quærendam adeò iudicetur esse posse aptum atq; opportunum. S.S.E. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto: & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens: vt, si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis, Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis qui de cælo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Sciens autē Iesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis, Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem vbi erat priùs? Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eū. Et dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datū à Patre meo. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retrò: & iam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Iesus ad duodecim, Nunquid & vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus, Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus Filius Dei. Ioan. 6.

Iam verò tres alios greges proprius amor aliquando diducit, diuersosq; agit, tunc nimirum cùm vnicuique suis commodis frui sine communicatione licet: aliquando verò in vnum cogit & congregat, quoties periculi cuiuspiam exagitat metus, quod communicatis consiliis coniunctisq; opibus & viribus pelli vitaríve posse putetur. Atque hi omnes doctrinæ IesuChristi auditores, atque factorum spectatores & arbitros sese præbent, nihil minùs cogitantes quàm vt discipulum agant, præsertim si quicquam intellexerint in illa quod cum proposito pugnet suo, hoc est, quod vel potentiam & maiestatē atq; adeò violentiam non propugnet, vel sanctimoniæ speciem non admiretur, vel calliditatem & auaritiam dissimulationemq; non commendet. Quamobrem vnaquæque factio doctrinam Christi non planè probatura, sed obseruatura primùm audit: vbi verò à se suisq; rationibus discrepantem comperit, illam vnà cum doctore suo vel contemnit ac despicit, pro insaniaq; habens deri-

*det; vel immani & crudeli odio exceptam detestatur; vel etiam licetur, at inimicis ipsis ad supplicium necémque prodit.*

*Verùm enimuero ex his omnibus inimicis & aduersariis doctrinæ Christi importunissimum, infestissimum, & contumacissimum collegium est eorum, qui sapientiam sanctitatemq; sibi arrogant, suo ipsorum ingenio atque consilio & studio confisi, & sacrarum chartarum suo modo explicandarum authoritate & religione interposita cõmuniti. Namque hi nunquã cessant, nihil non agunt, nullum non mouent lapidem; nec vi abstinent, nec insidiis parcunt, nec calumniis, nec mendaciis, nec falsis dictorum & factorum interpretationibus temperãt: nec quicquam aliud potiùs cogitant, nisi vt viam muniant, qua minimo suo periculo, imò cum authoritate & opinione sui, Iesu nomen eleuent, infament, atque ipsum præceptorem de medio tollant, & tamen piè ac legitimè se agere vulgo persuadeant. Neque verò voti compotes facti conquiescunt; sed inuidiæ & maleuolentiæ rabie perpetuò acti, ad extremum vsque vitæ suæ tempus insaniunt, & insaniæ suæ imitatores & hæredes discipulos constituunt, ac testamentis & monumentis ad æternitatem propagare student. Atque hanc, quam in genere præfati sumus doctrinæ Iesu auditorum partitionem gregum ipsorum rationibus & nominibus distinctè in præsentiarum indicandis disertè perceptum iri arbitramur.*

*Igitur qua tempestate Iesu Christi disciplina de fide in Deum, deq; seria pœnitentia increbrescere occipit, quatuor hominum ordines siue conditiones in terris auditores offendit. Discipulos primùm certos quosdam familiares & assiduos, quos in ministerij societatem Iesus deligit, Apostolosq; nominat, primùm duodecim, deinde pro temporis & locorum vsu plures. His autem sui muneris & officij lege instructis, ipse palàm scholam aperiens, Euangelium, hoc est, salutis publicæ nuncium promulgat, promulgandumq; curat. Hunc verò simplicior ac rudior animus, suæq; inopiæ & infirmitudinis conscius vbi audit, lætus gratulabundusq; accipit, & officiis, quantũ pro tempore præstare possit, prosequitur. Tum verò Legis doctores & Scribæ, Leuitarum & Sacerdotum ordines accedunt, atque eorum collegia; qui, quòd accuratiorem & seueriorem vitæ consuetudinem profiteantur, Pharisæi, hoc est, secreti & à vulgo remoti audiunt. Postremi omnium Magnates, Reges, Præsides, aulæq; regiæ familiares conueniunt: quorum mos & mens eiusmodi est, vt de religionis & pietatis rebus ea vel admittant, vel repudient, quæ cum potentia maiestatisq; vsu & commoda aut colludere aut pugnare videantur; præter hæc verò cætera omnia vel contemnant & negligant, vel ad curiositatem & voluptatem animiq; gratiam spectanda admittant. Atque apud hos minimum laboris aut negotij doctrinæ Christi facessitur. Siquidem illa cùm de cælesti & spirituali regno agat, authoritatem maiestatemq; principum terræ minimè lædit, imò populorum communis conseruandæ societatis causa & Deo commendat, & discipulis suis purè candideq; obseruandam, & legitimè colendam suadet.*

Sic

*Sed illud tertium est maximè inuidum pertinacißimeq́; infensum genus hominum, quibus nec sapientia Iesu Christi placet, vtpote suæ sapientiæ & arti dißimilis, nec vera sanctitas animi probatur cum lenitate morum, & sui ipsius negligentia, atque rerum, quæ vulgo appetuntur, contemptu, & modesta consuetudine, mitißimaq́; aduersus inimicos quoque mente, & caritate aduersus omnes, & sermone placido ac benigno: namque omnia hæc lumen prætendunt, quo suæ ipsorum deteguntur actiones omnes, ac discutiuntur tenebræ & nubes, quibus occupati homines confictas & susceptas ab istis personas, verùm & genuinum vultum esse crediderant.*

*Iam verò huic quadruplicis indicij argumento præscripto, historiæ sacræ locos, ex quibus cognosci singula poterunt, indicare consequens fuerit; lectoris verò partes attenti, singularum personarum officia & partes quemadmodum agantur, spectare & dignoscere.*

*Præteriens secus mare Galilææ, vidit Simonem & Andream fratrem eius mittentes retia in mare (erant enim piscatores) & dixit eis Iesus, Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Et protinus, relictis retibus, secuti sunt eum. Et progressus inde pusillum, vidit Iacobum Zebedæi, & Iohannem fratrem eius, & ipsos componentes retia in naui: & statim vocauit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in naui cum mercenariis, secuti sunt eum. Et ingrediuntur Capharnaum: & statim sabbathis ingressus in synagogam, docebat eos. Et stupebant super doctrina eius: erat enim docens eos quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo: & exclamauit, dicens: Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio quis sis, Sanctus Dei. Et comminatus est ei Iesus, dicens. Obmutesce, & exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna exiit ab eo. Et mirati sunt omnes: ita vt conquirerent inter se, dicentes: Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc noua? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei. Et processit rumor eius statim in omnem regionē Galilææ. Et protinus egredientes de synagoga, venerunt in domum Simonis & Andreæ cum Iacobo & Iohanne. Decumbebat autem socrus Simonis febricitans: & statim dicunt ei de illa. Et accedens eleuauit eam, apprehensa manu eius: & continuò dimisit eam febris, & ministrabat eis. Vespere autem facto, cùm occidisset sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia habentes: & erat omnis ciuitas congregata ad ianuam. Et curauit multos qui vexabantur variis languoribus: & dæmonia multa eÿciebat, & non sinebat ea loqui; quoniam sciebant eum. Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum: ibiq́; orabat. Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant. Et cùm inuenissent eum, dixerunt ei, Quia omnes quærunt te. Et ait illis: Eamus in proximos vicos & ciuitates, vt & ibi prædicem: ad hoc enim veni. Et erat prædicans in synagogis eorum, & in omni Galilæa: & dæmonia eiiciens. Et venit ad eum leprosus deprecans eum: & genu flexo dicit ei; Si vis,* Marci 1.

» *potes me mundare. Iesus autem misertus eius, extendit manum suam: &*
» *tangens eum, ait illi: Volo, Mundare. Et cùm dixisset, statim discessit ab eo*
» *lepra, & mundatus est. Et comminatus est ei, statimq́ eiecit illum: & dicit*
» *ei, Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te principi sacerdotum, & offer pro*
» *emundatione tua quæ præcepit Moyses, in testimonium illis. At ille egressus,*
» *cœpit prædicare & diffamare sermonem: ita vt iam non posset manifestè in-*
» *troire in ciuitatem, sed foris in desertis locis esset, & conueniebant ad eum*
Marci 2. *vndique. Et iterum intrauit Capharnaum post dies, & auditum est quod*
» *in domo esset. & conuenerunt multi, ita vt non caperet neque ad ianuam, &*
» *loquebatur eis* VERBVM. *Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à*
» *quatuor portabatur. Et cùm non possent offerre eũ illi præ turba, nudauerunt*
» *tectum vbi erat: & patefacientes submiserunt grabatum in quo paralyticus*
» *iacebat. Cùm autem vidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico, Fili, dimit-*
» *tuntur tibi peccata tua. Erant autem illic quidam de Scribis sedentes & co-*
» *gitantes in cordibus suis. Quid hic sic loquitur? Blasphemat. Quis potest di-*
» *mittere peccata, nisi solus Deus? Quo statim cognito Iesus spiritu suo, quia*
» *sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus vestris?*
» *Quid est facilius, dicere paralytico, Dimittũtur tibi peccata: an dicere, Sur-*
» *ge, tolle grabatum tuum & ambula? Vt autem sciatis quia Filius hominis*
» *habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico) tibi dico, Surge,*
» *tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Et statim surrexit ille: &*
» *sublato grabato, abiit coram omnibus, ita vt mirarentur omnes, & honorifi-*
» *carent Deum, dicentes: Quia nunquam sic vidimus. Et egressus est rursus*
» *ad mare: omnisq́ turba veniebat ad eum, & docebat eos. Et cùm præteriret,*
» *vidit Leui Alphæi sedentem ad telonium, & ait illi, Sequere me. Et sur-*
» *gens secutus est eum. Et factum est, cùm accumberet in domo illius, multi*
» *publicani & peccatores simul discumbebant cũ Iesu & discipulis eius: erant*
» *enim multi qui & sequebantur eum. Et Scribæ & Pharisæi videntes quia*
» *manducaret cum publicanis & peccatoribus, dicebant discipulis eius, Quare*
» *cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magister vester? Hoc au-*
» *dito Iesus ait illis, Non necesse habent sani medico: sed qui malè habent. non*
» *enim veni vocare iustos, sed peccatores. Et erant discipuli Iohannis & Pha-*
» *risæi ieiunantes: & veniunt, & dicunt illi: Quare discipuli Iohannis &*
» *Pharisæorum ieiunant; tui autem discipuli non ieiunant? Et ait illis Iesus,*
» *Nunquid possunt filij nuptiarum, quàm diu sponsus cum illis est, ieiunare?*
» *Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt ieiunare. Venient au-*
» *tem dies cùm auferetur ab eis sponsus: & tunc ieiunabunt in illis diebus.*
» *Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri: alioquin aufert*
» *supplementum nouum à veteri, & maior scissura fit. Et nemo mittit vinum*
» *nouum in vtres veteres: alioquin dirumpit vinum vtres, & vinum effun-*
» *detur, & vtres peribunt: sed vinum nouum in vtres nouos mitti debet. Et*
» *factum est iterum cùm sabbathis ambularet per sata, & discipuli eius cœpe-*

runt

*runt progredi & vellere spicas. Pharisæi autem dicebant ei, Ecce, quid faciunt sabbathis quod non licet? Et ait illis, Nunquam legistis quid fecerit Dauid, quando necessitatem habuit & esuriit ipse & qui cum eo erant? Quomodo introiuit in domum Dei sub Abiathar principe Sacerdotum, & panes propositionis manducauit, quos non licebat manducare, nisi sacerdotibus, & dedit eis qui cum eo erant? Et dicebat eis, Sabbathum propter hominem factum est: & non homo propter sabbathum. Itaque Dominus est Filius hominis, etiam sabbathi.* «

*Et introiuit iterum in synagogam: & erat ibi homo habens manum aridam. Et obseruabant eum si sabbathis curaret: vt accusarent illum. Et ait homini habenti manum aridam, Surge in medium. Et dicit eis, Licet sabbathis benefacere, an malè? animam saluam facere, an perdere? At illi tacebant. Et circunspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini, Extende manum tuam. Et extendit: & restituta est manus illi. Exeuntes autem Pharisæi, statim cum Herodianis consilium faciebant aduersus eum quomodo eum perderent. Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare: & multa turba à Galilæa & Iudæa secuta est eum, & ab Ierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum, & Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum. Et dixit discipulis suis, vt nauicula sibi deseruiret propter turbam, ne comprimerent eum. multos enim sanabat, ita vt irruerent in eum vt illum tangerent quotquot habebant plagas. Et spiritus immundi, cùm illum videbant, procidebant ei: & clamabant, dicentes: Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum. Et ascendens in montem vocauit ad se quos voluit ipse: & venerunt ad eum. Et fecit vt essent duodecim cum illo: & vt mitteret eos prædicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eiiciendi dæmonia. Et imposuit Simoni nomen Petrus. & Iacobum Zebedæi, & Iohannem fratrem Iacobi: & imposuit eis nomina Boanerges, quod est, filij tonitrui. & Andream & Philippum, & Bartholomæum & Matthæum, & Thomam & Iacobum Alphæi, & Thaddæum & Simonem Cananæum, & Iudam Iscariotem, qui & tradidit illum. Et veniunt ad domum: & conuenit iterum turba, ita vt non possent neque panem manducare. Et cùm audissent sui, exierunt tenere eum. dicebant enim, Quoniam in furorem versus est. Et Scribæ, qui ab Ierosolymis descenderant, dicebant, Quoniam Beelzebub habet: & quia in principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Et conuocatis eis, in parabolis dicebat illis, Quomodo potest satanas satanam eiicere? Et si regnum in se diuidatur, non potest regnum illud stare. Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare. Et si satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, & non potest stare, sed finem habet. Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi priùs fortem alliget, & tunc domum eius diripiet. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blasphemiæ quibus blasphemauerint. Qui autem* Marci 3.

blasphe-

" *blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum,*
" *sed reus erit æterni delicti. Quoniam dicebant, Spiritum immundum habet.*

Marci 6. *Et vocauit duodecim: & cœpit eos mittere binos, & dabat illis potesta-*
" *tem spirituum immundorũ. Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi vir-*
" *gam tantùm: non peram, non panem, neque in zona æs, sed calceatos sanda-*
" *liis, & ne induerentur duabus tunicis. Et dicebat eis, Quocunque introieri-*
" *tis in domum, illic manete donec exeatis inde, & quicumque non receperint*
" *vos, nec audierint vos: exeuntes inde, excutite puluerem de pedibus vestris,*
" *in testimonium illis. Et exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerent: &*
" *dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabant.*
" *Et audiuit Rex Herodes (manifestum enim factum est nomen eius) & di-*
" *cebat, Quia Iohannes Baptista resurrexit à mortuis: & propterea virtutes*
" *operantur in illo. Alij autem dicebant, Quia Elias est. Alij verò dicebant,*
" *Quia Propheta est, quasi vnus ex Prophetis. Quo audito, Herodes ait,*
" *Quem ego decollaui Iohannem, hic à mortuis resurrexit.*

Ibid. 7. *Et conueniunt ad eum Pharisæi & quidam de Scribis, venientes ab Ie-*
" *rosolymis. Et cùm vidissent quosdam ex discipulis eius communibus mani-*
" *bus, id est, non lotis manducare panes, vituperauerunt. Pharisæi enim &*
" *omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditio-*
" *nem seniorũ: & à foro, nisi baptizentur, non comedunt. & alia multa sunt*
" *quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum & vrceorum, & æramen-*
" *torum & lectorũ. Et interrogabant eum Pharisæi & Scribæ, Quare disci-*
" *puli tui non ambulant iuxta traditionem seniorum, sed communibus mani-*
" *bus manducant panem? At ille respondens, dixit eis, Bene prophetauit Isaias*
" *de vobis hypocritis, sicut scriptum est, Populus hic labiis me honorat, cor au-*
" *tem eorum longè est à me. in vanum autem me colunt, docentes doctrinas,*
" *præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones*
" *hominum, baptismata vrceorum & calicum: & alia similia his facitis multa.*

## Diuinæ legationis mandata à Iesu Christo perlata, opportunè digesta, administrata, & confecta. CAP. XIII.



IAm verò lætissimo aduentantis regni Dei allato & publicato nuncio, & pœnitentiæ lege indicta, tum præconiis à se factis, tum per Apostolos delatis, hisq́; omnibus partibus magna atque multiplici miraculorum & signorum frequentia ornatis & confirmatis, legationis propriæ & singularis sibi vni impositæ mandata Iesus Christus & apud plebem, & apud populi primores opportuno loco ac tempore liberis actionibus fidelissimè pariter & grauissimè atq; diligentissimè persecutus est. Illius autem legationis huiusmodi fuit argumentum.

*Diuinum de salute publica hominum idemq; maximum consilium ab ipsa vsque mundi constitutione indicatum, ac deinde sæpe sæpius per Vates inculcatum, hactenus verborum figuris, & rerum quarundam imaginibus tantùm fuisse significatum. Quamquam verò & res illæ & verba etiã vtilitatem aliquam hominibus attulerant, eam ad corporis magis vsum, atq; ad vitæ huius mortalis commoditates, quàm ad animos, & immortale vitæ munus pertinuisse; quòd illam rerum & temporum seriem diuina sapientia & prouidentia decreuisset. Nunc iam demum idem consilium propediem perfectum iri dono quodam admirabili & omnia humana cogitata atque adeò vota infinito interuallo superante, adoptionis videlicet hominum, & mutationis ex genere illo terrestri, obscuro, caduco, & mortali in libertatem, claritatem, atque amplitudinem filiorum Dei cælestium atque immortalium, à veterisq; Adami conditione quàm longißimè semotorum. Hanc autem immutationem veram fore sanctitudinem, non humana virtute efficientiáve comparandam, sed per æternum Verbum, eundemq; Filium Dei præstandam à Patre omnium vnico Deo, Spiritu etiam sancto, qui idem met Deus esset, immisso, perficiendã. Atq; hoc vnum legationis ac felicis nuncij huius caput esse. Alterum verò, Indicare ac declarare eum, qui pacis huius ac diuinæ gratiæ conciliandæ, & filiationis adoptionisq; curandæ & conficiendæ minister, precator, procurator, atque auctor & interpres, constitutor denique & obses esset. Neque enim tantam rem profiteri vltro posse, nec professum fidem apud homines mereri quempiam alium ab illo quem & Vatum oracula præfinierant, & præsenti authoritate Deus ornaret. Se verò hunc eundem esse à Patre missum & legatum, mandatis & facultate instructum, virtute planè diuina pollentem, qui Patris faciem & auctoritatem secum afferret; & non vno tantùm testimonio, nec eo merè humano, nec leuibus documẽtis ac signis, sed grauißimis & firmißimis munitus, declaratus hactenus comprobatusq; constaret. Primùm Iohannis dicto, indicio, & expositione, quem nemo homo non cælitus destinatum & adornatum atque legatum dicere vel iure vel tutò posset. Deinde tam multis tamq; admirandis nouis & inauditis antea beneficiorum in homines collatorum, atque miraculorum, portentorum, signorumq; omnium argumentis, ab oraculorum obseruatione & adnotatione nihilum discrepantibus: atque etiam doctrinæ & præceptionum monitionumq; veritate & puritate vnà cum vitæ totius ac morum perpetuæq; consuetudinis integritate, continentia, innocentia, & bonitate, ac simplicitate summa, multis magnisq; periculis ac rebus spectatißima.*

*Atqui omnia hæc, quæ Iesus Christus verè, rectè, & constanter, atque vt fit, hoc est, vti Deo dignum erat; prædicens ac denuncians peregit, non vno modo & populus & populi primores excipiunt: sed ille variè & inconstanti animo partim laudat & probat, partim in dubium reuocat, non nemo etiam nec vera nec admittenda asserit, nulla ratione habita veritatis eorum quæ dicerentur, ac virtutis eius qui diceret, sed iudicij argumẽtis ex habitu externo*

*terno, èq́ specie, ordine & loco quē inter homines Iesus teneret, petitis (quæ cogitatio vulgares mētes afficere plurimum solet, titulis & imaginibus stupentes) vel spectata primorum & optimatum, quos vocant, sententia, quam turba tremens plerumque sequi, & vel damnatos odisse, vel probatos ad stuporem admirari consueuit.*

*Verùm enimuero ab iis, penes quos doctrinæ & auctoritatis ac sanctitatis censebatur esse summa, Iesus in vnctionis nomine, titulo, ac munere obeundo non modò repulsam tulit, sed offensionem accepit cum ignominia & infamia atque exsecratione eorum etiam quibus vel verbo & assensione approbaretur, excogitata & inuenta ad eam rem varia & multiplici calumnia tum religionis violatæ, tum seditionis & publicæ pacis tentatæ, atq́ principum etiam & regum quæsita & solicitata inuidia, & omni machinatione, quam animus industria, consilio, & opibus valens, vbi maleuolentiam inimicitiasq́ conceperit, ad propugnandum proprias, & eorum, quos oderit, labefactandum parteis adhibere solet, nihilq́ prorsus, quod pro se faciat, intentatum relinquens. Omnia hæc quemadmodum vtrimque agantur, audire & obseruare, disciplinæ, eruditionis, atque informationis & instructionis nostræ causa, operæpretium fuerit.*

Ioan. 5. *Post hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. Est*
» *autē Ierosolymis super Probatica, piscina quæ cognominatur Hebraicè Beth-*
» *saida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languētium,*
» *cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum. Angelus autem*
» *Domini descendebat secundùm tempus in piscinam: & mouebatur aqua. Et*
» *qui prior descendisset in piscinam post motionē aquæ, sanus fiebat à quacun-*
» *que detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo*
» *annos habens in infirmitate sua. Hunc cùm vidisset Iesus iacentem, & cog-*
» *nouisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei, Vis sanus fieri? Respōdit*
» *ei languidus, Domine, hominem non habeo, vt, cùm turbata fuerit aqua, mit-*
» *tat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Ie-*
» *sus, Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est*
» *ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbathum in*
» *die illo. Dicebant ergo Iudæi, illi qui sanatus fuerat, Sabbathum est, nō licet*
» *tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis, Qui me sanum fecit, ille mihi*
» *dixit, Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum, Quis*
» *est ille homo qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem qui*
» *sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim declinauit à turba con-*
» *stituta in loco. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus*
» *factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abiit ille ho-*
» *mo, & nunciauit Iudæis quia Iesus esset qui fecit eum sanum. Propterea per-*
» *sequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in sabbatho. Iesus autem respon-*
» *dit eis, Pater meus vsque modò operatur: & ego operor. Propterea ergo magis*
» *quærebant eum Iudæi interficere: quia non solùm soluebat sabbathum, sed*

&

*& Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Iesus, & dixit eis: Amen, amen dico vobis, non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit: & maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos & viuificat: sic & Filius quos vult viuificat. Neque enim Pater iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transiet à morte in vitã. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio habere vitam in semetipso: & potestatẽ dedit ei etiam iudicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Non possum ego à meipso facere quicquam. Sicut audio, iudico; & iudicium meum iustum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. Alius est qui testimonium perhibet de me: & scio quia verum est testimonium quod perhibet de me. Vos misistis ad Iohannem: & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimoniũ accipio: sed hæc dico vt vos salui sitis. Ille erat lucerna ardens & lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius. Ego autem habeo testimoniũ maius Iohanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater vt perficiã ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me: & qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me. neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem eius vidistis, & verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me vt vitam habeatis. Claritatem ab hominibus non accipio. Sed cognoui vos, quia dilectionẽ Dei non habetis in vobis. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam quæ à solo Deo est, nõ quæritis? Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem. est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?*

# Eiusdem argumenti denunciatio à Iesu peracta, plebis altercationibus & procerum calliditate & inuidia exagitatur. Cap. XIIII.



XTERNIS *vitæ huius atque corporis commodis potiùs quàm internæ animorum instructioni animalis homo mẽtem, studium, & operam adhibere solitus, quidquid ad hanc rem compendij nactus fuerit, id maximopere probat, suscipit, ac sibi pro summo & maximo optat bono; & quemcunque hoc sibi præstare posse autumat, hunc sibi non tantùm principem, sed etiam Deum optat, prædicat, præficit, & veneratur. Hinc variorum deorum apud Gentes quondam segetem ortam alicubi in hoc opere commemorabamus. Eiusmodi autem experimentum Iesu Christo quoque vsui venire in exemplum solet, à quo ea quæ bona putantur, & vel non sunt, vel minima omnium sunt, cum primis expetuntur, illis quæ verè bona dicuntur, & in hoc genere & nomine maxima sunt, vel neglectis, vel postremo loco, & tanquam auctuario postulatis.*

Iohan. 6. *Post hæc abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis: & sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Iesus: & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudæorum. Cùm subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum, Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tẽtans eum. ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri, Est puer vnus hîc qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? Dicit ergo Iesus, Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. Accepit ergo Iesus panes: & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus. similiter & ex piscibus quantum volebant. Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis, Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus ordeaceis quæ superfuerunt his qui manducauerant. Illi ergo homines cùm vidissent quòd Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè Propheta qui venturus est in mundum. Iesus ergo cum cognouisset quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus. Vt autem serò factum est, descenderunt discipuli eius ad mare. Et cum ascendissent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum. & tenebræ iam factæ erant: & non venerat ad eos Iesus. Mare autem, vento magno flante,*

*stante, exurgebat. Cùm remigassent ergo quasi stadia vigintiquinque aut triginta, vident Iesum ambulantem super mare, & proximum naui fieri, & timuerunt. Ille autem dicit eis, Ego sum, nolite timere. Voluerunt ergo accipere eum in nauim: & statim nauis fuit ad terrā ad quam ibant. Altera die turba quæ stabat trans mare, vidit quia nauicula alia non erat ibi nisi vna, & quia non introiisset cum discipulis suis Iesus in nauim, sed soli discipuli eius abiissent: aliæ verò superuenerunt naues à Tyberiade iuxta locum vbi manducauerant panem, gratias agente Domino. Cùm ergo vidisset turba quia Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in nauiculas, & venerunt Capharnaum quærentes Iesum. Et cùm inuenissent eum trans mare, dixerunt ei, Rabbi, quando huc venisti? Respondit eis Iesus, & dixit, Amen, amen dico vobis, quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signauit Deus. Dixerunt ergo ad eum, Quid faciemus vt operemur opera Dei? Respondit Iesus, & dixit eis, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. Dixerunt ergo ei, Quod ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducauerūt manna in deserto: sicut scriptum est, Panem de cælo dedit eis manducare. Dixit ergo eis Iesus, Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei est qui de cælo descendit, & dat vitā mundo. Dixerunt ergo ad eum, Domine, semper da nobis panem hunc. Dixit autem eis Iesus, Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me non sitiet vnquam. Sed dixi vobis quia & vidistis me, & non creditis. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non eiiciam foras: quia descendi de cælo, nō vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Hæc est enim voluntas eius qui misit me, Patris: vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me: vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitā æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixisset, Ego sum panis qui de cælo descendi: & dicebant, Nónne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cælo descendi? Respondit ergo Iesus, & dixit eis, Nolite murmurare inuicē: nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Non quia Patrē vidit quisquā, nisi is qui est à Deo: hic vidit Patrem. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternā. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto: & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens: vt, si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc*

„ pane, viuet in æternũ: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.
„ Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis car-
„ nem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico
„ vobis, Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sangui-
„ nem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit
„ meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissi-
„ mo die. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. qui
„ manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in
„ illo. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui man-
„ ducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis qui de cælo descendit. Non
„ sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui mandu-
„ cat hunc panem, viuet in æternum. Hæc dixit in synagoga docens in Caphar-
„ naum. Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic ser-
„ mo, & quis potest eum audire? Sciens autẽ Iesus apud semetipsum quia mur-
„ murarent de hoc discipuli eius, dixit eis, Hoc vos scandalizat? Si ergo vide-
„ ritis Filium hominis ascendentem vbi erat priùs? Spiritus est qui viuificat:
„ caro non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita
„ sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Ie-
„ sus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eũ. Et dicebat, Propter-
„ ea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datũ à Patre meo.
„ Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retrò: & iam non cum illo ambu-
„ labant. Dixit ergo Iesus ad duodecim, Nunquid & vos vultis abire? Respon-
„ dit ergo ei Simon Petrus, Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ ha-
„ bes: & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus Filius Dei.
„ Respondit eis Iesus, Nónne ego vos duodecim elegi: & ex vobis vnus dia-
„ bolus est? Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem: hic enim erat traditu-
„ rus eum, cùm esset vnus ex duodecim.

## Instauratio actionum Iesu de vnctione sua, & hominum partim inconstantia, partim peruicacia. Cap. XV.

Ioan. 7. POST hæc ambulabat Iesus in Galilæam: non enim volebat in Iu-
„ dæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. Erat au-
„ tem in proximo dies festus Iudæorum, Scenopegia. Dixerũt au-
„ tem ad eum fratres eius, Transi hinc, & vade in Iudæam, vt &
„ discipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit,
„ & quærit ipse in palam esse. si hæc facis, manifesta te ipsum mundo. Neque
„ enim fratres eius credebãt in eum. Dicit ergo eis Iesus, Tempus meum non-
„ dum aduenit: tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mun-
„ dus odisse vos, me autem odit, quia ego testimoniũ perhibeo de illo, quòd opera
eius

*eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendo ad diem « festum istum: quia meum tempus nondum impletum est. Hæc cùm dixisset, « ipse mansit in Galilæa. Vt autem ascenderũt fratres eius, tunc & ipse ascen- « dit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto. Iudæi ergo quære- « bãt eum in die festo, & dicebãt: Vbi est ille? Et murmur multus erat in tur- « ba de eo. Quidam enim dicebant, Quia bonus est. Alij autem dicebant, Non, « sed seducit turbas. Nemo tamen palàm loquebatur de illo, propter metum Iu- « dæorum. Iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in templum, & doce- « bat. Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic literas scit, cùm non di- « dicerit? Respondit eis Iesus, & dixit, Mea doctrina non est mea, sed eius qui « misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, « vtrùm ex Deo sit, an ego à meipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam « propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius qui misit eum, hic verax est, « & iniustitia in illo non est. Nónne Moyses dedit vobis legẽ: & nemo ex vo- « bis facit legem? Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: « Dæmonium habes: quis te quærit interficere? Respondit Iesus, & dixit eis: « Vnum opus feci: & omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circun- « cisionem: (non quia ex Moyse est, sed ex patribus), & in sabbatho circunci- « ditis hominem. Si circuncisionem accipit homo in sabbatho, vt non soluatur « lex Moysi: mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbatho? « Nolite iudicare secundùm faciem: sed iustum iudicium iudicate. Dicebant « ergo quidam ex Ierosolymis, Nónne hic est quem quærunt interficere? Et ec- « ce palàm loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid verè cognouerunt principes « quia hic est Christus? Sed hunc scimus vnde sit: Christus autem cùm venerit, « nemo scit vnde sit. Clamabat ergo Iesus in templo docens, & dicens: Et me « scitis, & vnde sim scitis: & à meipso non veni, sed est verus qui misit me, « quem vos nescitis. Ego scio eum: quia ab ipso sum, & ipse me misit. Quære- « bant ergo eum apprehendere: & nemo misit in illum manus, quia nondũ ve- « nerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: « Christus cùm venerit, nunquid plura signa faciet quã quæ hic facit? Audie- « runt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc: & miserunt Principes & « Pharisæi ministros vt apprehenderẽt eum. Dixit ergo eis Iesus, Adhuc mo- « dicum tempus vobiscum sum: & vado ad eum qui me misit. Quæretis me, « & non inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire. Dixerunt ergo « Iudæi ad semetipsos, Quò hic iturus est, quia non inueniemus eum? nunquid « in dispersionẽ Gentium iturus est, & docturus Gentes? Quis est hic sermo « quem dixit, Quæretis me, & non inuenietis: & vbi sum ego, vos non pote- « stis venire? In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & cla- « mabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut « dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. (Hoc autem dixit « de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. nondum enim erat Spiri- « tus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus.) Ex illa ergo turba cùm au- «*

*» dissent hos sermones eius, dicebant: Hic est verè Propheta. Alij dicebant,*
*» Hic est Christus. Quidam autem dicebant, Nunquid à Galilæa venit Christus? Nónne Scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello vbi erat Dauid, venit Christus? Dissensio itaque facta est in turba propter eum. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus. Venerunt ergo ministri ad Pontifices & Pharisæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum? Responderunt ministri, Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. Responderunt ergo eis Pharisæi, Nunquid & vos seducti estis? Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti sunt. Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis: Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi priùs audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Responderunt, & dixerunt ei: Nunquid & tu Galilæus es? Scrutare, & vide quia à Galilæa Propheta non surgit. Et reuersi sunt vnusquisque in domum suam.*

Ioan. 8. *Iesus autem perrexit in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in» templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. Adducunt » autem Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei, Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum: vt possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Cùm ergo perseuerarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis, Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans, scribebat in terra. Audientes autem, vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus: & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. Erigens autē se Iesus dixit ei: Mulier, vbi sunt qui te accusabant? nemo te condemnauit? Quæ dixit, Nemo Domine. Dixit autem Iesus, Nec ego te condemnabo. Vade, & iam ampliùs noli peccare. Iterum ergo locutus est eis Iesus, dicens: Ego sum lux mundi. qui sequitur me, nō ambulabit in tenebris: sed habebit lumē vitæ. Dixerunt ergo ei Pharisæi, Tu de te ipso testimoniū perhibes: testimonium tuum non est verum. Respondit Iesus, & dixit eis: Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio vnde veni, & quò vado: vos autem nescitis vnde venio, aut quò vado. Vos secundùm carnem iudicatis: ego non iudico quenquam. & si iudico ego, iudicium meum verum est: quia solus non sum, sed ego & qui misit me, Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso: & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater. Dicebant ergo ei, Vbi est Pater tuus? Respondit Iesus, Neque me scitis, neque Patrem meum. si me sciretis: forsitan & Patrem meum sciretis. Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius. Dixit ergo iterum eis Iesus,*

Ego

*Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quò ego vado, vos non potestis venire. Dicebant ergo Iudæi, Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit, Quò ego vado, vos non potestis venire? Et dicebat eis, Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris. si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Dicebant ergo ei, Tu quis es? Dixit eis Iesus, Principium qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui & iudicare: sed qui me misit, verax est: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognouerunt quia Patrem eis dicebat Deum. Dixit ergo eis Iesus, Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor: & qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos: Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Responderunt ei, Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquã: quomodo tu dicis, Liberi eritis? Respondit eis Iesus, Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. seruus autem non manet in domo in æternum: filius manet in æternum. si ergo vos Filius liberauerit, verè liberi eritis. Scio quia filij Abrahæ estis: sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Ego quod vidi apud Patrem, loquor: & vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis. Responderunt & dixerunt ei, Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus, Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Nunc autem, quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo. hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei, Nos ex fornicatione non sumus nati. vnum Patrem habemus Deum. Dixit ergo eis Iesus: Si Deus Pater vester esset, diligeretis vtique me. ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim à meipso veni, sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum. Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere. ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo. cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius. Ego autem quia veritatem dico, non creditis mihi. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nónne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus, Ego dæmonium non habeo: sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meã: est qui quærat, & iudicet. Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi, Nunc cognouimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis, Si quis sermonem meum*

 serua-

„ *seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Nunquid tu maior es patre*
„ *nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt. Quem teipsum*
„ *facis? Respondit Iesus, Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. est Pater*
„ *meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est. & non cogno-*
„ *uistis eum, ego autem noui eum. Et si dixero quia non scio eum: ero similis*
„ *vobis, mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo. Abraham pater vester*
„ *exultauit vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est. Dixerunt ergo*
„ *Iudæi ad eum, Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?*
„ *Dixit eis Iesus, Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.*
„ *Tulerunt ergo lapides vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & ex-*
„ *iuit de templo.*

Ioan. 9. *Et præteriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate: & interrogaue-*
„ *runt eum discipuli eius, Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus*
„ *nasceretur? Respondit Iesus, Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt*
„ *manifestetur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me,*
„ *donec dies est. venit nox, quando nemo potest operari. quàm diu sum in mun-*
„ *do, lux sum mundi. Hæc cùm dixisset, exspuit in terram, & fecit lutum ex*
„ *sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei: Vade, laua in natatoria*
„ *Siloe, (quod interpretatur, Missus.) Abiit ergo, & lauit: & venit videns.*
„ *Itaque vicini, & qui viderant eum priùs quia mendicus erat, dicebant:*
„ *Nonne hic est qui sedebat, & mendicabat? Alij dicebant, Quia hic est. Alij*
„ *autem, Nequaquam, sed similis est ei. Ille verò dicebat, Quia ego sum. Dice-*
„ *bant ergo ei, Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit, Ille homo qui dicitur*
„ *Iesus, lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoriam*
„ *Siloe, & laua. Et abij, & laui, & vidi. Et dixerunt ei, Vbi est ille? Ait, Ne-*
„ *scio. Adducunt eum ad Pharisæos qui cæcus fuerat. Erat autem sabbathum*
„ *quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant*
„ *eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis, Lutum mihi posuit su-*
„ *per oculos, & laui: & video. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam, Non est*
„ *hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Alij autem dicebant, Quomodo*
„ *potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. Dicunt ergo*
„ *cæco iterum, Tu, quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit,*
„ *Quia Propheta est. Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuisset &*
„ *vidisset, donec vocauerunt parentes eius qui viderat: & interrogauerunt eos,*
„ *dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quo-*
„ *modo ergo nunc videt? Responderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus*
„ *quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est: quomodo autem nunc vi-*
„ *deat, nescimus, aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate:*
„ *ætatem habet, ipse de se loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam ti-*
„ *mebant Iudæos: iam enim conspirauerant Iudæi, vt, si quis eum confiteretur*
„ *esse Christum, extra synagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt,*
„ *Quia ætatem habet, ipsum interrogate. Vocauerunt ergo rursum hominem*
qui

*qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo. nos scimus quia hic ho- «*
*mo peccator est. Dixit ergo eis ille, Si peccator est, nescio: vnum scio, quia cæ- «*
*cus cùm essem, modò video. Dixerunt ergo illi, Quid fecit tibi? quomodo ape- «*
*ruit tibi oculos? Respondit eis, Dixi vobis iam, & audistis: quid iterum vul- «*
*tis audire? nunquid & vos vultis discipuli eius fieri? Maledixerunt ergo ei, «*
*& dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus. Nos «*
*scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus vnde sit. Respon- «*
*dit ille homo, & dixit eis, In hoc enim mirabile est quia vos nescitis vnde sit, «*
*& aperuit meos oculos. scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed «*
*si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A seculo non «*
*est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non pote- «*
*rat facere quicquam. Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es to- «*
*tus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras. Audiuit Iesus quia eiecerunt «*
*eum foras: & cùm inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? Re- «*
*spondit ille, & dixit: Quis est Domine, vt credam in eum? Et dixit ei Iesus, «*
*Et vidisti eum: & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait, Credo Domine. «*
*Et procidens adorauit eum. Et dixit ei Iesus, In iudicium ego in hunc mun- «*
*dum veni: vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant. Et audierũt «*
*quidam ex Pharisæis qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Nunquid & nos «*
*cæci sumus? Dixit eis Iesus, Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc ve- «*
*rò dicitis, Quia videmus. Peccatum vestrum manet. «*

*Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed* Iohan. 10.
*ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est «*
*ouium. Huic ostiarius aperit: & oues vocem eius audiunt: & proprias oues «*
*vocat nominatim, & educit eas. Et cùm proprias oues emiserit, ante eas va- «*
*dit: & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem nõ se- «*
*quuntur, sed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc pro- «*
*uerbium dixit eis Iesus. Illi autẽ non cognouerũt quid loqueretur eis. Dixit «*
*ergo eis iterum Iesus, Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium. «*
*Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones: sed non audierũt eos oues. «*
*Ego sum ostiũ. Per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur & egre- «*
*dietur, & pascua inueniet. Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & per- «*
*dat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. Ego sum pastor «*
*bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem «*
*& qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, «*
*& dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oues. mercenarius au- «*
*tem fugit, quia mercenarius est: & non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum «*
*pastor bonus: & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pa- «*
*ter, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias «*
*oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem «*
*meam audient, & fiet vnum ouile & vnus pastor. Propterea me diligit Pa- «*
*ter; quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à «*

» *me: sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo. Dissensio iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis, Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis? Alij dicebãt, Hæc verba non sunt dæmonium habentis. Nunquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire? Facta sunt autẽ Encænia in Ierosolymis, & hiems erat. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei, Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palàm. Respondit eis Iesus, Loquor vobis: & non creditis. opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me: sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater vnum sumus. Sustulerunt lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respondit eis Iesus, Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Iudæi, De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu, homo cùm sis, facis teipsum Deum. Respondit ei Iesus, Nonne scriptum est in lege vestra, quia Ego dixi, dij estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura: quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, Quia blasphemas: quia dixi Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei: nolite credere mihi. Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite: vt cognoscatis & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre. Quærebant ergo eum apprehendere: & exiuit de manibus eorum. Et abiit iterum trans Iordanem in eum locũ vbi erat Iohannes baptizans primùm: & mansit illic. & multi venerunt ad eum, & dicebant: Quia Iohannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæcunque dixit Iohannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.*

## De patientia ac iustitia Dei aduersus hominem sermo Iesu. CAP. XVI.

INTER *tam multas, támque graues actiones, in quibus diuinum Verbum caro factum misericordiam fidemq́; Dei hominum generi denunciabat, hodieq́; denunciat & obtestatur, mirabilis & maxima cum religione & obseruatione excipiendus exstat sermo opportuno loco atque tempore factus de clementia ac patiẽtia longissima Dei, atque de consecutis demum ex iusto iudicio pœnis in illius magnitudine abusum hominem, iis quidem vti meritis ac debitis, ita homini damnato nulla ratione, nulla cauillatione aut excipiendis aut effugiendis.*

Et

*Et factum est: in vna dierum docente illo populum in templo & euangelizante, conuenerunt principes sacerdotum & Scribæ cum senioribus, & aiunt dicentes ad illum, Dic nobis, in qua potestate hæc facis? aut, Quis est qui dedit tibi hanc potestatem? Respondens autem Iesus, dixit ad illos, Interrogabo vos & ego vnum verbum. Respondete mihi, Baptismus Iohannis de cælo erat, an ex hominibus? At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia si dixerimus, De cælo; dicet, Quare ergo non credidistis illi? Si autē dixerimus, Ex hominibus, plebs vniuersa lapidabit nos: certi sunt enim Iohannem Prophetam esse. Et responderunt se nescire vnde esset. Et Iesus ait illis, Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio. Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc, Homo plantauit vineam, & locauit eam colonis: & ipse peregre fuit multis temporibus. Et in tempore misit ad cultores seruum, vt de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem. Et addidit alterum seruum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes & afficientes contumelia, dimiserunt inanem. Et addidit tertium mittere: qui & illum vulnerantes eiecerunt. Dixit autem dominus vineæ, Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forsitan cùm hunc viderint, verebuntur. Quem cùm vidissent coloni, cogitauerunt intra se, dicentes: Hic est hæres, occidamus illum, vt nostra fiat hæreditas. Et eiectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi, Absit. Ille autem aspiciens eos ait, Quid est ergo hoc quod scriptum est, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum. Et quærebant principes sacerdotum & Scribæ mittere in illum manus illa hora: & timuerunt populum. cognouerunt enim quòd ad ipsos dixerit similitudinem hanc. Et obseruantes, miserunt insidiatores qui se iustos simularent: vt caperent eum in sermone, & traderent illum principatui & potestati præsidis. Et interrogauerunt eum, dicentes: Magister, scimus quia rectè dicis & doces: & non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces. licet nobis tributum dare Cæsari, an non? Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis? Ostendite mihi denarium. Cuius habet imaginem & inscriptionem? Respondentes dixerunt, Cæsaris. Et ait illis, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe: & mirati in responso eius, tacuerunt.* Lucæ 20.

# Iesu Euangelistæ postremæ actiones.
## CAP. XVII.



*EGATIONIS ac mandatorum partibus iam absoluendis, & peragrandi Euangelij causa regionis decurso spatio, muneris, virtutis, atque authoritatis, efficacitatisq́ suæ breue documentum, atque credentibus & suscipientibus vtilißimum, magnisq́ refertum mysteriis, inter postremas actiones datum, admirabili & publico, nullaq́ hominum calliditate inficiando signo testatus est. Documenti autem argumētum illud erat, Mortem cum primus humani generis commemorare, cuius expugnandæ ac superandæ partes vni sibi à Patre suo datas, qui, vti conueniebat, crederent, certißimas demum essent experturi: interim verò obtestationis huius argumento ac signo fore defunctum vita hac mortali hominem, imò corruptum iam cadauer, viuum, integrum, & sanum inpræsentiarum restituendum cum inuocatione Dei auctoris omnium, obtestationem illam manifesto miraculo, & ad rationem documenti concinnato, probatam confirmantis.*

Ichan. 11. *Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ & » & Marthæ sororis eius. (Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguen- » to, & extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur.) » Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas, in- » firmatur. Audiens autem Iesus, dixit eis, Infirmitas hæc non est ad mor- » tem, sed pro gloria Dei: vt glorificetur Filius Dei per eam. Diligebat autem » Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. Vt ergo audiuit » quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus: deinde » post hæc dicit discipulis suis, Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli, » Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Respondit » Iesus, Nōnne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non of- » fendit: quia lucem huius mundi videt. si autem ambulauerit in nocte, offen- » dit: quia lux non est in eo. Hæc ait: & post hæc dicit eis, Lazarus amicus no- » ster dormit: sed vado vt à somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius, » Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem » putauerunt quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo Iesus dixit eis ma- » nifestè, Lazarus mortuus est: & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam » non eram ibi. sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus, » ad condiscipulos: Eamus & nos, vt moriamur cum eo. Venit itaque Iesus: & » inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. (Erat autem Beth- » ania iuxta Ierosolymam quasi stadiis quindecim.) Multi autem ex Iudæis » venerant ad Martham & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo. Mar- » tha ergo vt audiuit quia Iesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sede- » bat. Dixit ergo Martha ad Iesum, Domine si fuisses hîc, frater meus non*

*fuisset*

*fuisset mortuus. sed & nunc scio quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi* "
*Deus. Dicit illi Iesus, Resurget frater tuus. Dicit ei Martha, Scio quia re-* "
*surget in resurrectione, in nouissimo die. Dixit ei Iesus, Ego sum resurre-* "
*ctio & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. & omnis qui* "
*viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi, Vti-* "
*que Domine, ego credidi quia tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mūdum* "
*venisti. Et cùm hæc dixisset, abiit, & vocauit Mariam sororem suam silen-* "
*tio, dicens: Magister adest; & vocat te. Illa vt audiuit, surgit citò, & venit* "
*ad eum. nondum enim venerat Iesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco* "
*vbi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & consola-* "
*bantur eam, cùm vidissent Mariam quia citò surrexit & exiit, secuti sunt* "
*eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi. Maria ergo cùm* "
*venisset vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine* "
*si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Iesus ergo vt vidit eam ploran-* "
*tem, & Iudæos qui venerant cum ea, plorantes; infremuit spiritu, & turba-* "
*uit seipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei, Domine, veni & vide.* "
*Et lachrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi, Ecce quomodo amabat eum.* "
*Quidam autem ex ipsis dixerunt, Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci,* "
*facere, vt hic non moreretur? Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit* "
*ad monumentum. erat autem spelūca: & lapis superpositus erat ei. Ait Iesus,* "
*Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius qui mortuus fuerat, Domine,* "
*iam fœtet, quatriduanus est enim. Dicit ei Iesus, Nónne dixi tibi quoniam* "
*si credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidē. Iesus autem eleua-* "
*tis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. ego autem* "
*sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi, vt* "
*credant quia tu me misisti. Hæc cùm dixisset, voce magna clamauit, Lazare,* "
*veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus in-* "
*stitis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus, Soluite eum, & si-* "
*nite abire. Multi ergo ex Iudæis qui venerant ad Mariam & Martham, &* "
*viderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abie-* "
*runt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Iesus.* "

## Senatusconsultum à sapientia & sanctitate carnis initum decretumque factum.

### CAPVT XVIII.

HOMINIS *seipsum amantis, atque ad sui amorem consilia & studia omnia dirigentis, ea est peruersitas, vt eum, à quo de veritate dissentit, maledictis insectetur, & cùm iam redarguere ac superare sapientia, calliditate, simulatione ac dissimulatione, aliisq. artibus desperet, in manifestam erumpat vim, & quo iure, quáve iniuria de medio tollendum curet, idq. agat minimo quàm fieri possit suo periculo,*

*riculo, ac potius cum publicæ vtilitatis prætextu, & postremis industriæ machinationibus adhibitis, hoc est, potentiæ auxilio ad eam rem quæsito, atque adeò de communi re & causa vel persuaso, vel ad summum perterrefacto.*

*Hactenus diuinum Verbum ita suas egit partes, vt in illis nihil quod excipere, nihil quod requirere vel iure vel specie, vel alio colore possit, humana reperire posset industria: concedere autem ac persuaderi, id est, à se ipsa desciscere, atque à proposito diuelli suo, cùm nolit; consequens est, vt in furias insaniamq́ ruat, & sibi sapere ac valere visa in vitiẏ ac morbi sui curatorem ac medicum sæuiat, idq́ sibi maximè profuturum censeat, si de medio tollat eum, qui nocentissima & perniciem afferentia quæque, iucunda tamen pro mentis ægrotantis sensu, vetet: quo remoto tranquillè ac suauiter actum ire se arbitretur. Interim verò dum de hac munienda via deliberatur, si qua melior ac prudentior cogitatio intercesserit, ea peiorū ac deteriorum nequiorumq́ numero ac multitudine & metu oppressa vel nihil audeat, vel parum admodum, vt sibi videtur, profutura sileat.*

Iohan. 11. *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant, Quid » facimus, quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes cre- » dent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentē. Vnus » autem ex ipsis Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis, Vos » nescitis quicquam, nec cogitatis quia expedit nobis vt vnus moriatur homo » pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit: sed » cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit quòd Iesus moriturus erat pro » gente: & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi, congrega- » ret in vnum. Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum. Iesus ergo » iam non in palàm ambulabat apud Iudæos, sed abiit in regionem iuxta de- » sertum in ciuitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis » suis. Proximum autem erat Pascha Iudæorum: & ascenderunt multi Iero- » solymam de regione, ante Pascha, vt sanctificarent seipsos. Quærebant ergo » Iesum: & colloquebantur ad inuicem, in templo stantes, Quid putatis, quia » non venit ad diem festum? Dederant autem Pontifices & Pharisæi manda- » tum, vt, si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eum.*

## Verbū Dei caro factū, Iesus Rex promissus publicè datus ac declaratus à simplicitate salutatur, ab industria repudiatur.

### Capvt XIX.



*E quid verò de salutis humanæ promissis, vel temporū, vel actionum, vel obtestationum, ne quid signi non sibi præstiti obiicere, aut causari importuna hominis calliditas ac stulta argutatio vnquam posset; Regis à se constituti, & ad salutē publicam instructi ac missi præsentiam non tantùm priuatis argumentis ac documentis allocu-*

cutionibus manifestis, non signis & portentis modò, verùm etiam publica mpa testatam declaratamq; Deus voluit, pompa, inquam, non auro, argen-, & gemmis, qualis humanorum esse regum solet, superba, sed conspicua nctisq; notabili ostensione personæ modestissimæ, humillimæ, & vltra om- hominum exemplum placidissimæ & humanissimæ, quam non sua ipsius, d suorum causa natam & exhibitam vel simplicissimus quisque cognosce- t, vt & candidior cognouit animus; callidior verò & contumacior mens, uo magis veritate conuicta est, eo magis indurescit, insanit, & sæuit, ac de Regis maturanda nece coniurat, idq; vnum cum primis diligentissimè it, vt rationem ineat qua sine suo periculo conficere possit.

Et cùm appropinquarent Ierosolymæ & Bethaniæ ad montem Oliuarum, Marci 11. ittit duos ex discipulis suis, & ait illis: Ite in castellum quod cõtra vos est, " statim introeuntes illuc, inuenietis pullum ligatũ, super quem nemo ad- " c hominum sedit: soluite illum, & adducite. Et si quis vobis dixerit, Quid " citis? dicite quia Domino necessarius est: & continuò illum dimittet huc. " t abeuntes inuenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in biuio: & sol- " unt eum. Et quidam de illic stantibus dicebant illis, Quid facitis soluentes " llum? Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Iesus: & dimiserunt eis. Et " xerunt pullum ad Iesum: & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super " m. Multi autem vestimenta sua strauerunt in via: alij autem frondes cæde- " nt de arboribus, & sternebant in via. Et qui præibant & qui sequebantur " mabant, dicentes: Hosanna, Benedictus qui venit in nomine Domini. be- " dictum quod venit regnum patris nostri Dauid, Hosanna in excelsis. "

Hæc non cognouerunt discipuli eius primùm: sed quando glorificatus est Ioan. 12. us, tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei. " stimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo quando Lazarum vo- " it de monumento, & suscitauit eum à mortuis. Propterea & obuiam ve- " ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. Pharisæi ergo dixerunt " semetipsos, Videtis quia nihil proficimus? ecce mũdus totus post eum abiit. " ant autem quidam gentiles ex his qui ascenderant vt adorarent in die " o. Hi ergo accesserunt ad Philippum qui erat à Bethsaida Galilææ, & ro- " ant eum, dicentes: Domine, volumus Iesum videre. Venit Philippus, & " it Andreæ. Andreas rursum & Philippus dixerunt Iesu. Iesus autem " ondit eis, dicens: Venit hora, vt clarificetur Filius hominis. Amen, amen " vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum " m manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat " mam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mũdo, in vitam " rnam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, " & minister meus erit: Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pa- " meus. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, saluifica me ex " hora. Sed, propterea veni, in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuum. " it ergo vox de cælo, Et clarificaui, & iterum clarificabo. Turba ergo quæ "

» ſtabat & audierat, dicebat tonitruum eſſe factum. Alij dicebant, Angelus ei locutus eſt. Reſpondit Ieſus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, ſed propter vos. Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps huius mūdi eiicietur foras. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. (hoc autem dicebat, ſignificans qua morte eſſet moriturus.) Reſpondit ei turba, Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Quis eſt iſte Filius hominis? Dixit ergo eis Ieſus, Adhuc modicum, lumen in vobis eſt. Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis ſitis. Hæc locutus eſt Ieſus: & abiit, & abſcondit ſe ab eis. Cùm autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum: vt ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit, Domine, quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum: vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos. Hæc dixit Iſaias, quādo vidit gloriam eius, & locutus eſt de eo. Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum: ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt è ſynagoga non eiicerentur. dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei. Ieſus autem clamauit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me. Et qui videt me, videt eū qui miſit me. Ego lux in mundum veni: vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit; ego non iudico eum. non enim veni vt iudicem mundum, ſed vt ſaluificem mundum. Qui ſpernit me, & non accipit verba mea; habet qui iudicet eum. ſermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die: Quia ego ex meipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. Et ſcio quia mandatum eius vita æterna eſt. Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor.

## Satanæ per miniſtros & ſatellites ſuos ad Regem cælorum interficiendum occaſio quæſita, inſidiæ exſtructæ.

### Cap. XX.



Vmana malitia & peruerſitas quamquam inſana conſilia & ſtudia ſua, atque inuidam & inimicam mentem aduerſum ſimplicitatem & veritatem diuini Verbi prodat, quamquam omnia ad nocendum ac perdendum tempora & momenta opportunitatis captandæ ſtudio obſeruet; nullam tamen adeò tutam atque facilem inuenire poteſt, quam propter periculi cuiuſpiam cogitationem non metuat & caueat: namque

*namque aperta vi ac manu armata agere propterea veretur, quòd huiusmodi ratio & potentioribus suspecta est, & nimium odiosa minoribus; atque sapientiæ & religionis, quam ipsa præfert, fidem eleuat, ac priuatæ causæ curam arguit nimiam, & alieni commodi vel nominis inuidentiam prodit. Quamobrem dolo atque arte potiùs agendum arbitratur; idq́ impetraturam sese autumat, dummodo sumptui non parcat, si poßit, exiguo; sin verò magno, ad eam rem quàm studiosè molitur: ita vt pecuniæ & largitionis dispendio quolibet voti sui compendium faciat.*

*Neque verò huiusmodi facinus peragi commodiùs posse putatur, quàm corrupto, ad fraudemq́ inducto aliquo ex iis qui Iesu societatem & familiaritatem non ex ipsius amore & gratia, sed ex commodi proprij cupiditate & spe profitentur & frequentant. Nullam enim præstantiorem præsentioremq́ nocendi copiam quæri & comparari posse manifestum est, quàm quæ familiaris cuiuspiam ingenio, mente, & calliditate, atque obseruatione & operâ fit. Nam quisquis is fuerit, qui, Iesu discipuli siue ministri personā gerens, animum cupiditati addictū retineat, is lupi, aut potiùs vulpis more nullum ad prædā tēpus prætermittet, modò fallere & latere, modò tutò rapere poßit.*

*Atqui in Apostolorum Iesu collegio, quamquam exiguo, istiusmodi mente ac studio, moribusq́ præditus aliquis non defuit, qui nomine aliàs honesto vocatus, cognomentoq́ ambiguæ significationis, ad partem deteriorem declinare volens, externam ministrationis operam & speciem simplicibus & probis discipulis haud absimilem dißimillimo animo conferebat: eoq́ tutiùs rem, cui inhiabat, se facturum arbitrabatur, quòd cum candidis & bonis conuersaretur sociorum ingeniis. Nam quamquam ipse vnà cum aliis ad Apostolicum ministerium à Iesu delectus optatusq́ fuisset, ac ministrationis accepisset conditionem; eam tamen non eodem animo parive sedulitate præstabat, sed contrario prorsus studio, non pietatis promouendæ, sed priuati quæstus, eiusdemq́ turpißimi, hoc est, fraude, malo dolo, ac furto & subductione, faciendi. Atque ita, vt Apostolus quidem, Euangelium sicut & cæteri denunciare, & ex communicata sibi per præceptorem virtute miracula edere solebat: ex propria verò libidine & auaritia, quæ in communem vsum ac victum & sumptum faciendum contingerent, fraudare, sibiq́ pro oblatæ copiæ portione seponere, communibusq́ rationibus turbandis suam priuatè solidare atque augere. Adeò verò per consuetudinem atque morem hoc vitij tenaciter acceperat, vt, quidquid ex deliberata ac decreta iam sibi fraudatione deteretur, id tanquam damnum proprium ægrè ferens, vndequaque quocunque modo resarciendum sibi curaret. Ex qua re euenit vt denarios triginta, quos ex occasione quadam exspectare potuit, sibiq́ ereptos aufugisse dolebat, cùm non aliunde commodiùs & citius recipere se posse putaret, Domini ac Præceptoris Magistriq́ sui optimi & innocentißimi, atque adeò beneficentißimi venditione ac proditione vltro solicitata, & inimicis oblata, recuperare minimè dubitaret; nec facinoris immanitatem antea cogitare, nec propositum,*

*antequam peregisset, mutare voluerit, quamquam benignissimè & amantissimè à Magistro nunc monitis, nunc minis & prædictionibus obtestationibusq; reuocatus, atque adeò humanissimo etiam pedum lauandarum beneficio acceptus. Adeò humanos animos auaritia peruertere, transuersosq; agere potest, vt optati & præcepti commodi explendi causa iustitiam pietatemq; prodere, atque humanitatem omnem exuere, & nullum non nefarium facinus aggredi & admittere, imò & sponte obire persuadeat.*

Math. 10. *Duodecim autem Apostolorum nomina hæc sunt: primus Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Iacobus Zebedæi, & Iohannes frater eius, Philippus & Bartholomæus, Thomas & Matthæus publicanus, & Iacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Cananæus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum. Hos duodecim misit Iesus: præcipiens eis dicens: In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed potiùs ite ad oues quæ perierunt domus Israel. Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquauit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscitate,*

Ioan. 6. *leprosos mundate, dæmones eiicite. Gratis accepistis, gratis date. Nónne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est? Dicebat autē Iudā Simonis Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cùm esset vnus ex duodecim.*

Ibid 12. *Iesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis: & domus impleta est ex odore vnguenti. Dixit ergo vnus ex discipulis eius Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus, Quare hoc vnguentum non veniit trecentis denariis, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum; sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebātur, portabat. Dixit ergo Iesus, Sine illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Appropinquabat autem dies azymorum qui dicitur Pascha: & quærebant Principes Sacerdotum & Scribæ, quomodo eum interficerent: timebant verò plebem. Intrauit autem satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim, & abiit, & locutus est cum Principibus Sacerdotum & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis, & gauisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare, & spopondit: & quærebat opportunitatem vt traderet eum sine turbis.*

*Quo verò tempore inuidia, auaritia, ambitio, dolus & fraus, cæteraq; veritati ac bonitati Dei inimicissima vitia vnà cum sapientia & sanctitate*
Psal. 2. *industriaq; carnis aduersus Dominum, & aduersus Vnctum illius coniurata coëunt, eodem tempore Verbum Dei, Patris voluntati obsecutū, pro salutis publicæ causa sese deuotum mortiq; destinatum hostiam vnicam decoram & maximam his Luciferi ministris ac satellitibus feriendam permittit, atque Deo omnium parenti vltro immolādam præbet: & quæ isti in perniciem*

perniciem ipsius auidè, immaniter, atque insanè, imò rabiosè patrabant, eadem vt omnium hominum generi in vitam & immortalitatem, ipsi verò pro cunctis immolatæ victimæ in æternum decus, & maximam gloriam, incomparabilemq; triumphum euaderent. Nullum enim aliud sacrificium pro humano debito suffecturum sibi diuina iustitia declarauerat, præterquam eius, cuius virtute & efficientia omnia facta fuerant, cuiúsque obedientia integram hominibus gratiam pro sua ipsius infinita gratia pareret, & inobedientiæ crimen, quo humanũ genus obrutum erat, ipse luens, perpetua obliuione sepeliens obliteraret. S.S.E. Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. "Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem "crucis. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum; multo magis abundantiam gratiæ, & iustitiæ, & donationis accipientes in vita regnabunt per "vnum Iesum Christum. Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines "in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores con- "stituti sunt multi; ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi. " Philip. 2. Rom. 5.

In operis huius prima parte cùm de humani status conuersione dissereremus, eam mortem quæ animam à corpore soluit, illi priori animæ morti diuinæ sapientiæ consilio additam, eandemq; magnæ misericordiæ adscribẽdam, commonstrabamus. Namque in tanta causa diuinæ iustitiæ legibus atque auctoritati satisfactum oportuit; & mãdatorum violationem, mortis iam prædictæ pœna vindicari consentaneum fuit. id verò vti demum conficeretur, corporis morte inuenta, decreta, ac permissa adornabatur, idemq; arcana illa comminatione ac prædictione antiquo hosti & callido serpenti significatum est: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semẽ illius: & ipsum conteret caput tuum. Verùm enimuero quemadmodũ hoc aliquando confici posset, nunquam hosti illi, quamquam astutissimo, in mentem venit, quippe cui diuina sententia certa immutabilisq; haberetur: In quacunq; die comederis ex eo, morte morieris. Nec verò fieri posse vllo pacto visum est, vt quod ipse, inducta in homines morte, sibi regni atque iuris pepererat, iusto & aperto iudicio citra manifestam vim detraheretur; vim verò à diuina iustitia prorsus alienam nouerat. Quamobrem perpetuum sibi constiturum suum regnum arbitrabatur: sed neque illa posteriùs adscita & adiũcta corporis mors de iuris atque imperij sui stabilitate, firmitate, & constãtia quicquam vereri, vel minus dederat sperare: imò eandem ipsam ad suas accedere parteis arbitratus, non modò libens admisit, verùm magno studio, assiduaq; operâ promouendam suscepit. Adiunctam quippe mortem, vim potiùs ac perpetuitatem priori morti allaturam, quàm aliud quippiam aduersum intelligebat: adeoq; gaudebat hominem quem ipse industria operaq; sua perditum vni subdiderat morti, iam alteri quoque morti diuina iustitia euasisse ad- Genesis 3. Ibidem.

 dictum

*dictum, ex decreto illo,* CINIS ES, ET IN CINEREM REVERTERIS, *cuius etiam mortis quoque se non secus atque prioris illius ministrum, satellitem, & solicitatorem præbere constituit, maximè aduersus eos omnes quos pietate, probitate, & virtute à vulgari exemplo semotos, & cæteris hominibus præstantes offenderit; id quod ab ipsis vsque primis humani generis natalibus, atque adeò ab Abelis nece inceptum (vt propositi pertinacißimus est) perpetuò agere, suasq; inimicitias omnibus exemplis ostendere nunquam destitit. Nec verò quenquam hominem pari odio, contentione simili, adeò frequentibus & instructis copiis & opibus prosecutus & persecutus est, atque hunc Iesum Dauide Rege prognatum: quem vti Filium Dei esse acceperat, ita omnium hominum innocentißimum, sanctißimum, & optimum nouerat, eundem Christum, & humani generis Magistrum & Procuratorẽ vnicum intellexerat; tamen, quod ad carnem attinet, infirmum & mortalem explorauerat. Atque ea parte qua minorem nouerat, sibi ad insidias & necem patere posse autumans, omnibus modis & artibus, vel vi, vel dolo ac fallacia perdere curabat, S. S. E. Et tu insidiaberis calcaneo eius. Calcaneum enim illius, qui promissus erat, hominis diuini, inferiorem posterioremq; partẽ, hoc est, corpus, corporisq; membra externa, appellabat oraculum. Hoc itaque ille instanter ac pertinaciter agebat, vt optimum quodq; membrum ex mulieris prognatum semine, id est, egregium sanctumq; virum quemcunque aspiceret, callidi & astuti pectoris odio premere, & malefico ac mortifero dente lædere minimè cessaret. Eamq; rem quamquam iniusto studio & improba contentione sibi factitatam, quemadmodum sibi in perniciem aliquando timeret euasuram, non planè perspiciebat: ideoq; magis indies vrgebat, omnibusq; malis commentis & machinationibus promouere conabatur, adeò enim sapientiæ fidebat suæ, adeò innitebatur industriæ, vt, qui mortis in orbem inducendæ sibi peritißimus videbatur artifex, nihil prius, antiquius, ac magis è re sua duceret, quàm mortem morti additam frequentißimam & creberrimam piis omnibus moliri: namq; posteriorem hanc nihil sibi detracturam, imò profuturam existimauerat; quippe quæ piis omnibus pietatis exercendæ, docendæ, ac monstrandæ cursum interciperet, impiis verò ad pœnitentiam præcluderet aditum. Ex huiusmodi autem consilio illa satanæ ministrorum oratio profecta notatur. Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Grauis est nobis etiam ad videndũ, quoniam dißimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ eius. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris tanquam ab immunditiis, & præfert nouißima iustorum, & gloriatur Patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones eius veri sunt, & tentemus quæ ventura sunt illi, & sciemus quæ erunt nouißima illius. Si enim est verus Filius Dei, susci-*

Sap. 2.

*suscipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius. Hæc cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum. Et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem sperauerunt iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum. Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Inuidiâ autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* " " " " " " " " " " Verùm enimuero istam de posteriore morte sententiam, atque tam longam diuturnamq; experientiam, quæ quædam quasi suarum firmissima rerum securitas diabolo comparata existimabatur, suæ ipsius ruinæ ac tyrãnidis exitium tandem exstitisse, tandem compertum est, singulari periculo vltro adito, atque sibi ipsi conflato; quippe cui, quamuis multarum artium ac præcipuè mortis peritissimo, tamen quænam vis, quantaq; vitæ efficacitas esset, prorsus ignorabatur. S.S. E. *In ipso vita* Ioan.1. *erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* " "

# Cælorum Rex ipse pro salute publica vltro deuotus ac donatus, hostiaque constituta. CAP. XXI.

LONGÆ ac diuturnæ inter verbum Dei & Satanæ sapientiam litis demensis ac peractis spatiis, maturati iudicij tempus accessit, quo vtraque litigantium pars postremum sapientiæ suæ ad causam pertinentis documentũ datura & confirmatura erat. Summa verò totius rei ratio illa fuit, vt alter mortem morte cõfirmaret; id quod pronum ac promptum consentaneumq; satanæ sapientia & calliditas præceperat: alter verò mortem subiens & ferens atq; deglutiens, mortem ipsam occideret ac perderet; rursus verò restitutam homini vitam victricem sisteret & stabiliret: id quod sese demum effecturum diuinum Verbum longè antè receperat. *Dolores parturientis venient ei. Ipse filius non sapiens: nũc* Osea 13. *enim non stabit in contritione filiorũ. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne.* " "

*Præcipitabit Dominus in colle isto faciem vinculi colligati super omnes* Isaia 25,7. *populos, & telam quam orditus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternum: & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra: quia Dominus locutus est. Et dicet in die illa, Ecce Deus noster iste; exspectauimus eum, & saluabit nos: iste Dominus; sustinuimus eum, exultabimus & lætabimur in salutari eius. Quia requiescet manus Domini in monte isto: & triturabitur Moab* " " " " " "

„ *sub eo, sicuti teruntur paleæ in plaustro: & extendet manus suas sub eo, sicut*
„ *extendit natans ad natandum: & humiliabit gloriam eius cum allisione ma-*
„ *nuum eius. & munimenta sublimium murorum tuorum concident, & hu-*
„ *miliabuntur, & detrahentur in terram vsque ad puluerem.*

*Humano generi mortem illam teterrimam ex mali ac boni cognitione studiosè affectata, atque in rem suam præter præscriptum & imperium vsurpata accidisse, iam compertum exploratumq́ fuit; ita vt culpa omnis obedientiæ defectu, & legis detrectatione definienda sit. Ex quo illud etiam euenit, vt eius etiã vitæ, qua animale corpus fruebatur, perpetuus adimeretur vsus; via per Angelum & flammeum gladium intercepta & occupata, atque omnino negata, qua vitæ arbor, in amœnißimo horto sita, peti repeririq́ posset, quæ ad viuendi facultatem instaurandam ab initio concessa fuerat. Huius verò grauißimi communis ac publici mali remedium vnicum constitutum ex mera misericordia fuit: Videlicet vt Vita vera & solida, quæ humanæ obeditionis defectu amissa fuerat, sese ipsa vltro hominum generi sistens & offerens proponeret, eademq́ interclusam ad se viam patefaciens indicaret, ac demum in vsum daret eadem lege obtinendam, quam ipsa in terras veniens subiret, hoc est, obedientiæ & fidelitatis erga Dei iussa. Iussorum verò huiusmodi ratio argumentumq́ fuit, vt Vita ipsa sese hominibus in vsum cibumq́ præberet; eadem rursus humanam mortem degustans & exhauriens occideret; atque vtriusque permutatione sortis, vtraque pars & mortem subiret, & vitæ euaderet compos: altera quidem suam ipsius vitam retinens, & homini communem faciens; altera verò mortem suam in Verbum reiiciens, & Verbi vitam sibi communicatam accipiens, & perpetua obseruatione custodiens, exuta iam & relicta veteris hominis conditione, & in exemplum nouæ creaturæ mutata, atque in filij Dei adoptionem legitimam conscripta. Huius autem tanti beneficij copia à Dei Verbo huiusmodi sermone proponitur;* EGO SVM VIA, ET VERITAS, ET VITA. *Nemo venit ad* (Iohan. 14.)
„ *Patrem nisi per me. Atqui hanc sui communicationem veram, solidam,*
„ *ac statam reapse constantem, ac planè diuinam, hoc est, singulari sancti*
*Spiritus præsentia & virtute efficiendam, idem ipse declarat. Amen* (Ioan. 6.)
„ *amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis*
„ *vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto: & mortui sunt. Hic*
„ *est panis de cælo descendens: vt, si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.*
„ *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc*
„ *pane, viuet in æternũ: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*
„ *Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis car-*
„ *nem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico*
„ *vobis, Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sangui-*
„ *nem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit*
„ *meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouißi-*
„ *mo die. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. qui*

man-

*manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in mē manet, & ego in " illo. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui man- " ducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis qui de cælo descendit. Non " sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui mandu- " cat hunc panem, viuet in æternum. Hæc dixit in synagoga docens in Caphar- " naum. Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic ser- " mo, & quis potest eum audire? Sciens autē Iesus apud semetipsum quia mur- " murarent de hoc discipuli eius, dixit eis, Hoc vos scandalizat? Si ergo vide- " ritis Filiū hominis ascendentē vbi erat priùs? Spiritus est qui viuificat: caro " non prodest quicquā. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. "*

*Verùm enimuero diuinum promissum hoc à Iesu Christo sæpius prædi- ctum & repetitum, quemadmodum præstari posset, in reconditis diuinæ sa- pientiæ arcanis vni trinoq́ Deo cōstitit; aliis verò omnibus naturis, quæ in- tellectione ac ratione valent, per omnes antea ætates incognitum, nulliq́ vel ex sublimioribus & cælestibus animis, vel ex sapientissimis hominibus in- dicatum: atque ita ipsi quoque, quamuis callidissimo, diabolo ignotum fuit, vtpote quod suæ sapientiæ atque litis & causæ omnis, atque adeò iuris dolo malo parti ruinam & exitium contineret. Idem verò postquam expeditum præstitumq́ demum fuit, vsu ipso & manifesto constanteq́ ac frequente exemplo patefactum est. Id quod variis in locis qui assecuti sunt, vario ser- mone testantur. Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea* Coloss. 1. *quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Eccle- " sia: cuius factus sum ego minister, secundùm dispensationem Dei, quæ data " est mihi in vobis, vt impleam verbum Dei,* MYSTERIVM *quod abscon- " ditum fuit à seculis [antiquis] & generationibus [Angelorum & hominū] " nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas face- " re diuitias gloriæ Sacramenti huius in Gentibus, quod est Christus, in vobis " spes gloriæ, quem nos annunciamus. "*

*Hoc igitur arcanum promissum, multiplicis quondam imaginis obscuri- tate inuolutum, in postrema Iesu Christi rituali & solenni cœna semel in omnium hominum salutem expeditum & confectum, ac sacrosancto admi- randoq́ modo atque insigni perpetuo mysterio constitutum fuit. Cuius vt aliqua nobis aperiatur notitia, imago quædam ex antiquis monumentis repe- tenda & breui sermone exponenda est, quæ ad aliarum etiam imaginum ve- stigandam significationem, opportunæ lucis vsum commoditatemq́ præbebit.*

*Plagarum omnium, quas multas Aegyptiam tyrannidem accepisse legi- mus, postrema grauissimaq́ fuit primogenitorum communis ac publica cla- des, cuius beneficio atque vi Israelitis captiuis & oppressis libertas demum & salus cum summa totius populi integritate & incolumitate conciliata est: vt in ipso inimicorum communi & grauissimo de amissis primogenitis luctu, nullius neque quadrupedis quidem primus partus apud Israelitas re- periretur. Atque hanc in communi totius terræ calamitate exceptionem*

*Israelitis tantùm contingere Deus voluit, duabus tamen legibus, altera credendi ac fidendi virtuti ac voluntati diuinæ, altera occidendi per singulas domus agni pari & certo ritu faciendi ab omnibusq; familiaribus comedendi: cuius arcani ac sacri epuli quisquis purè ac ritè particeps fuisset, diuinæ liberationis & salutis compos etiam fore prædicabatur. Atque exceptionis illius obseruandæ causa iussus est populus vniuscuiusque domus ianuarum postes & supercilium eiusdem, qui mactatus ibidem fuerat, agni sanguine tingere: quo conspecto signo, Angelus passim percutiens manum à plaga illis domibus inferenda abstineret. Id verò vti rectè atque diligenter factitatum ab illis fuerat, ita etiam exactè ab Angelo obseruatum euentus ipse declarauit.*

Exodi 11. *Hæc dicit Dominus, Media nocte ingrediar in Aegyptum: & morietur omne primogenitum in terra Aegyptiorum, à primogenito Pharaonis qui sedet in solio eius, vsque ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam, & omnia primogenita iumentorum. Eritq; clamor magnus in vniuersa terra Aegypti, qualis nec antea fuit, nec postea futurus est. Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine vsque ad pecus: vt sciatis quanto miraculo diuidat Dñs Aegyptios & Israel. Atq; huiusmodi miraculum publicam Israelitarum libertatem consecuturam Deus pollicitus fuit. Descendentq; omnes serui tui isti ad me, & adorabũt me, dicentes: Egredere tu, & omnis populus qui subiectus est tibi: post hæc egrediemur. Factum est autẽ in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti, à primogenito Pharaonis qui in solio eius sedebat, vsque ad primogenitum captiuæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. Surrexitq; Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctaq; Aegyptus, & factus est clamor magnus in Aegypto, neque enim erat domus in qua non iaceret mortuus. Vocatisq; Pharao Moyse & Aaron nocte, ait: Surgite, & egredimini à populo meo vos, & filij Israel: ite immolate Domino sicut dicitis, Oues vestras, & armenta vestra sumite, vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi. Vrgebantq; Aegyptij populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur.*

*Huius autem diuini tum in Aegyptios iudicij, tum in Israelitas beneficij monumentum similis agni eodem ritu quotannis faciendi celebratione instaurandum Deus mandauerat, quo & externæ illius libertatis recordatio cum gratulatione repeteretur, & internæ animorum salutis arcano percepta symbolo, fides & exspectatio conseruaretur. Quam salutem, cùm tempus iam maturum foret explicando mysterij illius inuolucro, re & veritate præstandam & explicandam in sese Verbum Dei receperat.* Isaiæ 53. *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Dominus in EO iniquitatem omnium nostrûm. Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Atque hic idem agnus est quem totius mundi peccata sublaturum Iohannes Baptista testabatur.*

*Et antiquæ illius externæq; libertatis ratio ita vti commemorauimus, explica-*

plicata fuerat, maximæ verò ac publicæ internæq; salutis negotium, cuius illa fuit imago, ab eodem diuino Verbo susceptum, simili quidem obseruatione, verùm longè præstantissimis rebus impensis gestum, tractatum, & confectum fuit. Cuius peragendi formam & seriem, recensita iam imagine, breuiùs indicabimus; plenam verò & integram cognitionem ex diuino Spiritu tanti beneficij conciliatore, iis, qui nostra operâ candidè ac sincerè vti voluerint, petendam, studioseq; poscendam suadebimus.

Igitur vniuersum hominum genus interim, dum primorum parentum naturam & sortem, qualem post primum peccatum subitam intelleximus, retinet; qua conditione, quibusq; vitiis præditum fuerit, cùm ex primo huius operis libro repetere agnoscereq; facile sit, hoc loci referre longior esset labor: satis verò opportunum & commodum fuerit, ad Ægyptiacæ tyrannidis faciem & exemplũ illius descriptionẽ sortis reuocare, vt illud tamen animaduertamus, calamitates & ærumnas miseriasq; omnes Israelitarum cum iis, quas humanus animus vitio obnoxius fert, comparatas, vmbræ & imaginis magis & spectaculi in theatro ante oculos editi, quàm rerum & veritatis instar habere: denique tanto illas istis leuiores ducendas, quanto externa internis, fluxa & breuia perpetuis, corporibus nocentia, animas lædentibus & occidentibus, ex ipsarum rerum natura & æstimatione minora sunt; denique quantum animus & spiritus corpori præstat. S. S. E. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Quo diuino monitu nihil peccato & peccati parẽte appetitu magis perniciosum magisq; formidandum esse docemur. Istius autem miseræ, obscuræ, & calamitosæ conditionis neminem ex Adami sanguine naturali nascendi ordine prognatũ hominẽ sua sponte ac virtute expertem euasisse, præterquã quod res ipsa arguit, & peritissimi quique humanarum rerũ dolentes confessi sunt, Spiritus ipse etiam sanctus identidem in sacris foliis declarat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea. Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua: &, Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.

Matth. 10. Psal. 50. Gen. 8. Psal. 13. & 52.

Ab ista publica & communi hominum impuritate & nota vnus tantùm Iesus ille Nazarenus immunis prorsus & alienus natura propria exstitit, quippe quà Deus erat, purissimus atque tenebrarum omnium & mortis expers, æternus, perfectus, atque infinita virtute & vita singularitatem suam in se continens mansit; quà verò homo, hominibus Adamo deductis cætera similis, præter peccatum, quod hærere non potuit sanctissimo sine patris hominis operâ ex purissimæ virginis concepto sanguinibus, iisdemq; non vulgato & humano modo in carnem concretis, sed admiranda, diuina, & singulari diuini Spiritus efficientia & Altissimi virtute: ita vt ex hac quoque sui parte Dei Filius verè audiret, & vltra omne hominum exemplum Sanctus diceretur Domini, id est, suprema diuinaq; sanctitudine ab omni mortaliũ

*exemplo & comparatione separatus. & ille quidem verè homo idemq; Adami, hoc est, hominis filius vocari poterat, imò & huiusmodi cognomento se ipse plerumq; dictitabat; qui tamen Adami naturam non istam posteriorem, vitiosam, & impensè imminutam obtineret; sed illam potiùs priorem integram repræsentaret, quam primùm creatus Adamus ex diuina auctoritate & efficientia sortitus fuerat. illa enim verus homo vtraque hominis parte mascula & femina rectißimè & appositißimè concinnatus perfectúsque constiterat, si sui superioris partis dignitatem tueri, quàm inferioris appetitioni & suasioni indulgere, maluisset. Tale itaque integritatis, virtutis, ac dignitatis primi illius & prisci Adami nouum inusitatumq; ante se exemplum à Iesu Christo repræsentatum, & maxima etiam diuinæ naturæ cū humana, in vnamq; personam coniunctæ amplitudine exornatum, sacrosancti*
Lucæ 3. *Euangelij Scriptores commemorant: Vt putabatur, filius Ioseph, qui fuit*
» *Heli, qui fuit Matthat, &c. qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.*

*Atq; diuinæ & humanæ naturæ in vnico Iesu vncto tanta, tam singularis & præstans cōiunctio fuit, vt præter omnē sapientiæ & ratiocinationis, dissertationis, atq; adeò cogitationis nostræ vsum & facultatē ea quæ nec conferri nec dici posse antea censebantur, iam deinceps de illo collata consideratáq; dici nihil obstet, cuiusmodi sunt, Deus homo, Homo Deus; Homo immortalis, Deus mortem subiens; Deus hominis Pater, Dei Filius homo, idemq; hominis filius; idem non creatus, idem genitus; idem æternus; idemq; in tempore natus; moriturus idem, vitam idem conseruaturus & obtenturus; eodem tempore animam vltro positurus, eandem non relicturus, ac rursus, cùm velit, recepturus: & plurima in hoc argumentum alia, quæ acutißimis quibusq; ac dexterrimis ingeniis admirationem stuporemq; potiùs faciant, quàm modum ac finem vllum constituant.*

*Hac, quam modò indicabamus magis quàm describebamus, natura atq; virtute constantem nouum hominē, Agnum illū qui pro cæteris Adami veteris filiis diuinæ iustitiæ suffecturus esset, orbi terrarū à Deo cōcedendum, antiqua oracula arcanis responsis indicabant, & apertis poscebant votis.*
Isaiæ 64. *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes: à facie tua montes defluerent;*
» *sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni, vt notum fieret nomen*
» *tuum inimicis tuis: à facie tua Gentes turbarentur. Cùm feceris mirabilia,*
» *non sustinebimus: descendisti, & à facie tua montes defluxerunt. A seculo*
» *non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus absque*
» *te, quæ præparasti exspectantibus te. Occurristi lætanti, & facienti iustitiā:*
» *in viis tuis recordabuntur tui: ecce tu iratus es, & peccauimus: in ipsis fui-*
» *mus semper, & saluabimur. Et facti sumus vt immundus omnes nos, &*
» *quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ: & cecidimus quasi foliū*
» *vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos, &c.*
Ibid. 45. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum; aperiatur terra, & germinet*
» *Saluatorem: & iustitia oriatur simul. Ego Dominus creaui eum.*

Com-

# Communionis inter nouum & veterem hominem sacrosanctum arcanum. Cap. XXII.

VT *promissa quondam Israelitis libertate ij omnes ex diuino don potiti sunt, qui dedicati agni carne & succo rite communicauere & sanguine etiam postes curauere notandos; ita etiam diuinæ sapientiæ consilio fuerat constitutum, eos, qui Agni illius cælestis carne & sanguine pasti essent, à mortis æternæ seruitute & conditione ad vitæ diuinæ & immortalis communionem traducere. Hanc verò communionem ipse Agnus Dei, diuinum Verbum, ex quo primùm tanti negotij obierat & susceperat curationem, hoc est, ab ipso vsque promissionum principio, peragere, conficere, & præstare optauerat: ea demum præstita, cætera omnia, quæ salutem publicam spectabant, constituto ordine ac modo persoluturus.*

*Exacto igitur iam & ad finem perducto antiquarum imaginũ & significationum externo cultu & spectaculo, nouam rerum faciem atque ipsam veritatem editurus & præstiturus Iesus, totius hominum generis personas primùm iis quos discipulos & Apostolos optauerat imponens, ac diuina virtute exactissimè adaptans, carnis & sanguinis, quibus purissimis & sanctissimis suũ ipsius constabat corpus, vsum, vim, & veritatem impertitus indulsit: vt quemadmodum ex primo illo vetere homine posterorum omnium caro sanguisq́; deducebatur; ita ex ipsius carne & sanguine in spiritu ac veritate communicatis, ij, quos in mẽbra sua ipse aptabat & concinnabat, admirando ac diuino arcanoq́; constarent modo, & vitæ æternæ cõpotes effecti, vnà cum ipso viuere ac regnare perpetuò possent. Quam quidem ad absoluendam rem duo eodem tempore officia auctorem salutis præstare oportuit: Alterum, vitæ & sanctitatis communicationem suæ; alterum verò, eorum, quos expiandos ac seruandos susceperat, mortis ac peccati repræsentationem; atque vtriusque rei comparatione totius hominum generis parteis peragere. Namque mortis legi nullo alio quàm mortis pacto satisdari, satisue fieri posse, diuina iustitia decretum fuerat: quam mortem cùm caput hoc, quod minimè debebat, pro debentibus sibi iam in membra coaptatis & concinnatis obiret, propter virtutis atque naturæ suæ infinitudinem abunde expiaturus, & mortem eandem moriendo occisurus fuit. Vt enim diluuio omne humani generis scelus, vnà cum hominum carne omni quæ sub cælo erat, exstinctum abolitumq́; fuisse legimus: ita quoque sanguinis & aquæ ex Agni mẽbris inundante effusione omniũ veterum hominum vita simul cum vitiis abolenda erat. Neque verò satis fuerat hominũ genus vnà cum propria morte sublatũ exstingui, nisi idem in vitam regeneratum emergeret, ac demum transacto diluuij tempore exstaret: aliàs enim mortuum perpetuò mansurũ æterna vastitate mundum damnatũ relinqueret. Sed cùm vitam propriam hominum*

genus nullam haberet, quippe quam iam inde ab initio in morte amiserat, ab ipsa vita liberali dono acceptam obtinuit, cuius munere ac virtute & mortem subire in fide atque spe resurgendi, & viuum demum exstare potuit. Vtrumque itaque priùs factum compositumq́; oportuit, vt & vita ipsa sese mortuis præbens indulgeret, & ipsa mortuorum nomen omne exsoluendum, & eorundem mortem susciperet, atque hoc pacto & suas, & suorum sustinens partes, debitæ ab ipsis mortis perferret supplicium, & propria viuendi & permanendi virtute coniuncta sibi ex hominibus membra in vitam nouam, hoc est, suam à se communicatam reuocaret. S. S. E. Eum qui modico

Hebr. 2. » quàm Angeli, minoratus est, videmus Iesum propter paßionem mortis, glo-
» ria & honore coronatum: vt gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem. De-
» cebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios
» in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum, per paßionem consummare.
» Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes. Propter quam
» causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum
» fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te. Et iterum, Ego ero fidens in
» eum. Et iterum: Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus. Quia ergo
» pueri communicauerunt carni & sanguini [Agni Dei] & ipse similiter
» communicauit iisdem [carni & sanguini puerorum] vt per mortem [suam,
» illorum nomine subitam] destrueret eum qui habebat mortis imperium, id
» est, diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij
» erant seruituti. Nusquam enim Angelos apprehendit: sed semen Abrahæ
» apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similari: vt misericors fieret,
» & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim in
» quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.

Hoc autem publicum & commune in hominum genus cõmunicandæ propriæ vitæ, & illorum suscipiendæ & exstinguendæ mortis beneficium, cuius causa Verbum Dei in carne manifestatum est, in postrema, vti paulo antè significabamus, veteris ritus, eademq́; prima noui fœderis cœna editum fuit admirando & perpetua obseruantia recolendo panis ac vini Sacramento, in quo arcana spirituali ac diuina veritate carnem propriam & sanguinẽ præbuit suum, & rursus eorum, quos ita iam affecerat, carnem & sanguinem idem ipse accepit. Hoc verò quemadmodum ab origine prima decretum atq; adornatum reapse tandem expeditum fuerit, à cæteris Euangelij Scriptoribus breuiore, à Luca verò explicatiore narratione describitur.

Lucæ 22. Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit
» Petrum & Iohannẽ, dicens: Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus.
» At illi dixerunt, Vbi vis paremus? Et dixit ad eos, Ecce, introeuntibus vo-
» bis in ciuitatẽ, occurret vobis homo amphoram aquæ portans: sequimini eum
» in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus, Dicit tibi Magi-
» ster, Vbi est diuersorium vbi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse
» ostendet vobis cœnaculum magnum stratum: & ibi parate. Euntes autem,

inue-

inuenerunt sicut dixit illis, & parauerunt Pascha. Et cùm facta esset hora, «
discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. & ait illis, Desiderio desideraui «
[à constitutione mundi] hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. «
Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur [re & «
veritate] in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & «
diuidite inter vos. dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, do- «
nec regnum Dei veniat. Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit «
eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. hoc facite in meam «
commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic est «
calix nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. «

Itaque in illo arcanæ cœnæ Sacramento & corpus & sanguinem suum verum ac viuum hominibus verè ac diuinè præbuit, & hominũ omnium vitiosam carnem corruptumq́; peccatis ac noxium sanguinem ipse magno mysterio suscepit, atque ita corpus sibi concinnauit, quod sua innocenti ac viua propriaq́; natura, & adiuncta etiam modò sibi atque imposita mortalium ac vitiosorũ hominum conditione, repræsentatione, ac vice constaret. Atq; hoc pacto viuus immortalisq́; idem, purus, & insons, immunis prorsus idem, atque adeò ipsa vita, rursus verò pro iis quos redimendos susceperat, maledictum, reus atque peccatum, mortalis, ac denique mortis perdendæ causa mors factus constitutúsque fuit. S. S. E. Ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero Oseæ 13.
inferne. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Esaiæ 53.
Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit: & «
posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse «
voluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionẽ ducetur, & quasi agnus «
coram tondente se, obmutescet, & non aperiet os suũ. De angustia & de iu- «
dicio sublatus est: generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra «
viuentium: propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepul- «
tura, & diuitẽ pro morte sua: eo quòd iniquitatem non fecerit, nec dolus fue- «
rit in ore eius. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. si posuerit «
pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in «
manu eius dirigetur. Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & saturabi- «
tur: in scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates «
eorũ ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro «
eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: «
& ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit. «

Atqui earum omnium rerum quas in hominũ vsum terra procreat, duo illa panis ac vini genera ad hoc publicæ redemptionis Sacramentum constituendũ commoda, opportuna, & maximè habilia aptaq́; probantur. Siquidem panis ex multis frumenti granis, iisdemq́; cõmolitis, & in vnũ corpus subactis & compactis ita conficitur, vt nullam sibi granum aliquod partem secretã ac seiunctã vendicet; sed & cum aliis cõmunicatam granis, & aliorum quoque granorum substantiã & virtutem sibi communicatam & commixtam

mixtam

*mixtam agnoscat: qua ex mixtione & cõmunicatione panis euadit vnus vno corpore, eodẽ sapore, colore, pondere, & eiusdem virtutis atque efficacitatis cõmunione constans: idem verò ciborũ omniũ, qui hominibus familiares in vsu habentur, ad humanã carnem alendã, nutriendã & fouendã vltra cæteros omnes qui noti sunt, præcipua quadam virtute pollet. S.S.E. Et panis cor hominis confirmat. Ex potionibus autẽ quæ hominibus vsurpantur, nulla ad augendũ, fouendũ, & spiritu incitandũ sanguinẽ efficientior quàm vini est; vini, inquam, ex vuarũ succo, qui & idem vuæ sanguis appellatur, coaliti & confecti: cuius etiã (vti de pane iam diximus) natura non ex vno aliquo vuæ acino, sed ex multis in vnũ liquorẽ expreßis vuæ baccis confectũ liquorem vnum, colorem, odorem, & saporem eundẽ continet & exhibet; idemq́ suam vim humano cordi præcipuè communicat, atque ex cordis adaucto & excitato spiritu in venas omnes delatum, & sanguini commixtum, calorem auget, quo se etiam in sanguinis naturam concoqui & immutari patitur. S.S.E. Et vinum lætificet cor hominis.*

Psal. 103. | Ibidem.

*Atqui animantium vita cibo, potione, & spiritu tenetur, iuxta vniuscuiusque generis naturã & facultatem: ex omniq́ illa ciborũ infinitate panis proprius ac præcipuus homini contingit, cui vini additum poculum, ea quæ commemorata sunt, præstat. Quamobrem frumenti ac vini copia cæterarum omnium rerum, quæ ad vitam alendam comparantur, maximè expetitur & commendatur. S.S.E. A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt. Igitur vt qui vno eodemq́ simul vescũtur & pascuntur pane, cõmuni victu & vita atq́ intima & familiarißima sodalitate & societate vti ac frui iure dicuntur; item qui eodem ex poculo idem vinũ bibendo hauriunt, non amicitiam tantùm, sed neceßitudinem præferre & profiteri indicantur: ita etiam quibus Iesu Christi corpus veritate ac spiritu donatũ & communicatũ est, virtus etiã & vis atque vita spiritu & veritate tribuitur, iisdemq́ pariter ad sanguinis Christi potionẽ verè admißis, puritatis atque innocentiæ virtutisq́ veritas arrogatur. Id autẽ quod signo ac Sacramento externo verè ac seriò conficiebat Iesus, virtute quoque & efficientia diuina & arcana participibus suis præbebat, sui ipsius corporis atque sanguinis communicationem illorũ corpori ac sanguini impertitus, rursus verò eodẽ Sacramento iisdemq́ panis ac vini cibo atque potione manifestis, eorum, quibus iam sese præbuerat in escam & poculum, carne & sanguine inter ipsos communicatis, ipse quoque vescens & bibens, ac sibi hoc modo conciliatis & susceptis, vt vtrarũque cõmunicatione partium vnus idemq́ agnus mortalis & immortalis, reus & liber, purus ac deuotus, hostia pro omnibus constituta, occisus in carne, Spiritu sancto incensus, iustitiæ Dei sufficeret, atque eorũ, quos mortuos susceperat, exstincta & abolita morte, postea, propria vita resumpta, membra sua omnia, quibus propriam cõmunicarat virtutem, eodẽ iure viua secum relata constitueret, & ab omni iam deinceps mortis æternæ lege redempta, & in filiorum Dei libertatem secũ gratis asserta sisteret. In his autem mundi huius*

Psal. 4.

Prin-

*Princeps nihil damnationis reperturus postea erat, quos non iam Adami illius prioris de terra terrena, sed huius noui de cælo Adami cælestia mẽbra euasisse deprehenderet; atque ita dum ille mortem huic innocenti & vitæ Principi molitus inferendam tanto studio curauisset, suos eadem operâ, hoc est, morti destinatos atque regno suo addictos homines in illo mortis & sanguinis Christi diluuio exstinctos & abolitos deinceps requirens, nullos reperiens, supra pectus proprium sese reptasse, ac terram comedisse, insidiatumq́ seminis mulieris calcaneo, caput proprium contritum retulisse perpetuò sentiens doleret; ac nihil demum in resurgente Christo quod amplius insectaretur habens, diuinâ Iustitiâ sese mortis imperio deiectum, & hominum ac mundi huius dominatione abdicatum, pulsum, atque insipientißimæ insipientiæ conuictum damnatumq́ agnosceret, inuitusq́ confiteretur.*

*Præterquam verò quòd hoc sacrosancto mysterio, cui Eucharistiæ nomen inditum est, hominũ genus ad sacrificium mortis, & ad resurrectionẽ vitæ susceptum, æternis caritatis & gratulationis legibus ac vinculis summo iure alligauit sibi Iesus, & perpetuæ seruituti in spiritu ac veritate addixit, eorundem quoque societatem & communionem ita deuinxit, ita compositã & coniunctam voluit, vt nihil maiori dilectionis neceßitudinisq́ sorte vinciri posset, quàm homines ipsi inter se, vtpote qui ab illius Adami veteris dißidente & varia ac multiplici posteritate iam mutati, in vnius Parentis Dei domũ Christi fratris operâ adoptati, imò eiusdem optimi & sanctißimi capitis membra omnes in vnũ corpus concinnata coaluissent. Atque huiusmodi verbi, Eucharistia, significatio est, Gratiæ videlicet & charitatis Dei erga homines, hominum aduersus Deum grati flagrantisq́ amore animi, & ipsorum inter se hominum beneuolentiæ summæ ac mutuæ.*

*Cuius quidem explicationis atque adeò omnis huius arcanæ rationis argumentũ compluribus diuinorum Scriptorũ locis nunc breuiter adstrictum, nunc latiùs deductum obseruare est. Ego accepi à Domino, quod & tradidi* 1 Cor.11.
*vobis: quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, &* "
*gratias agens, fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum,* "
*quod pro vobis tradetur. hoc facite in meam commemorationẽ. Similiter &* "
*calicem postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouũ Testamentum est in meo* "
*sanguine. hoc facite, quotiescunque bibetis, in meã commemorationẽ. Quo-* "
*tiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Do-* "
*mini annunciabitis, donec veniat. Sicut enim in vno corpore multa mem-* Rom.12.
*bra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi* "
*vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* "
*Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne cõmunicatio sanguinis Christi* 1 Cor.10.
*est? Et panis, quẽ frangimus, nónne participatio corporis Domini est? Quo-* "
*niam vnus panis, vnũ corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participa-* "
*mus. Videte Israel secundùm carnẽ, nónne qui edunt hostias participes sunt* "
*altaris? Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem* Ibid. 12.

» membra corporis cùm ſint multa, vnum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus.
» Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum baptizati ſumus; ſiue Iudæi, ſiue
» Gentiles; ſiue ſerui; ſiue liberi, & omnes in vno Spiritu potati ſumus. nam
Ephes. 2. & corpus non eſt vnum membrum, ſed multa. Ipſe enim [Chriſtus] eſt pax
» noſtra, qui fecit vtraque vnũ, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimi-
» citias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in
» ſemetipſo in vnum hominem, faciens pacẽ, & reconciliet ambos in vno cor-
Ibid. 4. pore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo. Obſecro itaque
» vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati eſtis,
» cum omni humilitate & manſuetudine, cũ patientia, ſupportantes inuicem
» in charitate, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vnũ corpus
» & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Domi-
» nus, vna fides, vnum baptiſma. Vnus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper
Coloſſ. 2. omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Et vos cùm mortui eſſetis in
» delictis & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis om-
» nia delicta, delens quod aduerſus nos erat, chirographum decreti, quod erat
» contrariũ nobis: & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci; & exſpolians
» principatus & poteſtates, traduxit cõfidenter palàm, triũphans illos in ſemet-
Ibid. 3. ipſo. Induite vos ergo ſicut electi Dei ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ,
» benignitatẽ, humilitatem, modeſtiã, patientiam, ſupportantes inuicẽ, & do-
» nantes vobiſmetipſis ſi quis aduerſus aliquẽ habet querelam. ſicut & Domi-
» nus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc charitatẽ habete, quod
» eſt vinculum perfectionis: & pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua
1 Pet. 2. & vocati eſtis in vno corpore: & grati eſtote. Si bene facientes patienter ſuf-
» fertis, hæc eſt gratia apud Deum; in hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus
» paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplũ vt ſequamini veſtigia eius: qui
» peccatũ non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: qui, cùm malediceretur,
» non maledicebat; cùm pateretur, non cõminabatur; tradebat autem iudicanti
» ſe iniuſtè: qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt pec-
» catis mortui, iuſtitiæ viuamus: cuius liuore ſanati eſtis.

Atque vt cæteras huius maximi myſterij antiquas arcanasq́; imagines facilè poſthac explicandas omittamus, duas modò cum primis perſequi, & ad ſignificationis exemplar cõparatas prætenſo lumine oſtendere operæpretium fuerit: quarũ alteram iam indicare cœpimus, nempe diluuij illius communis, quo vniuerſum corruptorũ hominum genus prorſus deletũ abolitumq́; fuit, præter eos quos verbo fidentes ſuo, ac ſuo parentes iuſſui in apparata ad genus inſtaurandũ arca Deus reſeruauit, qui tametſi pauci fuêre, tamen omnibus aliis, qui ſuam ſibi promeriti mortem legitimè deprecari noluerant, abunde ſucceſſerunt, & legitimã Eccleſiam, hoc eſt, dicatum Deo populũ, conſtituerunt, atq; adeò totius humanæ gentis omniũq́; ætatum tenuere parteis: iidem enim & ante diluuiũ fuerant, & diluuionis tempore incluſi ac velut ſepulti in arca reſtitutionis, fidem atque ſpem conſeruarunt, ac demum per-

acta

acto & absoluto iudicio, improbisq; supplicio affectis, de medioq; sublatis, incolumes exstitere, ab eodemq; soluti ac liberati, cui credētes & parētes in carcerem illum obscurū conclusi fuerant, & se saluos gratulati sunt, & salutis auctori suæ vnico Deo supplicarunt. S. S. E. Fecit igitur Noë omnia quæ præceperat illi Deus. Dixitq; Dominus ad eum: Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te enim vidi iustum in omni generatione hac, &c. Adhuc enim & post septem dies ego pluam super terrā quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & delebo omnem substantiam quā feci de superficie terræ. Fecit ergo Noë omnia quæ mandauerat ei Dominus. & paulo pòst, Et inclusit eum Dominus deforis. Atque ita voluntate iussioneq; Dei familia illa in arcanæ arcæ locum recepta & conclusa, ex eodemq; postea in lucem reuocata est Dei verbo & efficientia, in cuius etiam virtute ac tutela à principio protecti latuerant. Locutus est autem Deus ad Noë, dicens: Egredere de arca tu & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorū tecū, cuncta animantia quæ sunt apud te, ex omni carne, tam in volatilibus quàm bestiis & vniuersis reptilibus quæ reptant super terram, educ tecum, & ingredimini super terram: crescite, & multiplicamini super eam. Egressus est ergo Noë & filij eius, vxor illius, & vxores filiorū eius cum eo, sed & omnia animantia, iumenta, & reptilia quæ reptant super terrā secundùm genus suū, egressa sunt de arca. Aedificauit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocausta super altare. Odoratusq; est Dominus odorē suauitatis. Atque hæc quidem illorum temporū historia fuit, quæ maioris quoque ac potioris imago salutis venturis proponebatur seculis. Namque arcam diuino consilio ac iussu paratam Iesum Christum retulisse, diuinus docet Spiritus: in quo omnium ætatū homines qui vocati ac parentes conclusos vnà sese voluere, qua parte fidem ac pietatē colentes nouo huic Dei artificio cōmissi & crediti fuerant, quod veterem & peccato obnoxiū hominem spectat, obruti, mortui, ablutiq; sunt: peracto verò iudicij illius & castigationis triduano spatio, quo intra Christi pectus inclusi, & cōmunicatæ vitæ participes erant, liberi & incolumes atque sospites, adeoq; nouæ generationis & ætatis compotes euaserunt. S. S. E. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis: vt nos offerret Deo, mortificatos quidē carne, viuificatos autem spiritu: in quo & his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiā in diebus Noë, cùm fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cælum, subiectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus. Atque hæc huius maximi arcanique beneficij altera nobis indicata imago fuerit.

Gen. 6. & 7.

Ibid. 8.

1 Petri 3.

Altera verò imago descriptione ac natura penè simili, re verò atque signifi-

*ficatione simillima, ac prorsus eadem, baptismi videlicet illius quod Israelitarum gens vbi primùm subiit atque euasit, in stantium sibi à tergo dominorum imperium & metum omnino exutum depositumq́ gratulata est: nam quo tempore Erythræi siue Rubri maris aquæ discissæ, & in certos veluti crystallinos muros compressæ, calcādo humanis greßibus fundo vias apertas atque idoneas reliquerunt, nubes quoque diuinæ prouidentiæ munere ac dono contigit, columnæ instar habens, quòd ad figuram attinet, varia tamen lucis ac tenebrarum commoditate opportuna & importuna: opportuna quidē Israelitis, quos & lumine suo in vlterius littus deducens fouebat; importuna verò Aegyptiis, quos ea turbabat parte qua densa obscurißimaq́ erat, nimirum à tergo Israelitarum, densißimis tenebris obsitos: ita vt hoc lucis ac tenebrarum discrimine alteri ab alteris prorsus dirempti incederent. vna igitur eademq́ nubes vtramque partem, piorum atque impiorum complexa, varium sui vtrisque præbuit vsum: nempe Aegyptiis inimicis atque infensis æternū exitium, maris fluctibus atque vndis in suum reductis locum; Israelitis verò in Dei fidem ac tutelam deditis, vitam, salutem, incolumitatem, libertatem ac victoriā, ab omni prorsus prioris seruitutis iugo, lege, & metu*

Exodi 14. *exemptis. Et ait Moyses ad populū: Nolite timere: state, & videte magna-*
» *lia Domini quæ facturus est hodie: Aegyptios enim, quos nunc videtis, ne-*
» *quaquam vltrà videbitis vsque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vo-*
» *bis, & vos tacebitis. Tollensq́ se Angelus Domini, qui praecedebat castra*
» *Israel, abiit post eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post*
» *tergum stetit, inter castra Aegyptiorum & castra Israel: & erat nubes te-*
» *nebrosa, & illuminans noctem, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore acce-*
» *dere non valerent. Cumq́ extendisset Moyses manum super mare, abstulit*
» *illud Dominus, flante vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in*
» *siccum: diuisaq́ est aqua. Et ingreßi sunt filij Israel per medium sicci maris:*
» *erat enim aqua quasi murus à dextra eorū & læua. Persequentesq́ Aegyptij*
» *ingreßi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius & equites*
» *per medium maris. Iamq́ aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Do-*
» *minus super castra Aegyptiorum per columnā ignis & nubis interfecit exer-*
» *citum eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturq́ in profundum. Di-*
» *xerunt ergo Aegyptij, Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis*
» *contra nos. Et ait Dominus ad Moysen, Extende manum tuam super mare,*
» *vt reuertantur aquæ ad Aegyptios, super currus & equites eorum. Cumq́*
» *extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad*
» *priorem locū: fugientibusq́ Aegyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Do-*
» *minus in mediis fluctibus. Reuersaq́ sunt aquæ, & operuerunt currus &*
» *equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingreßi fuerant mare: nec*
» *vnus quidem superfuit ex eis. Filij autem Israel perrexerunt per mediū sicci*
» *maris, & aquæ eis erant quasi pro muro à dextris & à sinistris: liberauitq́*
» *Dominus in die illa Israel de manu Aegyptiorum. Et viderunt Aegyptios*

*mortuos*

*mortuos super littus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi seruo eius.* " " "

*Atqui arcanæ huius ac hospitalis nubis veritatem à Christo Iesu præstitam, variis in locis diuinarum rerum Scriptores significant, variisq; describunt verbis, præcipuè ex baptismi translatione deductis, aut aliàs ad historiæ huius recordationē citatis: namq; Vnctus ille, nouiq; Testamenti Angelus, à seculis exspectatus omnibus, qui ante id tempus humanū genus ducis ac viæ magistri munere præcedebat, dum sese ad homines, quos anteierat, refert, & lucem suā, & illorum tenebras ita apud se composuit, vt qua parte fides pietasq; incedebant, clara prorsus, aperta, expedita, & salutaria constarent omnia; qua verò veteris hominis inuidiam atque importunitatē, obscuritatem, tenebrosamq; conditionem sibi vltro innoxius adsciuerat, vicem peccati atq; debiti inimicique status gereret, nihilo tamen minùs à vitio virtus, à veteribus noua ita distinguerentur, vt nulla sese parte confunderent, ac peracto transitus illius & vadationis spatio, quæ sordida, vetera, inimica, atq; mortalia letaliaq; fuerant, obruta manerent; quæ verò in vitæ atque lucis tutelam & communionē admissa receptaq; fuerant, salua, incolumia, atq; libera prorsus euaderent, & salutis huius præconium gratulationemq; persecuta carminibus laudibusq; celebrarent diuinis, ad instar cantici illius, quod à Moyse compositum, Maria soror cum populo omni sospite reddidisse commemoratur: Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & adscensorem deiecit in mare. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: iste Deus meus, & glorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo eum. Dominus quasi vir pugnator, Omnipotens nomen eius. Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare: electi principes eius submersi sunt in mari rubro. Abyssi operuerūt eos, descenderunt in profundum quasi lapis. Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine: dextera tua Domine percussit inimicum. Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos: misisti iram tuam quæ deuorauit eos sicut stipulam. Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ: stetit vnda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari. Dixit inimicus: Persequar & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea: euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbū in aquis vehementibus. Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? Extendisti manum tuā, & deuorauit eos terra. Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti: & portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum.* Exodi 15. " " " " " " " " " " " " " " " " " " "

*Atque hanc imaginem omnem breui, sed arcano sermone ad veritatis doctrinam Iohannes retulit: In ipso vita erat, & vita erat lux hominū, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non cōprehenderunt.* Ioan. 1. "

*Illius verò triumphalis carminis diuinum argumentum Zacharias Sacerdos* "

Lucæ 1. *cerdos ex tempore Vatis spiritu & munere functus tractauit. Salutem ex*
*» inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos: Ad faciendam mise-*
*» ricordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti, Iusiu-*
*» randum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, Vt si-*
*» ne timore de manu omnium inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi*
1.Cor.10. *In sanctitate & iustitia, corā ipso, omnibus diebus nostris. & Paulus, Nolo*
*» vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & om-*
*» nes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari.*
*Illud verò ad mysterium hoc apertißimè alludens in orationis atque rei si-*
Coloss.2. *militudinem allatum est: Consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis*
*» per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis. Et vos cùm mortui*
*» essetis in delictis & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans*
*» vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat, chirographum decreti,*
*» quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci; &*
*» exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter palàm, trium-*
*» phans illos in semetipso.*

*Nec verò alienum ab hoc loco fuerit signum illud nobis indicatum citare, quod Iudæorum primoribus ac magistris populoq́ omni ostensum datumq́ iri Iesus ipse vnctus prædixit, certißimum, inquam, & præcipuè obseruādum, examinandum, atque agnoscendum, &, si admitteretur, ad salutem aptißimum; sin verò repudiaretur, grauißimi iudicij causæ futurum. Id verò huiusmodi fuit: Niniuitarum principum atque ciuium impietatem, improbitatem, atque publica priuataq́ scelera corrigendi, si rite expiarentur; sin minùs, castigandi consilio Deus per Ionam Vatem reprehendere, ac minarū, iudicij, instantisq́ supplicij denunciatione damnare constituit. Is verò Vates quòd humano sensu inimicæ ciuitatis res prosequeretur, dum diuinum mandatum, quò iussus fuerat, perferre morosè recusat, propter obortā grauißimam tempestatem in mare coniectus, atque ab immani balæna ex Dei auctoritate exceptus ac deuoratus, triduo pòst viuus incolumisq́ euomitus ac restitutus fuit: atque ita affectus & habitus demandatam sibi legationem non modò fideliter detulit atque egit, sed correctionis & pœnitentiæ causa persuasit: atque hoc pacto ciuitatis illius ac reipublicæ saluti ex diuino beneficio consultum fuit. Maximo enim diuinæ erga se prouidentiæ & voluntatis argumēto Niniuitis fuit Vates ex ceti vētre viuus incolumisq́ redditus triduo postquam deuoratus fuerat, idq́ ipsorum præcipuè causa, quos petere, adire, & monere iterum iussus erat, quibus & spem fecit misericordiæ Dei, qui, cùm Vatem è præsenti periculo propter supplicationem seruauisset, se etiam nō dißimili exemplo à proximo atque iam penè imminente exitio liberare posset, atque adeò intendere crederetur. Ex qua interpretatione deliberatio, ex delibera-*
Ionæ 3. *tione verò decretum à principibus factum, ratum, ac prolatum fuit: Ho-*
*» mines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quicquam, nec pascan-*
*» tur, & aquā non bibant, & operiantur saccis homines, & iumenta clament*
*ad*

*ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via sua mala, & ab ini-* "
*quitate quæ est in manibus eorũ. Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus,* "
*& reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Huius Vatis & rei instar* "
*Ierosolymitanis à se expectandum prædicabat Iesus Christus, quem ex diuino consilio in terræ humanæ corde, hoc est, intra veteris Adami sibi coaptata & suscepta membra, intra mortis, inquam, ac tenebrarum septa toto triduo hæsurum esse decretum fuerat, ad tertiam vsque salutis, resurrectionis, ac vitæ lucem, cuius qui communione frui exoptarent, doctrinam amplexati, sapientiam quoque Niniuitarum ac pœnitentiam imitari deberent, seuerum alioqui Dei in se iudicium experturi. Id quod Christus ipse ita definiendum & explicandum obseruandumq́; docebat: Generatio praua & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut* " Math. 12.
*enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; sic erit* "
*Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam:* "
*quia pœnitentiã egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quàm Ionas hic. Ab ea autem hora qua primùm Christus illius arcani Sacramenti constituta veritate & sese hominibus præbuit, & hominum ipse nomina ac debita, vicem parte eisq́; suscepit, hoc est, à cœna suprema tempore adusque Sabbathi subsequentis primam auroram, tres dies cum totidem integris noctibus fluxere. Neque enim sese ille in sepulchro, sed in corde terræ triduum totum fore aiebat.*

## Christus hostiam ad sacrificium sese præbet, pro populi salute facit.

### CAP. XXIII.

ANIMANTES *omnes quotquot è terra prodiisse accepimus, in duo summa genera primùm diducuntur, purorum videlicet & impurorum. Priore genere complura, pauciora verò posteriore censentur. Atque ex hoc tantùm genere ea sumebantur corpora, quæ in sacrificiorum & hostiarum præberentur vsus: namque peccatorũ ab animali homine admissorum expiatio absque sanguine effuso atque pectore incenso procurari & confici non solet. Verùm enimuero nulla tanta brutorum naturæ vis, nulla victimarũ copia suppeditari potuit, quæ humani vitij piaculum pati ac ritè litare posset: nam cæteras animantium formas quas communi & æquali partu iussu Dei animata terra produxerat, nulla æstimatione cum animali hominis natura comparandas continebat. S.S.E. Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam vt videret, quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitq́; Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli,* Genesis 2. " " " "

&

» & omnes bestias terræ. Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius. Atqui eam partem hominis, quæ peccati & erroris tenebatur crimine, piaculum pati oportuit, hoc est, femineam animalemq́ partem: pro qua cùm nulla ex animantibus cæteris iustitiæ Dei sufficere posset, Christus vnus ac singularis abunde satis superq́ suffecit, ea parte sacrificatus, quæ in hominis natura minor atque infirmior fuit, quæq́ omnium nō brutorum modò, sed hominum quoque inferiorem portionem incomparabili perfectionis, puritatis, & integritatis interuallo antecedebat, quaq́ verè & propriè, solidè atque ex-
2 Cor.13. cellenter Filius hominis appellatus est. S.S.E. Christus crucifixus est ex infirmitate. Atqui partem illam inferiorem infirmioremq́ Filij hominis naturà purissimam exstitisse ac permansisse res ratioq́ apertè demonstrat, vtpote ex purissimo ac sanctissimo Virginis matris sanguine, diuino Spiritu obumbrante, conceptam, & diuina virtute semper conseruatam, cùm idem & homo idemq́ Deus esset. Quam partē tum in se ipsa, tum in iis quibus communicari contigit, perpetuò sanctam, puram, ab omniq́ peccati morbo & corruptione prorsus alienam immunemq́ perseuerare oportuit. Neque enim vllis vel spinis, vel tribulis obnoxiam esse decuit terram illam quæ naturæ quidem perfectæ communionē cū Adamo primo seruabat, vitij verò, aut culpæ, aut contagis, aut aliàs exceptionis cuiuspiam in illo notatæ nihil præterea habebat, neque illi sententiæ potuit esse obnoxia, MALEDICTA TERRA IN OPERE TVO, cùm istius operis nihil prorsus participaret, quamobrem maledicto subesset. Hanc autem corruptionis immunitatem ex diuino iudicio Christus carni suæ adrogatam ac tributam, vtpote propriam & per-
Psal.15. petuam, multo antè prædicauerat. Prouidebam Dominum in conspectu meo
» semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc lætatum est
» cor meum, & exultauit lingua mea; insuper & caro mea requiescet in spe:
» quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum
» tuum videre corruptionem. Purissimam igitur carnis huius naturam pro impura cæterorum hominum carne suffectam purè sacrificare ac rite litare, eandemq́, consumpto & abolito corpore peccati, quod è cæteris mortalibus sibi Christus aptauerat, rursus viuam, valentem, vigentem, sanctamq́ euade-
Act. 2. re oportuit, solutis doloribus inferni, iuxta quod (vt Petrus docet) impossibile erat teneri illum ab eo. Itaque hæc ratio causaq́ fuit, quamobrem, quod neque à veteris Adami filiis omnibus aut proprio iure, suapteq́ virtute, aut pecudum, armentorum, aliorumq́ animantium impendendis præbendisq́ hostiis repræsentari potuerat, vnicus ac singularis Christus, aptato & coagmentato sibi ex cæteris hominibus corpore, cumulatissimè præstaret, aptissimè suffi-
Hebr.10. ceret, & exactissimè conficeret. S. S. E. Vmbram enim habens lex futuro-
» rum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos iisdem ipsis
» hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos fa-
» cere. Alioquin cessassent offerri, ideo quòd nullam haberent vltrà conscien-
» tiam peccati cultores semel mundati: sed in ipsis commemoratio peccatorum per

per singulos annos fit. Impoßibile enim est, sanguine taurorum & hircorum "
auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem [antiquæ legis ritu] noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata, & pro "
peccato, non tibi placuerũt. Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptũ est "
de me: Vt faciam Deus voluntatem tuam. Superiùs dicens, Quia hostias "
& oblationes, & holocautomata, & pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundùm legem offerũtur. Tunc dixi, Ecce venio, vt faciam voluntatem tuam. aufert primùm, vt sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. hoc est, Agni illius, "
quem peccata mundi sublaturũ testis & index Ioannes Baptista prædixerat.

Igitur susceptum sibiq́ aptatum totius humani generis corpus Deo Patri commendaturus primùm, deinde in sacrificium vnà secum deuoturus, à cœna illa arcana surgens in sibi notum, & ad preces & supplicationes iam antea sæpius petitum hortum rectà tendit cum tribus comitibus, quos ex Apostolorum collegio actorum omnium suorum testes iam pridem secreuerat, ac tum primùm non propriæ, sed alienæ atque sibi impositæ culpæ experimento, quàm difficile, quàm graue, quàm importunũ, quàm denique ærumnosum ac letiferum peccati pondus, quàm durum iugum esset quod pro terrarũ orbe proq́ singulis hominibus sustinebat, sensit; quàm porrò horrendam iram, quàm terribiles pœnas mundus commeritus fuisset, quas ipse iam iam luiturus expiaturusq́ subibat; vt qui non solùm sese contumelias, opprobria, flagra, & ignominiosa supplicia ad mortem vsque perlaturum, sed ardorẽ inimicitiarum, iræq́ Dei aduersus homines patientia, obsequio, atq́ durißimæ castigationis tolerantia restincturũ sciret. ac tum demũ quanta esset humana infirmitudo, idẽ ipse cognouit: quippe qui cùm viuens & sentiens atque adeò vita ipsa sua sponte in se constans perpetua existeret, hominũ mortem, vitæ Dei inimicam & aduersatam, admittens vltro sustineret, mortem, inquam, cæteris hominibus quamuis acerbißimã, non tamen adeò grauẽ, adeò duram atque horribilem visam, vtpote mortuis, & à vera vita iam inde à principio extorribus ac disiunctis. Neque enim quicquam vel doloris vel ponderis, vel aliàs acerbi atque duri sentire ac discernere potest, quisquis à vita fuerit alienus. Verùm enimuero nouus hic homo Dei Filius, Deo vnctus atque sanctus, cùm propria vita, luce, virtuteq́ constaret, susceptæ mortis atque densißimarum tenebrarum impetum, pondus, & molem humana carne, hoc est, infirmiori sui parte suscipiens, adeò horrenda, adeò laboriosa atque acerba cognouit, vt vel æstimatione ipsa, & agitatione mentis, ad cruentum vsque sudorem actus exercitatusq́ fuerit; & qua parte infirmus erat, consolationis adhortationisq́ vsum habuerit à Patre per Angelum demandatæ. Atq́ hanc rationem sic antea decretam Vates prædixerant, & hoc tempore peractam sacri narrant auctores, ac demum expeditam, exantlatam, & superatam Apostoli gratulati sunt. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores Isaiæ 53.
nostros ipse portauit. Et nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum "

 à Deo,

„ à Deo, & humiliatū. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras,
„ attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liuo-
„ re eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viā
„ suam declinauit. Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.
„ Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Sicut ouis ad occisionem
„ ducetur, & quasi agnus corā tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.

Lucæ 22. Et egressus Iesus ibat secundùm cōsuetudinem in montem Oliuarum, secuti
» sunt autem illum & discipuli: & cùm peruenisset ad locum, dixit illis: Ora-
» te, ne intretis in tentationem. Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est
» lapidis, & positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem illum
» à me: veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi An-
» gelus de cælo confortans eū. Et factus in agonia [vitæ suæ ac mortis peccati]
» prolixiùs orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis
in terram.

Hebr. 4. Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmi-
» tatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

Ibidem 5. Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum qui potuit illum sal-
» uum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus
» est pro sua reuerentia. Et quidem cùm esset filius, tamen didicit ex his quæ
» passus est, obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperanti-
» bus sibi causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Mel-
» chisedech. De quo nobis grandis sermo, & non interpretabilis ad dicendum,
» quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.

# Iesu Christi victima.

## Cap. XXIIII.

PERACTA iam supplicatione & consolatione ex Patre accepta, ac promissis de humanæ salutis constantia & veritate nuper confirmatis; innocentissimus atque efficacissimus Agnus mundi sapientiæ ac sanctitatis insidiis ligandum, condemnandum, atq; occidendum sese permittit. Diuina verò virtute & sapientia effectum est, vt malitiosum & inuidum nephariumq; hominum facinus in orbis terrarum maximum commodū bonumq; euaderet, Filij sui patienter subita nece, qua publica generis humani iam arcanè suscepti mors necanda ac perdenda erat. Neque verò quòd diuino consilio hæc ita concinnarentur, humana malitia summæ iniuriæ atque infandi sceleris culpa vacat: siquidem ista operam diligentiamq; omnem suam inuidiæ & inimicitiæ explendæ causa posuit, Deus verò ex sapientiæ bonitatisq; suæ immensa efficacitate ad felicissimum omni orbi exitum rem adduxit.

Rom. 8. Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro
» nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis do-
nabit?

Ioan. 3. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Fi-
» lium hominis: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitā æter-
nam.

*nam. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret:* "
*vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ita adeò "
misericordiam exercuit Deus, vt ne ipsos quidem tanti facinoris auctores
& ministros, modo facti pœniteret, modò sui ipsorum cura & studium corrigeret, à salutis euentu & vsu ac fructu exclusos voluerit. *Non enim misit* Ioan. 3.
*Deus Filium suum in mundum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mun-* "
*dus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam* "
*iudicatus est, quia non credit in nomine Filij Dei. Iesum Nazarenum* (inquit Petrus) *virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus & prodigiis &* Actor. 2. "
*signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut scitis: hũc definito con-* "
*silio & præscientia Dei traditũ per manus iniquorum affigentes interemi-* "
*stis.* Huiusmodi euentus felicitatem antiquo exemplo præmonstratam, qui "
Iesum hunc pro parte sua expresserat, Iosephus fratribus, à quibus proditus
ac venditus fuerat, declarabat: *Nolite pauere, neque vobis durum esse videa-* Genesis 45.
*tur quòd vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me* "
*Deus ante vos in Aegyptum. Biennium est enim quòd cœpit fames in terra* "
*esse, & adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit nec meti: præ-* "
*misitq́ me Deus vt reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere* "
*possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum: qui fecit me* "
*quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, ac principem in* "
*omni terra Aegypti.* Omnia quæ tametsi de illo Iosepho verè narrantur, tamen virtutem, auctoritatem, efficacitatemq́ Iesu Christi verißimè portendebant. *Qui nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum,* Galat. 3.
*quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno: vt in Gentibus be-* "
*nedictio fieret in Christo Iesu.* "

Itaque Christus à satanæ ministris, hoc est, ab humanæ industriæ professoribus, horumq́ satellitibus comprehensus, captus, ac ligatus, deductusq́ est; idq́ proditoris operâ, ex ipsorum Apostolorum collegio argenti cupiditate & auaritia corrupti. facilè enim huiusmodi moribus & ingeniis humana industria & calliditas ad consilia commodaq́ sua expedienda abutitur; neque quispiam commodior & habilior ad magna facinora minimo periculo peragenda administer vel index & adiutor sociusq́ quàm familiaris aliquis ac domesticus proditor venit: qui tempora, momenta, loca, opportunitatesq́ omnes cùm calleat, vel nullo, vel exiguo negotio rem confectam dare potest. *Et cùm surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, inuenit eos* Lucæ 22.
*dormientes præ tristitia, & ait illis: Quid dormitis? Surgite, Orate, ne in-* "
*tretis in tentationem. Adhuc eo loquente, Ecce turba, & qui vocabatur Iu-* "
*das, vnus de duodecim, antecedebat eos, & appropinquauit Iesu, vt oscula-* "
*retur eum. Iesus autem dixit illi: Iuda, osculo Filium hominis tradis? Viden-* "
*tes autem hi qui circa illum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine,* "
*si percutimus in gladio? Et percußit vnus ex illis seruum Principis Sacerdo-* "
*tum, & amputauit auriculam eius dextram. Respondens autem Iesus, ait:* "

» *Sinite vsque huc. & cùm tetigisset auriculam eius, sanauit eum. Dixit au-*
» *tem Iesus ad eos qui venerant ad se Principes Sacerdotum, & magistratus*
» *templi, & Seniores: Quasi ad latronem existis cum gladiis & fustibus. cùm*
» *quotidie fuerim in templo, nō extendistis manus in me. Sed hæc est hora ve-*
» *stra, & potestas tenebrarum. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad do-*
» *mum Principis Sacerdotum. Et viri qui tenebant Iesum, illudebant ei, cæ-*
» *dentes: & velauerunt eum, & percutiebant faciem eius, & interrogauerūt*
» *eum, dicentes: Prophetiza, quis est qui te percussit? & alia multa blasphe-*
» *mantes dicebant in eum. Et vt factus est dies, conuenerunt Seniores plebis,*
» *& Principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in cōcilium suum,*
» *dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis, Si vobis dixero, non credetis*
» *mihi; si autē & interrogauero, nō respondebitis mihi, neq; dimittetis. Ex hoc*
» *autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem*
» *omnes, Tu ergo es Filius Dei? Qui ait, Vos dicitis quia ego sum. At illi dixe-*
» *runt, Quid adhuc desideramus testimoniū? ipsi e[illegible] audiuimus de ore eius.*

*Atque vbi humana industria nihil veri crimin[illegible], nihil facti facinorisq́; certi, quo innocentiam & integritatem insimulet, vel nancisci, vel fingere etiam falsum potest, ad callidum consilium suspicionis maioribus ac principibus potentibusq́; excitandæ ex more suo descendit, mendaciq́; vtitur interpretatione rerum & actionum quæ simplicis & immunis doctrinæ & vtilitatis publicæ causa susceptæ & confectæ fuerant, ad popularis gratiæ atque ad ambitionis accusationem trahendarum, quo rudioribus ac tantùm de potentia conseruanda sollicitis principum animis facilè imponit ad inuidiam vsq;, & ad immanitatis & crudelitatis persuasionem, solet: præcipuè cùm calliditas ipsa & industria sese numero ac multitudine firmat, & studij in principes ac publicæ pacis prætextu velata commendat, & religionis etiam auctoritatem sanctitatemq́; obiicit. Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt*

Lucæ 23.

» *illum ad Pilatum. cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc inueni-*
» *mus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari,*
» *& dicentem se Christum Regem esse.* *Huiusmodi enim gemina siue criminationis, siue calumniæ capita, vbi vel re ipsa, vel hominum industria coniungi sociariq́; possunt, magnum momentum habere existimantur, & ad potentiorum commouendos animos vltionis causa, & ad perterrefaciendam turbam religione obiecta, & vtriusque (vti dici solet) maiestatis læsæ criminoso & suspecioso nomine imposito. Siquidem religionis partes eatenus potentia curare solet, quatenus auctoritati rebusq́; suis prodesse posse putat; populus verò potentiam odit & horret magis quàm amet; verùm eandem vbi religioni fauere atque consulere crediderit, metu ac terrore & fracti animi obedientia consequitur.*

*Atque hoc in iudicio Pilatus diligentis quidem ac solliciti iudicis, non tamen fortis ac boni viri officio functus, causam capitis aduersus Christū contentè ac pertinaciter ab inimicis tractatam eatenus examinauit & cognouit, vt*

*vt nullam prorſus vel ſibi, vel Herodi, cuius etiam res agi dictitabatur, inuentam apertè pronunciaret, ac publica nō ſolùm allocutione, ſed lotis etiam palàm manibus viri innocentiam & ſanctitatem iuſtitiamq́ue aſſeueraret. nihilominus tamen ſuperiorum inuidiæ in ſe concitandæ vili metu, & vulgi atque primorum clamore & obteſtatione fractus, innocentiſſimū Agnum luporum rabiei permiſit, eò tantùm nomine quòd præter omne ius atque fas in potentum prudentiam receptum eſt, nimirum, Maioris & communis incommodi timorem ſingularis etiam iniuriæ compendio eſſe redimendum. Namque huiuſmodi vnum ex peruerſis rerum ſtatus documentis antiquum iam & vetus inter homines à pietate timoreq́ue Dei alienos vſurpatum notauimus. Pilatus autem interrogauit eum, dicens: Tu es Rex Iudæorum?* Lucæ 23.
*At ille reſpondens ait, Tu dicis. Ait autem Pilatus ad Principes Sacerdotum & turbas: Nihil inuenio cauſæ in hoc homine. At illi inualeſcebant, dicentes: Commouit populum docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa vſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit ſi homo Galilæus eſſet: & vt cognouit quia de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Ieroſolymis erat illis diebus. Herodes autem, viſo Ieſu, gauiſus eſt valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quòd audierat multa de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat. Stabant autem Principes Sacerdotum & Scribæ conſtanter accuſantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu ſuo: & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum. Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die: nam antea inimici erant ad inuicem. Pilatus autem conuocatis Principibus Sacerdotum, & [illegible]tratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominem, quaſi a[illegible]entem populum: & ecce ego coram vobis interrogās, nullam cauſam inuenio in homine iſto ex his in quibus eum accuſatis. ſed neq́ue Herodes: nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei. Emendatum ergo illum dimittam. Neceſſe autem habebat dimittere eis per diem feſtum vnum. Exclamauit autem ſimul vniuerſa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam, qui erat propter ſeditionem quandam factam in ciuitate, & homicidium, miſſus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus eſt ad eos, volens dimittere Ieſum. At illi ſucclamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertiò dixit ad eos, Quid enim mali fecit iſte? Nullam cauſam mortis inuenio in eo. corripiam ergo illum, & dimittam. At illi inſtabant vocibus magnis poſtulantes vt crucifigeretur: & inualeſcebant voces eorum. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimiſit autem illis eum qui propter homicidium & ſeditionem miſſus fuerat in carcerem, quem petebant; Ieſum verò tradidit voluntati eorum.*

# Salutis publicæ arcanum à Lucifero tandem cognitum frustra contaminare conato. CAP. XXV.



*MMANIA ac nepharia consilia & incepta hominibus carnis industria, & sanctitatis opinione imbutis, persuadere quidē communis ille hostis, antiquusq́ serpens callidißimus potest & solet; persuasis verò iam & deliberatè agentibus dissuadere rursus non solet, ac neque expertus demum potest. Tanta est humanæ mentis in agendo libertas & vis, vt decretum semel propositum, nullo inimici molimine aut imperio, si ipsa nolit, patiatur frangi. S. S. E. Sub te erit appetitus* Gen. 4.
" *eius, & tu dominaberis illius.*

*Ab ipsa vsque primæui mundi constitutione diuinum illud responsum, fore videlicet aliquando vt caput suum mulieris seminis virtute fractum sentiret, semel auditum quamquam cogitatione & mente versaret Lucifer, quamquam verum constansq́ euasurum sciret, vtpote à Deo pronūciatum; tamen quemadmodum iustitia incolumi expediri conficiq́ posset, in arcanis obscurißimis ac penitus reconditis perpetuò habuerat, ac semper habendum sperabat: id quod sapientiæ suæ calliditatisq́ rationibus & argumentis non assequi modò, sed ne consequi quidem ipse valebat.*

*Verùm enimuero vbi Iesum Christum Agnum Filiumq́ Dei rerum omnium auctorem sapientißimum & efficacißimum personam nominaq́ omnia totius hominum generis exsoluturum, atque è tabulis deleturum suscepisse cognouit; mysterium admirabile, consilium, & rei gerendæ ratione sibi seculisq́ cunctis antea cælata intellexit, Deo ita iam volente, atq́ se regnūq́ suum funditus euertendum perdendumq́ non hariolatus tantùm est, verùm apertè ac planè sera iam sapientia accepit, ac dolens nimium, nimiumq́ conturbatus expauit: & quamquā se Dei iustitiæ ac prouidentiæ minimè posse officere sentiret, tamen, quia rei expeditionem per homines agi videbat, experiri molitus est num quo metu, qua fallacia, quáve superstitione aut alia arte interturbare, morari, aut retardare, aliasq́ impedire posset: Primumq́ Iudam proditorem, quem non tam magistri odio, quàm pecuniæ cupiditate captauerat, iniecta ac solicitata facinoris conscientia ad rescindendā pro parte sua venditionem, recantandum ac detestandum facinus, quodq́ factū fuerat, infectum curandum induxit: quod vbi obtinere non potuit, ad rabiosum ac desperatum de se ipso supplicij sumendi exemplum impulit, quo videlicet accusatoribus inimicisq́ Iesu terrorē incuteret. Et cùm hac non succeßisset, iudici quoque metum ac religionem offerre, & hac arte Seruatorē publicum orbis à morte subducere, frustra conatus est. Neque verò id vel iure, vel tempestiuè egit, quando acta ab ipso omnia iam in causam atque litem recepta fuerant: quæ cùm ipse vltro curasset ac studiosè produxisset, rescindi rursus*

&

*& reuocari ius ratioq́ minimè ferebat. Quandoquidem iudicando inter se atque diuinum Verbum iudicio litiq́ absoluendæ postremũ iam tempus illud erat quo vtraque pars quidquid pro se facere arbitrabatur, produxerat; nec reuocare de integro ille si quid sibi temere aut importunè allatum comperiret, nec Dei iustitiam à sententia ferenda & confirmanda auertere aut retinere poterat. S. S. E. Nunc anima mea turbata est, & quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora; sed propterea veni in hanc horã. Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo, dicens: Clarificaui, & iterum clarificabo. Turba autem quæ stabat & audiebat, dicebat, tonitruũ esse factum. Alij autem dicebant, Angelus ei locutus est. Respondit Iesus, & dixit, Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.* NVNC IVDICIVM EST MVNDI: *Nunc Princeps huius mundi eiscietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus. Hanc igitur exaltationem vbi quemadmodum efficiendam Deus decreuisset, stulta & sera prudentia ac damnabili iam sapientia perciperet satanas, tum Iudæ perperam resipiscentis, tum etiam vxoris Pilati operâ inuertere satagens moliebatur. Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt, Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit. Principes autem Sacerdotum, acceptis argẽteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille Aceldemah, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem.*

Iohan. 12. Matth. 27.

*Sedente autem [Pilato] pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: Nil tibi & iusto illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Principes autem Sacerdotum & Seniores persuaserunt populo vt peterent Barabbam, Iesum verò perderent.*

## Sacrificium Iesu Christi.
## CAP. XXVI.



*AB industria igitur ac sanctitate carnis persuasus populus, innocentißimum ac sanctißimum Agnum Dei produci, & cruci suffigi, quàm tumultuosißimè postulauit, etiam turpißima optione, mutatione latronis atque homicidæ hominis, cui ex moris ac religionis constituta antea atque celebri remißione modo præpostero consilio ac voto parci voluit plebs, potiùs quàm beneficentißimo deq́ omni gente benemerentißimo, atque adeò honestißimis titulis Regis & Vncti Iudicis voce appellato. Tantum inuidiosa mundi sapientia, propriaq́ sanctitatis opinio & sibi,*

*sibi, & aliis persuadere malorũ potest, vt pro iure iniuria, pro innocentia & officio contumelia & maleficium, pro integritate corruptio, pro salute mors, pro luce tenebræ, pro summo honore maximum dedecus optetur, idq́ue quàm pertinacissimè agatur, vt affectatæ sententiæ promouendæ incommoda omnia etiam prædicta & obnunciata, quamuis grauissima, tamẽ præsentis propositi causa contemnantur. Quod vt nullo pacto, nulla citata lege, nulla prætensa auctoritate impediri aut auerti, vel etiam differri, & ad melius & maturius consilium traduci possit; populari postulatione, cui Iudicis potestas intercedere non posse existimaretur, actum est. Verùm, vti iam docebamus, insanientis & furentis hominum sapientiæ operam diuina misericordia non ex hominum voto, sed ex vsu, in maximum humani generis bonum euadere curabat. Itaque hostia illa viua, vitamq́ue mortuis effectura hominibus, ad supplicium non sibi, sed omni orbi debitum producta rapitur; hostia, inquam, Iesus Christus, multis antea ignominiis & probris affectus, innumeris vexatus, irrisus, & excruciatus modis, fascibus ac virgis cæsus, & flagris penè exustus, ac ligni, quo sacrificandus erat, fascem, hoc est, grauissimam crucem propriis humeris portare iussus. Isaaci & arietis quondam pro Isaaco suffecti vera efficaceq́ue vice, mortem pertulit omnium, quas humana lex excogitare, inuenireq́ue potuit, acerbissimam, cum ignominia & infamia maxima, qualem videlicet hominis, cuius expiandum susceperat scelus, imò totius generis humani commissa fuerant commerita. Atque hac humillima humilitate & abiectione deliberatè ac spontè subita, admirabilis huiusmodi obedientiæ singulari & vnico exemplo, diuturnum odium in homines ab initio concitatum, continuatisq́ue per omnes ætates criminibus, & nephariis flagitiis magis ac magis indies accensum, mitigare ac sedare, & gratiam ac beneuolentiam idem hostia, idemq́ue sacerdos litando conciliare potuit. Propterea,*

Rom. 5. *» sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem nõ imputabatur, cùm lex non esset. Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinẽ præuaricationis Adæ, qui est forma futuri. Sed non sicut delictum, ita & donum. si enim vnius delicto multi mortui sunt: multò magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Et non sicut per vnum peccatum, ita & donum. nam iudicium quidem ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Igitur sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obedientiam, iusti constituentur multi. Lex autem subintrauit vt abundaret deli-*

*delictum. Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia: vt sicut regnauit peccatum in mortem; ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam, per Iesum Christum Dominum nostrum.* " " " *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum. Quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno: vt in Gentibus benedictio fieret in Christo Iesu.* Gal. 3. " " *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus: cuius liuore sanati estis.* 1 Petri 2. " " " " " *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus; vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum: & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit; vt nos efficiamur iustitia Dei in ipso.* 2 Cor. 5. " " " " " " " " " "

*Atque hanc veritatem, id est, diuini promissi constantiam obedientia operaq; sua præstandam & exhibendam, Iesus ipse à præside, causæq; suæ examinatore interrogatus profitebatur. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum, & dixit ei, Tu es Rex Iudæorum? Respondit Iesus, A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus, Numquid ego Iudæus sum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti? Respondit Iesus, Regnum meum non est de hoc mundo. si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri vtique mei decertarent vt non traderer Iudæis: nũc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus, Ergo Rex es tu? Respondit Iesus, Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dixit ei Pilatus, Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos.* Ioan. 18. " " " " " " " " " " *Et conuocatis Principibus Sacerdotum & magistratibus, & plebe, dixit ad illos, Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogãs, nullam causam inuenio in homine isto ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes. nam remisi vos ad illum, & ecce, nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Necesse enim habebat dimittere eis per diem festum vnum. Exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam, qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate, & homicidium, missus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum. At illi succlamabãt, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertiò dixit ad eos: Quid enim mali fecit iste? nullam* Lucæ 23. " " " " " " " " " " "

» causam mortis inuenio in eo. corripiam ergo illum, & dimittam. At illi in-
» stabant vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur: & inualescebant vo-
» ces eorum. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis
» eum qui propter homicidium & seditionem fuerat missus in carcerem, quem
» petebant; Iesum verò tradidit voluntati eorum. & cùm ducerent eum, ap-
» prehenderunt Simonem quendam Cyrenensem venientem de villa, & im-
» posuerunt illi crucem portare post Iesum.

Tandem victima illa vniuersi orbis mactatur, quam factitata hactenus ab initio mundi cùm anniuersaria tum frequentiora sacrificia significauerant & appellauerant, veritatis & absolutæ litationis virtute & efficacitate singulariter vniceq́ præstantem, omnibusq́ de expiatione publica vaticiniis & responsis absolutum finem allaturam; neque verò mortis crudelissimæ tantùm ferendæ patientia, sed ignominiæ, opprobriorum, exprobrationum, altarumq́ iniuriarum quas ingratißimus mundus illi intulit, maxima tolerantia probatam: ac mente, animo, & supplicatione ad publicæ salutis negotium intenta, non amicorum tantùm causa, sed eorum etiam à quibus cruciatu, morte, & contumelia sese vexari & affici victima illa cernebat: tantum abfuit vt vel illo tempore ac loco rem suam ageret, qui de cælo venerat,
Iohan.6. non vt faceret voluntatem suam, sed eius potiùs voluntatem à quo fuerat
1 Thess.4. missus. Hæc verò voluntas Dei erat, hominum videlicet sanctificatio.

Inter cætera verò annua, diurna, publica ac singularia sacra, illud vnum quoque solenni anniuersarioq́ ritu celebratum apud veteres ex legis insti-
Leuit.16. tuto legimus, electi atq́ exsecrationibus publicis deuoti capri, qui totius populi noxas subiturus, perlaturus, atque significatione certa expiaturus, à ciuitatis conspectu, atque ab omni hominum vitæ communione pro omnibus damnabatur; vt quidquid pœnarum ac magni discriminis, immo & opprobriorum malæq́ ominationis populo instaret, in optati ac deuoti capri caput abiret, ac totum semel expiaret annũ. Cuius cæremoniæ historiam in sacris legitimisq́ ritibus legere est. Exemplum verò ipsum viuum & efficacißimum in Iesu Christi corpore statuendum absoluendumq́ fuit, debitam omnium hominum peccatis mortẽ cum summo dolore cruciatuq́ ferentis, & omnibus omnium
Galat.3. ordinum appetiti ignominiis, qui pro nobis maledictum factus prædicatur.
Hebr.13. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pon-
» tificem, horum corpora cremãtur extra castra. Propter quod & Iesus, vt san-
» ctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus
» ergo ad eum extra castra, improperium eius portãtes. Id quod etiam antiquus Vates hostiæ huius partibus aliquando in carmen inductis præcinebat:
Psal.108. Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam. Et posuerunt
» aduersum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.
Psal.21. Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio
» plebis. Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, & mouerunt
» caput. Sperauit in Domino, eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam vult
eum.

eum. Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab vberibus matris meæ. In te proiectus sum ex vtero. De ventre matris meæ Deus meus es tu; ne discesseris à me. Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuuet me. Circundederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens. Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei. Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxisti me. Quoniam circundederunt me canes multi: consilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me: diuiserunt sibi vestimẽta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

Et baiulans sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum, Hebraicè autẽ Golgotha: vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Iesum. Scripsit autem & titulum Pilatus: & posuit super crucem. Erat autem scriptum, IESVS NAZARENVS, REX IVDÆORVM. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt: quia prope ciuitatem erat locus vbi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraicè, Græcè & Latine. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum, Noli scribere, Rex Iudæorum: sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi. Milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimẽta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem. & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem, Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Vt Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserũt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Postea sciens Iesus quia iam omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dicit, Sitio. Vas autem erat positum aceto plenum. Illi verò spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cùm ergo accepisset Iesus acetum, dixit, Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Iudæi ergo (quoniam Parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora sabbatho (erat enim magnus dies ille sabbathi) rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit: vt & vos credatis. Facta sunt enim hæc vt Scriptura impleretur, Os nõ cõminuetis ex eo. Et iterũ alia Scriptura dicit, Videbunt in quẽ transfixerunt.

Iohan. 19.

Ibid.

Atque ita Iesu Christi, hoc est, secundi Adami cælestis corpus verum ac proprium, & illud alterum prioris Adami terreni sponte susceptum corpus mortuum simul fuit, verum non pariter: namq; posterius hoc absorptum con-

*consumptúmque in morte illa fuit, prorsúsque cum circumstante se peccato abolitum & in cinerẽ suum arcano reuersum modo. Illud verò prius, quamquam mortuum, vitæ tamen vim, facultatem, atque virtutem, repetendæq́; animæ auctoritatem retinuit, iuxta quod impoßibile erat teneri illum inferni ac mortis legibus. Atque ita mortuum ac propriis, quorum nomina repræsentanda susceperat, litans, causæ officióque suo cumulatißimè satisfecit: id quod ipse dicto illo professus fuit, Consummatum est.*

Actor. 2.

Ioan. 19.

*Nemo autem fuerit qui inficias ire dubitareq́; poßit, plurimum sanguinis Iesu corpus effudisse post sudorem illum cruentum in horto, post innumerabiles acceptas plagas & verbera plurima, post coronam è spinis contextam, sex totis horis viuum pendens, ac manibus pedibusq́; apertis, & ferro transfixis; quod spacium satis fuit exhauriẽdo etiam robustißimi hominis cruori: sed illud præterea factum fuit, vt qui circa præcordia reliquus fuerat sanguis, adaperto iam recèns mortui latere ex militis cuiusdã lancea, cùm aqua simul efflueret; vim eam & efficientiam vtroque præstante liquore, quam hominum expiatio ac salus postulabat: namque sanguis Christi generis totius hominum impurum cruorem correxit, & effusus etiam simul fusum repræsentauit. S. S. E. Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remißionem peccatorum. Aqua verò nouos ac puros à sordibusq́; lotos regenerauit homines, diuina virtute atq; Spiritus illius efficacitate, qui, cùm mũdus quondam fieret, super aquas ferebatur. Ita verò Christi Spiritus, aqua, & sanguis humanum genus non solùm instaurarunt & renouarunt, sed præstantius atque gratius reddiderunt, atque cælo incolendo aptum effecerunt. Nisi » enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus. non in aqua » solùm, sed in aqua & sanguine. Et Spiritus est qui testificatur quoniam » Christus est Veritas. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pa- » ter, Verbum & Spiritus sanctus; & hi tres vnum sunt: & tres sunt qui » testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis, & hi tres vnũ sunt. Et sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Qui est testis fidelis primogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit » nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo. Commendat autẽ charitatem suam Deus in nobis, quo- » niam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est: multo » igitur magis iustificati nũc in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Cùm benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex ope- » ribus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiã suam saluos nos » fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem ef- » fudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt iusti- » ficati gratia ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ. Fidelis ser- » mo est. Hanc adeò rem vtpote publicæ saluti expedientißimam, & cognitu dignißimam, Iohannes, qui de arcanis pleniùs agebat, enarrandam (vt superiùs*

Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.

Ioan. 3.

1 Ioan. 5.

1 Ioan. 1. Apoc. 1.

Rom. 5.

Tit. 3.

*periùs indicauimus) obseruauit. Postea sciens Iesus quia iam omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dicit, Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum, &c.* Iohan. 19.

# De morte Iesu publica notitia, varius hominum sensus. CAP. XXVII.

IESV *Christi mortem, vti omni hominum generi publicæ salutis causa maximè necessariam, ita notissimam ac testatissimam esse oportuit, non ipsis modò hominibus, pro quibus oblatam summi sacrificij nomine diuina iustitia comprobauerat, verùm etiam cælo ac terræ, horumq́; præcipuis partibus atque incolis, atque adeò imis quoque inferni sedibus. Inprimis verò ordo omnis ac status hominum communiter ac palàm testatus est, non viuorum tantùm, sed mortuorum, qui mortis illius efficacitatem resurrectione sui declarauerunt. Atque inter viuos tum amici, tum inimici, tum etiam qui media inter vtrosque mente erant, vt prouinciæ præses, huiusq́; cohors, atq; promiscuũ vulgus alieno magis quàm proprio affectu mobile, Iesum illum in cruce mortuum apertè & communiter intellexerunt.*

*Verùm enimuero cæterarum mundi partium, hoc est, cæli ac terræ idem ac sibi similis in excipienda Iesu morte habitus, atque, vt ita loquamur, sensus fuit: nimirum mæstus ac lugubris, & idoneus qui tanti Principis auctorisq́; rerum omnium ac vitæ Pontificis è vita iniustè & crudeliter sublati desiderium, & hominibus propriæ noxæ immanitatem, ac diuini beneficij magnitudinem indicaret ac declararet, iis editis signis, quæ suapte natura mentes vehementiùs turbare, & ad cogitationem, curam, metum, & consultationem impellere possint & soleant. Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam, & obscuratus est Sol, & velum templi scissum est medium, & clamans voce magna Iesus ait: Pater, in manus tuas commendò spiritum meum. & hæc dicens exspirauit. & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt: & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Quæ quidem signa ac prodigia omnia, præter communem totius orbis dolorem, rerum quoque humanarum ingentes mutationes ac renouationes portendebant: id quod vel vnico argumento cognosci poterat, resurrectionis hominum Sanctorum ita frequenti ac nunquam antea spectato auditóve exemplo, quod mortis illius admirandam significabat vel indicabat potiùs vim. Atque hæc, vti dicebamus, vna fuit totius mũdi mens, vna omnium vox, diuersa tamen singularum partium actio, nempe cæli ac terræ, astrorum, saxorum, ac sepulchrorum, & veli in templo bifariam scissi, & vniuscuiusque ex his naturis proprio ac singulari modo suum testimonium pronunciantis.*

Lucæ 23. Matth. 27.

*Hominum autem, quorum vnica causa hæc omnia agebantur, quorumq́ rectum & sibi constans iudicium esse oportuit, varia ac dißimilis prorsus de Iesu morte mens, & pro mentis ac sententiarum dißimilitudine diuersum ac dißimile exstitit officium, quale, quamquam diuersum hodieq́ exstat inter homines nihil ab antiquorum ingeniis, hoc est, ab Adami filiis alienos, sed eiusdem prorsus farinæ tenuiùs craßiúsve decussæ: nam qui amicitiam ac disciplinam Iesu profeßi sunt, illius mortem tanquam Vatis cuiuspiam innocentis ob libertatem agendi ac docendi ex acerbo inuidiæ odio à populi primoribus occisi interpretabantur, non diuerso nimis exemplo à Vatibus aliis, quos multos de hominum genere benemeritos, officioq́ suo rectè ac fortiter defunctos, qui tamen eos, quibus charißimi & mirabiles esse debuerãt, ingratißimos obtrectatores ad exitium vsque experti fuerant. S. S. E. Non*

Lucæ 13. » *capit Prophetam perire extra Ierusalem. Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis*

» *Prophetas, & lapidas eos qui ad te mißi sunt. Atque hi in hunc ratiocinati modum, Vatis magistriq́ sui mortem mæsto ferebant animo, & officiis opinionem amicitiamq́ consequentibus prosequebantur, videlicet cura & opera funeris vncturæ ac sepulturæ, qualia pro tempestate, moribus, ac legibus parari licebat. Iis vero qui non ita familiariter cum Iesu viuente egerant, nec tamen omnino dissentiebant, sed, vti fit (apud populum) miraculorum spectaculis & exemplis ac beneficiorum memoria & laude atque religionis aliquo sensu ducebantur, quamuis in præsentiarum propter maiorum auctoritatem & metum nonnihil turbatis, tamen & supplicium adeò indignè & crudeliter illatum, & illam innocentis mortem consecuta signa metum quendam ac pauorem non sine dolore, & vltionis exspectatione aliqua, iniecere: quippe quibus si qua inuidia ex potentiorum auctoritate ac suasione facta fuerat, eam iam cruce suffixi mors exstinxerat. Quamobrem hi lachrymis ac lamentis partim, partim verò laudationibus atque innocentiæ vel sanctitatis testimoniis defuncti vita viri sancti ac Deo chari habiti exitum exceperunt. In quo numero Centurio, Centurionis comites, & nonnulli ex militibus,*

Ibid. 23. *compluresq́ de populo. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glo-*

» *rificauit Deum, dicens: Verè hic homo iustus erat. Et omnis turba eorũ qui*
» *simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pe-*
» *ctora sua reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius à longè: & mulie-*
» *res quæ secutæ eũ erant à Galilæa, hæc videntes. Et ecce vir nomine Ioseph,*
» *qui erat decurio, vir bonus & iustus, hic non consenserat consilio & actibus*
» *eorum, ab Arimathæa ciuitate Iudææ, qui exspectabat & ipse regnum Dei.*
» *hic acceßit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu: & depositum inuoluit sindone,*
» *& posuit illud in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fue-*
» *rat. Et dies erat Parasceues, & sabbathum illucescebat. Subsecutæ autem*
» *mulieres quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quem-*
» *admodum positum erat corpus eius. Et reuertentes parauerunt aromata &*
» *vnguenta: & sabbatho quidem siluerunt secundùm mandatum.*

Tertia autem hominum factio, quorum animi inuidia, obtrectatione, & maleuolentia suffusi & infuscati erant, propter proprium sui suarumq; rerum amorem & studium; hoc est, mundana industria, ac sapientia, carnisq; sanctitas illa Deo inimica, de Iesu, quamquam è viuis iam, vti curauerat & putauerat, sublato, non sibi conquiescendum existimauit, nisi etiam de obscuranda prorsus gloria, & virtutis opinione tollenda, atque impostura fama spargenda diligenter ac prudenter, vt sibi videbatur, consulens ageret; atque ita omnibus artibus, modis omnibus, cunctisq; adhibitis machinis, dignitatem, auctoritatem, commodaq; sua omnia tutaretur, & Iesu Christi doctrinam nomenq; prorsus dãnaret, vel falsitatis ac vanitatis improbissimis rumoribus dissipatis obscuraret; denique ita parteis muniret suas, vt sola in mundo in hominum animis regnaret; sola seipsam sine riuali, quod aiunt, amaret, ac religionis nomen & existimationem ex consilio, arbitratu, vsuq; suo definiret. Altera autem die quæ est post Parasceuen, conuenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc viuens, Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium, ne fortè veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priore. Ait illis Pilatus, Habetis custodiam: ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus. Matth. 27.

Atque his opinionibus variisq; iudiciis, toto triduo quo Iesu Christi corpus mortuum in sepulchro iacuit, hominum menteis pro priuatorum ratione studiorum conflictabantur, de custodiendo sepulchro satagentibus his; illis de honorando tanquam Dei Vate, atque vnguentis oblinendo, cogitantibus; aliis, hoc est, plebeiis & vulgaribus, de illius vita ac morte varias inconstantesq; sententias tum publico tum priuato sermone ac secreto murmure spargentibus, vti in recentibus exemplis euenire solet; nullis tamen ex his illius è mortuis resurrectionem sapienter & apertè exspectantibus, exceptis iis quos diuinus Spiritus prudentiores attentioresq; singulariter in illam spem effecerat, qui pauci rariq; admodum erant; quales Prophetæ aliqui, atque vnica Iesu mater, quæ, diuinis antea edocta responsis, verba omnia ab initio in corde suo conferens conseruabat. Lucæ 2.

Verùm enimuero diuina Iesu Christi sapientia ac virtus, quamquam mortuo ac sepulto corpore, tamen viuente & efficace spiritu ab officio, munere, opereq; proprio non vacabat: quippe dum iustitiæ Dei pro humanis nominibus debitisq; satisfieret, dumq; calicis illius letiferi pro hominum genere sibi propinatus & exhaustus potius efficientiæ suæ tempus absolueret, interim, quæ ad vitam sibi suisq; restituendam facerẽt, expediebat; atque mortis regnum, hoc est, inferioris terræ partes penetrans, & inferni ac locorum, quibus pij ac sancti viri detinebantur, claustra reuellebat, & fores effringebat, maximam captiuorum copiam secum liberam deducendam colligens,

*ac mortis antiquiq; hostis regna exspolians, potestatis atque auctoritatis monumenta omnia rescindebat, principesq; ipsos inferorum in triumphũ producendos colligabat. Quidquid verò terreni Adami ad mortis baptismum, crucisq; diluuium susceperat, exstinctum & abolitũ, ab illo sanctissimo corpore prorsus aberat: ac veluti aurũ, terrenis fecibus ac retrimentis per ignem purgatis & abiectis, proprio splendore purum putumq; nitens atque emicans euadit; ita Christi corpus sola virtute atque puritate sanctitateq; sua omni prorsus vitio immune constabat, eandemq; gloriã membris omnibus, quæ in arcanũ sibi copularat corpus, communicabat. S. S. E. Vnum corpus, & vnus*

Ephes. 4. „ *spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna*
„ *fides, vnum baptisma. Vnus Deus & Pater omniũ, qui est super omnes, &*
„ *per omnia, & in omnibus nobis. Vnicuique autẽ nostrûm data est gratia se-*
„ *cundùm mẽsuram donationis Christi. Propter quod dicit, Ascendens in al-*
„ *tum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. quòd autem ascen-*
„ *dit, quid est, nisi quia descendit primùm in inferiores partes terræ?*

*Atque non modò non corrumpi, sed nec diu mortuum iacere Iesu Christi corpus potuit, tum propter promissum à Deo humanæ Filij sui naturæ dictum semper constans ac verum, tum etiam propter singularem & vnicam carnis illius prærogatiuam & virtutem, alienam prorsus & immunem à lege illa,* CINIS ES, ET IN CINEREM REVERTERIS, *quam vni veteri illi homini peccati damnato latam & pronunciatã initio operis huius citauimus. Illius enim corpus, propter eas quas commemorauimus causas, exstinctum, mortuum, corruptum, & in cineres redactum oportuit, idq; cõmune & hæreditarium fuit omnibus posteris, iis videlicet, quicũque communi propagationis exemplo & modo ab illius corpore deriuati sunt. Huic verò nouo homini, cuius caro ex purissimæ Virginis purissimo sanguine, diuini Spiritus efficientiâ & operâ, ea conditione constiterat, vt sancta omnino diceretur, nulla debiti illius vel minima adhæsit pars; quippe quæ caro cælestis potiùs ac sancta & spiritualis, quàm terrena & communis, iure suo dici merebatur.*

Lucæ 1. *S. S. E. Ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. &, Si est*
1. Cor. 15. *corpus animale, est & spirituale, sicut scriptum est: Factus est primus homo*
„ *Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in Spiritum viuificantem.*
„ *Sed non priùs quod spirituale est, sed quod animale est, deinde quod Spiri-*
„ *tuale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.*

*Hunc ergo cælestem hominem, quem sententia illa,* CINIS ES, *propriè non attigerat, mortis legibus obnoxiũ esse, ius, res, ratioq; prorsus negabat. Dauid*

Actor. 1. *enim dicit in eũ, Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam*
Psal. 15. „ *à dexteris est mihi, ne commouear. Propter hoc lætatũ est cor meum, & exul-*
„ *tauit lingua mea; insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniã non derelin-*
„ *ques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptio-*
„ *nem. Notas mihi fecisti vias vitæ: replebis me iucunditate cum facie tua.*

# De Resurrectione Iesu Christi.
## CAP. XXVIII.



RITICI *granum, quod vt omnium seminum celeberrimum & præstantißimum in nostrarum partium exemplum vsurpamus, vbi ab agricola iactum ac oportuna terra exceptũ, occatum, cohibitumq́ fuerit, moritur illud quidem quod ad corporis concinnitatem attinet, non tamen corrumpitur aut perit prorsus, quinimo vim naturamq́ suam natiui spiritus vapore tepefactam terræ, cuius in complexu iacet, diffusam communicat; eiusdemq́ sese commiscens succo, mirabilẽ mutationem præstat in sui similem pinguem lacteumq́ liquorem attemperato & conformato: qua mixtione vis illa grani quæ nunquam perierat, sed viuida sibi constabat, auctior ac diffusior deinceps rursum sese vegetam colligens è terræ sulco emicans sistit; & in lucis auram sublata, eam, quam sibi copularat, mutauerat, & concreuerat è terræ succo vim in similem sibi fructum, hoc est, in frumenti veram naturam conformatam, ad vitæ hominum vsus maturat & perficit: id quod minimè fieri poterat, quàm diu grani illius primi corpus vel satum non esset, vel terræ commissum, tamen integrum ac viuum perseueraret. Tantæ efficientiæ vnius grani fuit mors, tantæq́ vtilitatis demum compos euasit.*

*Iam verò vt à vulgata agricolarum cognitione, obseruatione, & arte ad hominum auctorem, cultorem, & parentem argumenti nostri rationem ac similitudinem transferamus: Humanum genus terræ naturam partesq́ obtinere, sacra doctrina didicimus; quod vel ipsum Adami nomen indicat. Formauit igitur Dominus Deus hominẽ de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Et vocauit nomen eorum Adam in die qua creati sunt. Hanc verò humani generis terram, propter admissum ex deliberato peccato vitium, & bonarum frugũ sterilem, & importunarum plantarum inutiliumq́ feracißimam redditam accepimus. S. S. E. Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. Atque hic, vti iam disseruimus, hominum generis status conditio ista fuit: ad quam corrigendam ac mutandam, labore & arte opus fuit agricolæ cuiuspiam, qui subactis inuersisq́ terræ glebis, emollitisq́ partibus, & noxiarum plantarum euulsis ac summotis radicibus, optimum sufficeret semen, cuius viuida ac vegeta virtute rectè accommodatæ & cultæ terræ malas antè herbas & venena producentis succus ad bonam corrigeretur seseq́ reciperet frugem. S. S. E. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Atque hoc semen Iesum Christum esse, à Deo in hominum correctionem, mutationemq́ status, & salutis conditionem quondam promissum, Sancti omnes cum Adamo atque Abrahamo à Deo edoctis intellexere. Inimicitias ponam inter te*

Genesis 1. Gen. 5. Gen. 3. Ibidem. Ibid.

» *& mulierem, & semen tuum & semen illius, & ipsum conteret caput tuum.*
Genesis 22. *& rursus, Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedi-*
» *centur in semine tuo omnes gentes terræ.*

*Igitur semen hoc de cælo datum, suaq́ue, hoc est, diuina ac propria vnctione amplissimum, quam possidebat immensam & infinitam virtutem, humanæ terræ communicauit, in cuius corde toto triduo fuit, quod ad perficiendam nouæ generationis naturam diuina prouidentia idoneum tempus fore defi-*
Oseæ 6. *nierat. S.S.E. Venite, reuertamur ad Dominum, quia ipse cepit, & sanabit*
» *nos; percutiet, & curabit nos: viuificabit nos post duos dies, in die tertia sus-*
» *citabit nos, & viuemus in conspectu eius: sciemus, sequemurq́ue, vt cognosca-*
» *mus Dominum. Quasi diluculum præparatus est egressus eius, & veniet*
» *quasi imber nobis temporaneus & serotinus terræ.*

*Et granum quidem tritici cùm certo naturæ atque efficacitatis fine compescatur, eam tantùm terræ portionem afficit, ad quam pro suæ virtutis modo pertinet, hoc est, moriens ipsum terræ vim malis herbis ac plantis producendis aptam secum interimit, & in sui succi naturam mutat, ad certum vsque & culmi attollendi finem, & frumenti etiam non infinitum, sed nu-*
Marci 4. *merabilem modum ac numerum. Herbam, inquit, primùm, deinde spicam,*
» *deinde plenum frumentum in spica.*

*Verùm enimuero grani huius noui ac diuini tritici, panisq́ue viui de cælo missi virtus & efficacitas infinita cùm sit, atque adeò terræ vim longè maiore discrimine vincat, quàm quo magnitudinis modo à cælo terra superatur; vniuersam humanæ terræ malitiam auferre, eluere, ac prorsus pellere, atque virtutis & bonitatis sanctitudinisq́ue suæ munere ac dono in meliorem, hoc est, diuinam, suæq́ue simillimam conditionem mutare efficacissimè potuit. Ac*
Psal. 102. *de priori quidem efficientiæ parte scriptum est: Quoniam secundùm altitu-*
» *dinem cæli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se.*
» *Quantum distat Ortus ab Occidēte, longè fecit à nobis iniquitates nostras.*
» *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se:*
» *quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. De posteriore verò virtutis atq́ue*
Iohan. 1. *amplitudinis communicatione & donatione: Iohannes testimonium perhi-*
» *bet de ipso, & clamat, dicens: Hic erat quem dixi, Qui post me venturus est,*
» *ante me factus est, quia prior me erat. Et de plenitudine eius nos omnes ac-*
» *cepimus, & gratiam pro gratia: quia lex per Moysen data est, gratia &*
» *veritas per Iesum Christum facta est.*

*Quam quidem ob rem ad publicam, communem, plenam & absolutam generis hominum salutem ac regenerationem mutationemq́ue ex filiis Adami veteris in filios Dei, vtrumque diuinâ sapientiâ prouisum & consultū fuerat, ac per Vnctum & efficacissimum Iesum Filium Dei demū fuit vtrumque præstitum: quod admirabilis Psalmi prædictione fuit aliquando per Va-*
Psal. 84. *tem, Spiritu dictante sancto, decantatum. Benedixisti Domine terram*
» *tuam: auertisti captiuitatem Iacob. Remisisti iniquitatē plebis tuæ: operuisti*

*omnia peccata eorum. Mitigasti omnem iram tuam: auertisti ab ira indignationis tuæ. Conuerte nos Deus salutaris noster: & auerte iram tuam à nobis. Nunquid in æternum irascêris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem? Deus tu conuersus viuificabis nos: & plebs tua lætabitur in te. Ostende nobis Domine misericordiã tuam: & salutare tuum da nobis. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam. Et super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius: vt inhabitet gloria in terra nostra. Misericordia & veritas obuiauerunt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt. Veritas de terra orta est: & iustitia de cælo prospexit.* ETENIM DOMINVS DABIT BENIGNITATEM, ET TERRA NOSTRA DABIT FRVCTVM SVVM.

*Ex his verò, quæ hactenus præfati sumus, accuratè obseruatis & examinatis conficitur, oportuisse Christum pati, & eundem resurgere tertia die, atque ita intrare in gloriam suam, hoc est, sese inferiorum atque superiorum Dominum Regémque sistere, inferioribus cunctis ac terrenis hominibus suscipiendis, ad seséq́, grani mortui instar, attrahendis, suæq́ virtute mortis mortificandis, ac rursum propriæ vitæ, quæ in ipso erat, efficacitate renouandis, & ad vitam veritatémque regenerandis, demúmque vnà secum resurgendo resuscitandis. Id quod arcanis verbis ab ipso, & ab Euangeliorum sacris ministris in loco significatum, in præsentiarum apertam declarationem sortitur. Dixerat aliquando Iesus ipse, Venit hora vt clarificetur Fi-* Ioan.12.
*lius hominis. Amen, amen dico vobis, Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus* [ait Euangelista.] *Ego lux veni in mundum, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Namque in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tene-* Iohan 1.
*bris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius; qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriã quasi Vnigeniti à Patre, plenũ gratiæ & veritatis. Huius deniq́ diuini adorãdiq́ beneficij mysteriũ sacrosancto illo Iesu Christi voto enunciatũ traditur: Pater venit hora, clarifica Filium tuũ, vt Filius tuus clarificet te. sicut* Ibid.17.
*dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Ego te clarificaui super terram, opus con-*

„ *summaui quod dedisti mihi vt faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud*
„ *temetipsum, claritate quam habui prius quàm mundus esset, apud te. Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti: & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt: quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi: quia tui sunt: & mea omnia, tua sunt; & tua, mea sunt: & clarificatus sum in eis: Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: vt sint vnum, sicut & nos. Cùm essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodiui: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, vt Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meũ impletum in semetipsis. Ego dedi eis sermonẽ tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo; sicut & ego non sum de mundo. Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. De mundo non sunt; sicut & ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico meipsum: vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: vt credat mundus quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me: vt sint consummati in vnum, & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater iuste, mundus te non cognouit: ego autem te cognoui: & hi cognouerunt, quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.*

*Neque enim satis fuerat susceptos homines cum Christo moriente cruci suffixos commori, & veterem hominem, hoc est, peccati corpus per mortem aboleri, nisi eosdem quoque cum resurgente in vitam renouatos, ex mortuis verè existere diuino consilio definitũ, diuinoq; dono præstitum esset. Nam si mortuum mansisset humanum genus, diuini iudicij sententiæ fuisset quidem factũ satis; verùm misericordiæ Dei non satis fuisset datum. vtrique autem diuinæ virtuti cautũ esse oportuit, atq; ita benedicendæ & amplificandæ humana terræ abunde consultũ. S. S. E. Misericordia & veritas obuiauerunt*
Psal. 84. „ *sibi: iustitia & pax osculatæ sunt. Veritas de terra orta est: & iustitia de cœlo prospexit. Etenim Dñs dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum. Iustitia ante eum ambulabit, &c. Christus (inquit Paulus) traditus*
Rom. 4. „ *est propter scelera nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.*

*Atqui*

*Atqui vti Christi mortem cælo ac terræ, & hominum conditioni omni notissimam; ita rursus resurrectionem non elementis modò, sed cæli etiam ciuibus, sed hominum sexui & nationi conditioniq; omni quàm testatissimam, atq; adeò inimicis ipsis non testium officio tantùm, sed suo etiam damno & sumptu certam constantemq; esse Deus voluit.*

*Vespere autem sabbathi quæ lucescit in prima sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria, videre sepulchrum. Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo: & accedens, reuoluit lapidem, & sedebat super eum: erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix. Præ terrore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autem Angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim quia Iesum, qui crucifixus est, quæritis. non est hic: surrexit enim, sicut dixit. venite, & videte locum vbi positus erat Dominus. Et citò euntes, dicite discipulis eius quia surrexit: & ecce præcedit vos in Galilæam. ibi eum videbitis. Ecce prædixi vobis. Et exierunt citò de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nunciare discipulis eius. Et ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus, Nolite timere. Ite, nunciate fratribus meis vt eant in Galilæā, ibi me videbunt. Quæ cùm abiissent, ecce quidā de custodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt Principibus Sacerdotū omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum Senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit à Præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti, &c.* Math. 28.

# De legitimorum testimoniorum Resurrectionis Iesu Christi sancta fide.

## Cap. XXIX.

IESV è mortuis rediuiui & exstantis non modò rumores ex illo concilij atque custodum negotio per vrbem & populum sparsos, atq; ex mulierū sermone dissipatos, verùm constantem famā ex plurimorum testium varia & multiplici ac frequenti confirmatione celebrem, ad omnem orbis regionem, ad omnia posteritatis etiam secula manare diuina prouidentia voluit ac iussit. Quamobrem totis quadraginta diebus varia veritatis huius exempla commemorantur edita & spectata, nulli prorsus exceptioni obnoxia; quippe quæ non solùm testium frequentia, sed ambiguitatis ac dubitationis examine omni tentata, & vero ac solido manifestóque euentu comprobata & laudata euaserint. Quorum capita citra vllam interpretationis curam (quippe quæ sua sponte aperta & clara sunt) recensere & citare tantùm opus nobis fuerit. Et exierunt citò de mo- Math. 28.

„ numento cum timore & gaudio magno, currentes nunciare discipulis eius.
„ Et ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerũt
„ pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus, Nolite timere. Ite, nun-
„ ciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. Vndecim au-
„ tem discipuli abierunt in Galilæam, in montem vbi constituerat illis Iesus,
„ & videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt.

Marci 16. Item duobus ex eis ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in
„ villam. & illi euntes nunciauerunt cæteris: nec illis crediderunt.

Lucæ 24. Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis: Pax
„ vobis: ego sum: nolite timere. Conturbati verò & conterriti, existimabant se
„ spiritũ videre. Et dixit eis, Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in
„ corda vestra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum. palpate, & vi-
„ dete: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm
„ hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autẽ illis non credẽtibus, &
„ mirãtibus præ gaudio, dixit: Habetis hîc aliquid quod mãducetur? At illi ob-
„ tulerunt ei partẽ piscis assi, & fauum mellis. Et cùm manducasset corã eis,
„ sumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos, Hæc sunt verba quæ locutus sum
„ ad vos cùm adhuc essem vobiscũ, quoniã necesse est impleri omnia quæ scri-
„ pta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tũc aperuit illis sen-
„ sum, vt intelligerent Scripturas, & dixit: Quoniam sic scriptum est, & sic
„ oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari in
„ nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, &c.

Iohan. 20. Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis
„ quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli, Vidimus Dominũ. Ille
„ autẽ dixit eis, Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittã di-
„ gitum meum in locũ clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non
„ credam. Et post dies octo, iterũ erant discipuli eius intus: & Thomas cũ eis.
„ Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. Dein-
„ de dicit Thomæ, Infer digitum tuũ huc, & vide manus meas, & affer ma-
„ num tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. Re-
„ spondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Iesus,
„ Quia vidisti me, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.

1 Cor. 15. Notum autem vobis facio, fratres, Euangelium quod prædicaui vobis, quod
„ & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini, qua ratione prædicaue-
„ rim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis in primis
„ quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundùm
„ Scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die, secũdùm Scri-
„ pturas: & quia visus est Cephæ, & post hoc vndecim. Deinde visus est plus
„ quàm quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent vsque adhuc, qui-
„ dam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus.
„ Nouissimè autem omnium, tanquam abortiuo, visus est & mihi. Ego enim
„ sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, &c.

# Iesu Christi ex mortuis exstantis officium ac doctrina prior. CAP. XXX.

*QVÆ Christum facere, quæq́ pati oportuerat ab eo die quo se primùm spectandum audiendumq́ præbuit ad mortis atque resurrectionis tempus, omnia iam consummata, absoluta, transactaq́ hactenus fuêre: nunc verò deinceps, quæ agenda restabant, indicabimus: postremò, quæ præstāda supererant, laude & admiratione potiùs quàm explicatione, eodem ipso suggerente, prosequemur.*

*Igitur Iesus Christus quàm primùm ex mortuis victor, propositiq́ compos exstitit, de iis, quos à seruitute antiqua liberauerat, ad peculiaris ac diuini populi conditionem ac dignitatem instruendis & adornandis, toto quadraginta dierum spacio diligentißimè agit: ac medium tempus illud inter carnis suæ dies, & inter spiritualis regni manifestationem, ad futuri status amplitudinem optandam, expetendam, & exspectandam, interdum arcano, aperto nonnunquam sermone suos, quos in terra habebat, homines instituit & adhortatur: eademq́ operâ ad ministeria eidem præparando populo opportuna & apta variis muneribus, donis, ac virtutibus eos, quos delegerat, auctos & illustratos adornat, atque horum ministeriorum vim, efficacitatē, vsum, propagationem, ac stabilitatem docet: regniq́ iam sibi hominum causâ parti incomparabilem felicitatem identidem commendat, & sapientiæ diuinæ, qua regnum illud gubernandum & conseruandum esset, magnitudinem altitudinemq́ nemini veteris Adami filio attingendam, indicando magis quàm explicando cupiendam & postulandam laudat.*

*Rursus verò docet aduersarij antiqui Satanæ, quamquam iudicio iam & veritate causaq́ deuicti, ac proinde regni ac principatus auctoritate & possessione penitus expulsi, mentem tamen malignam, & inuidiam pristinam constare ac manere, & calliditatem insidiarumq́ machinationes & argumenta, truculentamq́ hominibus nocendi rabiem & auiditatem, prætereaq́ ad artes, quibus hominum generi imponatur, vel nouè excogitādas, vel mutatis tantùm variatisq́ exemplis renouandas ingenium superesse. Hæc verò in eos qui iam ad regni cælestis dignitatem & vsuram admißi, interq́ ciues conscripti & confirmati fuerint, nihil virium aut facultatis habitura afferit: iis autem quibus nondum illa felicitas contigerit, promissa tamen optabitur, & expetita studiosè quæretur & curabitur, quemadmodum artes illæ effugi, vitari, eludi, contemniq́ poßint, documenta tum ad cognoscendū, tum ad superandum idonea opportunaq́ in posterum statuit; affirmatq́, caput corpusq́ suum ab illius antiqui Serpentis morsu liberum prorsus ac tutum esse, tantùmque superesse cognoscendas & vincendas, traditis à se modis, insidias postremæ corporis sui parti, hoc est, calcaneo, tensas & occultatas. S. S. E. Et ipsum conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius.* Gen. 3.

*Atque*

*Atque priorem quidem huius curæ suæ partem multis nominibus, elogiis, titulis, ac similitudinibus, multis virtutis ac efficientiæ vsusq; obseruandis argumentis describit, comparationibus etiam adiunctis illustrat. In primis verò ait, se hactenus rudibus & humani sensus facultatem nondū excedentibus magistrum ac præceptorem egisse, & patronum pariter ac tutorem, denique seruorum dominum, seruorum, inquam, adhuc carnis & Adami conditioni addictorum, ideoq; præcepta dedisse, atque exempla etiam ostendisse, quæ capi ac teneri sensibus possent, præsentemq; sese in carne monitorē, exhortatorem, defensorem, & consolatorem præbuisse, & interim certis imaginibus quæ illis promissa essent, quæq; ille comparanda ipsis curaret ac moliretur, significasse: nunc verò à morte resurrectioneq; sua iam omnia hæc sibi esse comparata, & in cælis apud Patrem suum reposita, maxima & præstantissima dona, quæ sola beatos facere possent homines, nulliusq; præterea ad veram felicitatem rei egentes, tanto potiora & præstantiora iis quæ hactenus edidicerant & acceperant, quantum spiritualia carnalibus, cælestia terrenis, diuina humanis præstare possint; adeò vt corporis etiam sui præsentiā illam priorem ante mortis tempus, & hanc iam exstantis ex mortuis posthabendam dicat consolationi illi quam à se exspectandam pollicetur, & instruit. quippe quæ se non corporeis oculis conspiciendum, sed interna animi ac spiritus renouatione tenendum, auctore Patre suo, & efficiente Spiritu sancto, præstitura sit, illosq; in alios viros, Dei filios, suosq; fratres conformatura; effectura porrò maximæ & incōparabilis doctrinæ ac sapientiæ peritissimos, omniumq; mortalium, etiam doctissimorū mundi huius immenso interuallo præstantissimos, ac planè cælestes, diuinos, & Sanctorum ciues, Deiq; domesticos, atque adeò veros viuosq; lapides sacrosanctæ domus, quam Deus ipse inhabitans adornansq; perpetuò teneat. Huius demum diuini beneficij veritate & constantia suam ipsius gloriam, auctoritatem, & amplitudinē omni orbi, cælestium, terrestrium, & inferorum naturis, ordinibusq; cunctis manifestatum & confirmatū iri prædicit. Quibus verò sermonibus discipulos ille suos allocutus, maximum hoc in hominibus suâ operâ, & diuini Spiritus efficientiâ, à Patre ponendum significauerit, opportunè iam referemus.*

Lucæ 24. *Ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum quod erat in spatio stadiorum
„ sexaginta ab Ierusalem, nomine Emmaus: & ipsi loquebantur ad inuicē de
„ his omnibus quæ acciderant. Et factum est: dum fabularentur & secū quæ-
„ rerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis. oculi autem illorum tene-
„ bantur ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones quos con-
„ fertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus, cui no-
„ men Cleophas, dixit ei, Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cogno-
„ uisti quæ facta sunt in illa, his diebus? Quibus ille dixit, Quæ? Et dixerunt:
„ De Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone coram
„ Deo & omni populo: Et quomodo eum tradiderunt summi Sacerdotes &
„ Principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. nos autem
spera-*

*sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel: & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quòd hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non viderunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendũ in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt castello quò ibant, & ipse finxit se longiùs ire. Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cũ illis. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorũ, & cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem, Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? Et surgentes eadem hora regreßi sunt in Ierusalem: & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum illis erant, dicentes, Quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via: & quomodo cognouerunt eum in fractione panis. Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis, Pax vobis: Ego sum: nolite timere. Conturbati verò & conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis, Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum. palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa nõ habet, sicut me videtis habere. Et cùm hæc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autẽ illis non credẽtibus, & mirãtibus præ gaudio, dixit: Habetis hîc aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem pisces assi, & fauum mellis. Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remißionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma. Vos autem testes estis horum. Et ecce ego mittam promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.*

*Quæ verò se locutum illis fuisse ait cùm adhuc cum illis esset, huiusmodi sunt. Cùm ergo exisset [Iudas] dixit Iesus, Nunc clarificatus est Filius hominis: & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificauit eum in semetipso: & continuò clarificabit eum. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me: & (sicut dixi Iudæis) quò ego vado, vos non potestis venire: & vobis dico modò. Mandatum nouum do* Iohan. 13.

» vobis, Vt diligatis inuicem: sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In
» hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionẽ habueritis ad in-
» uicem. Dicit ei Simon Petrus, Domine, quò vadis? Respondit Iesus, Quò
» ego vado, non potes me modò sequi, sequêris autem postea. Dicit ei Petrus,
» Quare non possum te sequi modò? Animam meam pro te ponam. Respondit
» ei Iesus, Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi, non cantabit
Iohan. 14. gallus donec ter me neges. Et ait discipulis suis, Non turbetur cor ve-
» strum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei mansiones
» multæ sunt. si quo minùs, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.
» Et si abiero, & præparauero vobis locum; iterum venio & accipiam vos ad
» meipsum: vt vbi sum ego, & vos sitis. Et quò ego vado scitis, & viam scitis.
» Dicit ei Thomas, Domine, nescimus quò vadis: & quomodo possumus viam
» scire? Dicit ei Iesus, Ego sum via, & veritas, & vita. nemo venit ad Pa-
» trem nisi per me. Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis:
» & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum. Dicit ei Philippus, Domine,
» ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus, Tanto tempore vo-
» biscũ sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem.
» Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, &
» Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor. Pater au-
» tem in me manens, ipse facit opera. Non creditis quia ego in Patre, & Pater
» in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui
» credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia
» ego ad Patrẽ vado, & quodcunq; petieritis Patrẽ in nomine meo, hoc faciam:
» vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam.
» Si diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo Patrem, & alium Pa-
» racletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis,
» quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. vos au-
» tem cognoscetis eũ: quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam
» vos orphanos: veniam ad vos. Adhuc modicum: & mundus me iam non vi-
» det. Vos autem videtis me: quia ego viuo, & vos viuetis. In illo die vos cog-
» noscetis quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui ha-
» bet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me,
» diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.
» Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes, Domine, quid factum est, quia manife-
» staturus es nobis teipsum, & non mundo? Respondit Iesus, & dixit ei, Si
» quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad
» eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. qui non diligit me, ser-
» mones meos non seruat. Et sermonem quem audistis, non est meus: sed eius
» qui misit me, Patris. Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Paracletus
» autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit
» omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Pacem relinquo
» vobis, pacem meam do vobis. non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non
turbe-

*turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis, Vado, « & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem, « quia Pater maior me est. Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt, cùm factum « fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiscũ. Venit enim Princeps mundi « huius, & in me non habet quicquam. Sed vt cognoscat mundus quia diligo « Patrem; & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc. «*

*Ego sum vitis vera: & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me, Ioan. 15. non ferentem fructũ, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, « vt fructũ plus afferat. Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus « sum vobis. Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fru- « ctum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis. Ego « sum vitis: vos palmites. qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum mul- « tum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur « foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ar- « det. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcunque vo- « lueritis petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus: vt fructũ plu- « rimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, & ego « dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebi- « tis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in « eius dilectione. Hæc locutus sum vobis: vt gaudium meũ in vobis sit, & gau- « dium vestrũ impleatur. Hoc est præceptum meum, Vt diligatis inuicem, sicut « dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suã ponat quis « pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam « non dico vos seruos: quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem « dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Non « vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructũ afferatis: « & fructus vester maneat: vt, quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, « det vobis. Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit: scitote « quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis; mũdus quod suum « erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, pro- « pterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis, Non « est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. si « sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia faciẽt « vobis propter nomen meũ: quia nesciunt eum qui misit me. Si non venissem, « & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non « habent de peccato suo. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera non fe- « cissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. nunc autem & « viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. Sed vt adimpleatur sermo « qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis. Cùm autem « venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui « à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: & vos testimonium « perhibebitis, quia ab initio mecum estis. «*

Ioan. 16. *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque synagogis facient*
,, *vos: sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præ-*
,, *stare Deo. & hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem neque me. Sed*
,, *hæc locutus sum vobis: vt cùm venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego*
,, *dixi vobis. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram: Et nunc*
,, *vado ad eum qui misit me; & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis? Sed*
,, *quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem*
,, *dico vobis; expedit vobis vt ego vadam. si enim non abiero, Paracletus non*
,, *veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cùm venerit ille, ar-*
,, *guet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. de peccato quidem: quia*
,, *non credunt in me. de iustitia verò: quia ad Patrem vado: & iam non vide-*
,, *bitis me. de iudicio autem: quia Princeps huius mundi iàm iudicatus est.*
,, *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò. Cùm au-*
,, *tem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. non enim*
,, *loquetur à semetipso: sed quæcunque audiet, loquetur; & quæ ventura sunt,*
,, *annunciabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit*
,, *vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo*
,, *accipiet, & annunciabit vobis. Modicum, & iam non videbitis me: & ite-*
,, *rum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex*
,, *discipulis eius ad inuicem, Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum, & non*
,, *videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, &, quia vado ad Patrem?*
,, *Dicebant ergo, Quid est hoc quod dicit, Modicum? nescimus quid loquitur.*
,, *Cognouit autem Iesus, quia volebant eum interrogare: & dixit eis, De hoc*
,, *quæritis inter vos, quia dixi, Modicum, & non videbitis me, & iterum mo-*
,, *dicum & videbitis me. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis*
,, *vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra*
,, *vertetur in gaudium. Mulier cùm parit, tristitiã habet; quia venit hora eius:*
,, *cùm autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium,*
,, *quia natus est homo in mundum. Et vos igitur, nunc quidem tristitiam ha-*
,, *betis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium ve-*
,, *strum nemo tollet à vobis. Et in illo die me non rogabitis quicquam. Amen,*
,, *amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vs-*
,, *que modò non petistis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis: vt gau-*
,, *dium vestrum sit plenum. Hæc in prouerbiis locutus sum vobis. Venit hora*
,, *cùm iam non in prouerbiis loquar vobis, sed palàm de Patre annunciabo vo-*
,, *bis. in illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo Pa-*
,, *trem meũ de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credi-*
,, *distis quia ego à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum: iterũ relin-*
,, *quo mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli eius: Ecce, nũc palàm*
,, *loqueris, & prouerbium nullum dicis. nunc scimus quia scis omnia, & non*
,, *opus est tibi vt quis te interroget. in hoc credimus quia à Deo existi. Respon-*
,, *dit eis Iesus, Modò creditis? Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini*
*vnus-*

*vnusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia* «
*Pater mecum est. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mun-* «
*do pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.* «

*Hæc locutus est Iesus: & subleuatis oculis in cælum, dixit: Pater, ve-* Ioan. 17.
*nit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te. sicut dedisti* «
*ei potestatem omnis carnis: vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æter-* «
*nam. Hæc est autem vita æterna, Vt cognoscant te solum Deum verum,* «
*& quem misisti Iesum Christum. Ego te clarificaui super terram: opus con-* «
*summaui quod dedisti mihi vt faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud* «
*temetipsum, claritate quam habui priùs quàm mundus esset, apud te. Ma-* «
*nifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Tui erant,* «
*& mihi eos dedisti: & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt* «
*quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt: quia verba quæ dedisti mihi, dedi* «
*eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt* «
*quia tu me misisti. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his quos de-* «
*disti mihi: quia tui sunt: & mea omnia, tua sunt; & tua, mea sunt: & clari-* «
*ficatus sum in eis: Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego* «
*ad te venio. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: vt sint* «
*vnum, sicut & nos. Cùm essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo.* «
*Quos dedisti mihi, custodiui: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, vt* «
*Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, vt* «
*habeant gaudium meũ impletum in semetipsis. Ego dedi eis sermonẽ tuum,* «
*& mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo; sicut & ego non sum* «
*de mundo. Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. De* «
*mundo non sunt; sicut & ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate.* «
*Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in* «
*mundum. Et pro eis ego sanctifico meipsum: vt sint & ipsi sanctificati in* «
*veritate. Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt* «
*per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego* «
*in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: vt credat mundus quia tu me misisti. Et* «
*ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum* «
*sumus. Ego in eis, & tu in me: vt sint consummati in vnum, & cognoscat* «
*mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Pater, quos* «
*dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt videant claritatem* «
*meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pa-* «
*ter iuste, mundus te non cognouit: ego autem te cognoui: & hi cognouerunt,* «
*quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: vt di-* «
*lectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.* «

*Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Iesus* Actor. 1.
*facere & docere, vsque in diem qua præcipiens Apostolis per Spiritum* «
*sanctum, quos elegit, assumptus est. Quibus & præbuit seipsum viuum post* «
*passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, &* «

» loquens de regno Dei. Et conuescens præcepit eis, à Ierosolymis ne discede-
» rent, sed exspectarent promißionem Patris, Quam audistis (inquit) per os
» meum: Quia Iohannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini
» Spiritu sancto non post multos hos dies.

Alteram verò curæ actionumq́ suarum partem, quæ ad instruendos informandosq́ Apostolos, ac publicæ salutis denunciandæ, conciliandæ, administrandæq́ causa in totum orbem delegandos pertinebat, duobus capitibus hoc tempore absoluit, auctoritatis potestatisq́ ad agendam gerendamq́ legationem, cum facultate ligandi ac soluendi, id est, Euangelicæ veritatis & efficacitatis exercendæ in vitam credentium, & rursus in oppugnantium & explodentium mortem: Instructionis quoque doctrinæq́ in actionibus tenendæ & obseruandæ vltra eam rationem quam à principio acceperant, nūc etiam deinceps non minùs accuratè habendam, præter vnicum articulū quo
Matth. 10. illis antea cautum legimus: In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates
» Samaritanorum ne intraueritis, sed ite potiùs ad oues quæ perierunt domus
» Israel. Namque hanc exceptionem illo tempore opportunam, nunc iam deinceps omnino sublatam superuacaneamq́ fore pronunciat, quod hactenus Israelitarum Euangelistā egisset, posthac verò salutis publicæ hominibus partæ omnibus vniuerso terrarum orbi Pontificem, auctorem, & Euangelij sui virtute, suorúmque ministerio, conciliatorem præstitorémque agat.

Verùm enimuero quamquam hæc omnia illis hac tempestate dixerit, mandauerit, ac præstiterit quæcunque ad auctoritatem miraculorum ac signorum facultatem pertinerent; maximæ tamen ac diuinæ reconditæq́ sapientiæ donum sæpius iam per Vates promissum, atque suis commendationibus repetitum, non nisi postquam ad Patrem rediit, plenè largitus est. quamquam sacrorum scriptorum notitiam sensumq́ abundè suppeditarit, scientiam videlicet rerum omnium quæ veram salutis in sacris arcanisq́ voluminibus vel indicationem vel significationem continent: quam postea cum sapientiæ veritate conuenire & ipsi admirati cognoscerent, & ad hominum doctrinam pro loco ac tempore vsurparent.

Atque vtramque hanc, quam distinximus, actionum & expeditionum partem ab Euangelij Scriptoribus narratam obseruamus. Priorem sic:

Matth. 28. Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem vbi constituerat illis Iesus: & videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitaue-
» runt. Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas
» in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in no-
» mine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæ-
» cunque mandaui vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad
» consummationem seculi.

Lucæ 24. Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis: Pax
» vobis: ego sum: nolite timere. Conturbati verò & conterriti, existimabant se
» spiritū videre. Et dixit eis, Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in
corda

corda vestra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum. palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hîc aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos, Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, & dixit: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma. Vos autem testes estis horum.

Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis, cùm surrexisset à mortuis. Cùm ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus, Simon Iohannis, diligis me plus his? Dicit ei, Etiam Domine: tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei iterum, Simon Iohannis, diligis me? Ait illi, Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei iterũ, Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò, Simon Iohannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me? & dixit ei, Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dicit ei Iesus, Pasce oues meas. Amen, amen dico tibi, cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cùm hoc dixisset, dicit ei, Sequere me. Ioan. 21.

Nouissimè autem recumbentibus illis vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem illorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis, Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super egros manus imponent, & bene habebunt. Marci 16.

Iesus

# Iesus Christus ex mortalium conspectu sublatus ad Patrem rediit.

## CAP. XXXI.

IGITVR *rebus omnibus, quas vnctus ille Iesus in diebus carnis suæ ad agendum ac gerendum susceperat, post multos exantlatos labores prorsus confectis & absolutis, discipulisq́ post hæc suis instructis, & populi sibi comparati ac mox amplificandi constituta forma, illud, quod vnicum restabat agẽdum, expediit: Hoc est, vt iustissimum triumphum sibi ex victoria à Patre decretũ à terris in calũ deportaret, captiuorum circunducto agmine, eorum videlicet, quos ex peccati vinculis mortis & inferni ergastulo solutos, in libertatem asseruerat, & eorum, quos vicerat, simulachris triumphali pompa repræsentandis, atque maximarum diuitiarum thesauris referendis, non argenti, non auri, non vestium, qualia in hominum spectari consueuere triumphis, verùm cælestium ac diuinorum donorum & ornamentorum quæ à se in suorum quos in cælum deduceret, quosq́ in terris haberet discipulos & cultores, vsum & amplificationem, vbi Patri ac cælestium aulæ probasset, eroganda ac distribuenda iure optimo ipse solus sibi parta comparauerat. Cuius quidem triumphi decretum diuino consilio*
Psal. 67. *antea factum, & Vatibus ad decantandum fuerat dictatum: Currus Dei*
» *decem millibus multiplex, millia lætantiũ: Dominus in eis in Sinài in San-*
Ephes. 4. *cto. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus.*
Isaiæ 62. *Transite, transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, &*
» *eligite lapides, & eleuate signum ad populos. Ecce Dominus auditum fecit*
» *in extremis terræ. Dicite filiæ Sion, Ecce Saluator tuus venit, ecce merces*
» *eius cum eo, & opus eius coram illo. Et vocabunt eos, Populus sanctus, Re-*
» *dempti à Domino. Tu autem vocaberis Quæsita ciuitas, & non Derelicta.*
» *Quis est iste qui venit de Edom, tinctus vestibus de Bosra? Iste formosus in*
» *stola sua, gradiẽs in multitudine fortitudinis suæ. Ego qui loquor iustitiam,*
» *& propugnator sum ad saluandum. Quare ergo rubrum est indumentum*
» *tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcaui so-*
» *lus, & de gentibus non est vir meeum. Calcaui eos in furore meo, & concul-*
» *caui eos in ira mea. Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, &*
» *omnia indumenta mea inquinaui. Dies enim vltionis in corde meo, annus*
» *retributionis meæ venit. Circumspexi, & non erat auxiliator; quæsiui, &*
» *non fuit qui adiuuaret. Et saluauit mihi brachium meũ, & indignatio mea*
» *ipsa auxiliata est mihi. Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos*
» *in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum. Miserationum*
» *Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Do-*
» *minus, & super multitudinẽ bonorũ domus Israel, quæ largitus est eis secũ-*
» *dùm indulgentiã suam, & secundùm multitudinẽ misericordiarũ suarum.*

*Atque*

*Atque triumphum illum quadragesimo, postquam ex mortuis exstiterat, die à Christo agendum diuina constituerat prouidentia, Angelorum sublimiumq́ Spirituum frequentia celebrem, ac vndecim Apostolorum spectantium testimonio plus quàm legitimo declarandum: quibus per cælestes spiritus ratio exposita fuit victoriæ & gloriæ eius qui triumphabat, & simul promissio confirmata maximorum donorum quæ secum paulo pòst in illos distributurus, contulerat: tam certa ac præsens ipsis futura, quàm certus ac exploratus erat illius in cælum reditus & ascensus; quo deinceps ad Patris dextram sedere, & regni in suos constituendi, propagandi, & exornandi, diuinisq́ muneribus amplificandi, atq́ in æternum stabiliendi, Principem Pontificemq́ agere. Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedit à dextris Dei.* Marci 16. *Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus suis, benedixit eis.* Lucæ 24. *Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in calũ: & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumq́ intuerentur in cælum euntem illum, Ecce duo viri adstiterũt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Actor. 1.

# LIBER OCTAVVS.

## De Parasceue.

### Cap. I.



MAXIMVM *optimumq́ datum illud perfectum & arcanum donum, à Deo quondam sæpius per Vates promissum, & per Filium suum nuper identidem significatum ac repetitum, dudumq́ iam partum, non omnibus promiscuè, ac sine delectu demum conferendum fuerat, sed iis tantùm qui pristinæ ac paternæ conditionis consuetudinisq́ pœnitentes, mutationis ac veræ sui renouationis ardenti desiderio incensi, vota precesq́ Deo auctori vnico constanter ac fideliter facerent, nihil sibi arrogantes tanquam proprium, sed ex diuinæ auctoritatis præscripto tanquam serui inutiles, fideles tamen sese in obsequium præbẽtes, quo essent singuli loco admirabilem ac supernam cælestis iustitiæ liberalitatem summa constantia præstolarẽtur. hos enim ita expetentes, ita propriæ salutis cupidos, ita mandatorum obedientia, & fide, curationeq́ exercitos, quos suis muneribus augeret, dignos fore Spiritus definierat sanctus. cæteros verò qui Adami veteris naturam & conditionem cum vitiis partim à parẽte acceptis, partim ratione mala culpaq́ propria adauctis, retinere potiùs quàm exuere mallent, vel verbo tantùm atq́ oratione*

*honesta detestati, re tamen fouerent & vrgerent, tanquam impura vasa à diuinæ vnctionis illius communicatione & custodia prorsus abiiciendos fore Deus prædixerat. Vtriusque verò partis varia ratio huiusmodi oraculis*
Gen. 6. *declarata est: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia ca-*
Isaiæ 66. *ro est. &, Hæc dicit Dominus, Cælum sedes mea, terra autem scabellum pe-*
» *dum meorum: quæ est ista domus quam ædificabitis mihi, & quis est iste lo-*
» *cus quietis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa ista,*
» *dicit Dominus. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculũ & contritum*
» *spiritu, & trementem sermones meos? Quam eandem rem Dei ipse Filius*
Matth 5. *antiquis promissis repetendis ac declarandis confirmabat: Beati pauperes spi-*
» *ritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites: quoniam ipsi possi-*
» *debunt terram. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esu-*
» *riunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes:*
» *quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi*
» *Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam ipsi filij Dei vocabuntur. Beati qui*
» *persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum*
» *cælorum. Atque omnia hæc, regnum cælorum, terræ possessio, consolatio, misericordia, visio Dei, filiorum nomen ac titulus, adumbrationem significationémque obtinent diuini illius ac maximi promissi hominibus propriæ salutis expetentibus eadem lege exspectandi, qua discipulos Christi exspectare iussos accepimus.*

# Præcepta discipulis data promissi diuini exspectandi causa. CAP. II.



CVM *primis charitatem ac pacem colere iussi sunt, tum singularem vniuscuiusque secum, tum mutuam inter se: quam ciuitatis, in qua manere iubebantur, nomine, arcanaq́ue nominis significatione acceperunt. Quippe qui iam sacrorum Scriptorum edocti sensa, quid etiam nomina verbaq́ue significarent, probè tenerent. Nomen autem* Ierusalem, *& altam, sublimem, conspicuamq́ue pacem, & conspicuam absolutionem, atque adeò perfectionis altæ contemplationem significat. Huic itaque pacis veræ ac probandæ studio, huic sublimitatis conditioni intentos ac deditos maximum Dei promissum exspectare iubet Iesus, certum ac præsens propediem futurum, vt iam à se comparatum atque ipsis paratum, non alia*
Psal. 132. *verò huic aduersante lege accipiendum. S.S.E. Ecce quàm bonum, & quàm*
» *iucundum, habitare fratres in vnum. Sicut vnguentũ in capite, quod descen-*
» *dit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius: sicut*
» *ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Quoniam illic mandauit Do-*
» *minus benedictionem, & vitam vsque in seculum.*

*Eosdem præterea à curiosæ superuacaneæq́ue scientiæ cognitionisq́ue studio, earum præsertim rerum quæ veritatem donorum diuinorum vel impediunt*

*vel*

*vel obscurant, animum auocatum ac liberum seruare docuit; eaq; relinquere aliis, qui vel mundi sapientiam profitentur, vel carnis sanctitatē ingenio suo ac industriæ propriæ gloria tumentem præferrent ac iactarent, quibuscum nullam illis in ea re communionem esse oportere significabat, vtpote sanctitudinem suam non à se, verùm à Dei virtute sibi præstandam sperantibus. Neque verò quod ab huiusmodi externis animi occupationibus vacarent, ideo otio, vel inertia, aut negligentia torpere debuerant, sed potiùs iis occupari & exerceri actionibus, quæ & singulorum prodessent menti, & ad communem publicamq; futuri populi vtilitatem, administrationem, felicitatemq; facerent: id quod non tumultuosè aut vulgariter curandū fuit, sed ordine rerum ac personarum seruato, distinctisq; circunstantiis; non tamen ex cuiuspiam priuato sensu, sed potiùs ex diuinorum Scriptorū norma, quatenus ea apertè cognosci teneriq; poterat: si quid verò difficultatis aut ambiguitatis præterea incidisset, ad prouidentiā auctoritatemq; Dei referretur, nunquā huiusmodi simplicitate vsis, atq; fide ductis, & spe firmatis defuturā; quibus ita fuerat promissum, Ecce ego vobiscū sum omnibus diebus, vsque ad cōsummationem* Matth. 28.
*seculi. Hæc itaque discipulorum Iesu Christi diuinum donum expetentium, postulantium, & exspectantium singularis & communis ratio, mens, & actio, hic status fuit, ab eo die quo sublatus in cælum præceptor, humanū carnis conspectum ab his subducens, alium efficaciorem ac beatiorem internum & spiritualem pollicitus, attento animo ac studio postulandum, ac voto exoptandū spectandumq; persuasit. Et ego mitto promissum Patris mei in vos.* Lucæ 24.
*Vos autē sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto. Et eduxit “*
*eos foras in Bethaniam: & eleuatis manibus suis benedixit illis. Et factum “*
*est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum. Et ipsi ad- “*
*orantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno: & erant semper in “*
*templo laudantes & benedicentes Deum. “*

*Huiusmodi perpetuo studio intentos oportuit esse eos, qui ab externo Iesu Præceptoris conspectu ad internum cogitandum & exspectandum toto animo traducti erant. quamobrē in iis, quæ Patris æterni esse cognoscebant, versabantur, id est, in templo, iis temporibus & horis quibus sacra & preces factitari solerent, & in proprio ipsorum collegio, quod in verum ac viuum Dei templum adornabatur. S.S.E. Et conuescens præcepit eis, ab Ierosolymis ne* Actor. 1.
*discederent, sed exspectarent promissionem Patris, Quam audistis (inquit) “*
*per os meum: quia Iohannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabi- “*
*mini Spiritu sancto non post multos hos dies. Igitur qui conuenerant, inter- “*
*rogabant eum, dicentes, Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? “*
*Dixit autem eis, Non est vestrum nosse tempora vel mométa, quæ Pater po- “*
*suit in sua potestate: sed accipietis virtutē superuenientis Spiritus sancti in “*
*vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & “*
*vsque ad vltimum terræ. Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est: “*
*& nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumq; intuerentur in cælum euntem “*

» illum, ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt,
» Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à
» vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.
» Tunc reuerſi ſunt Ieroſolymam à monte qui vocatur Oliueti, qui eſt iuxta
» Ieruſalem, ſabbathi habens iter. Et cùm introiſſent in cœnaculum, aſcende-
» runt vbi manebant Petrus & Iohannes, Iacobus & Andreas, Philippus &
» Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi & Simon Zelotes,
» & Iudas Iacobi. hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum
» mulieribus & Maria matre Ieſu, & fratribus eius. In diebus illis exſurgens
» Petrus in medio fratrum, dixit (erat autem turba hominum ſimul, ferè cen-
» tum viginti) Viri fratres, oportet impleri ſcripturam quam prædixit Spiri-
» tus ſanctus per os Dauid de Iuda, (qui fuit dux eorum qui comprehenderũt
» Ieſum: qui connumeratus erat in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterij hu-
» ius. Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus cre-
» puit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius. Et notum factum eſt omni-
» bus habitantibus Ieruſalem: ita vt appellaretur ager ille lingua eorum, Ha-
» cel-dema, hoc eſt, ager ſanguinis.) Scriptum eſt enim in libro Pſalmorum:
» Fiat commoratio eorum deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea: Et epiſco-
» patum eius accipiat alter. Oportet ergo ex his viris qui nobiſcum ſunt congre-
» gati, in omni tempore quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Ieſus, inci-
» piens à baptiſmate Iohannis vſque in diem qua aſſumptus eſt à nobis, teſtem
» reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis. Et ſtatuerunt duos, Ioſeph,
» qui vocatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus; & Mathiam. Et orantes
» dixerunt, Tu Domine qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his
» duobus vnum, accipere locum miniſterij huius & apoſtolatus, de quo præua-
» ricatus eſt Iudas vt abiret in locum ſuum. Et dederunt ſortes eis, & ceci-
» dit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis.

## Euangelicum ſabbathum.

### CAP. III.


NTIQVAS Iſraelitarum hiſtorias figuram imaginemq́ renouandi hominum generis prætuliſſe aſſerturi, repetendis teſtimoniis minimè nos egere arbitramur: quippe cùm ea iam protulerimus, quæ ſatis ſuperq́ eſſe ducebamus, & multa præterea alia paſſim in ſacris lectionibus obuia ſupereſſe admonuimus. Quare à noua argumentationis de eadem re ſuperuacanea mora ad myſteria conferenda & aperienda prouehi conſultiùs arbitramur.

Educto ex Aegyptiaca ſeruitute populo, tertius menſis in ſolitudine actus eſt, antequam diuina lex apud Sinam montem daretur: cuius legis beneficio, luce, doctrina, & exercitatione, reſpublica illa, præ cæteris totius terrarum orbis, ſapientiſſima & feliciſſima conſtituenda & gubernanda erat, cùm eo

tem-

*tempore quo per deserta & solitaria ac sterilia iter faceret loca, tum verò omnibus deinde seculis quibus promissæ regionis patriam, ex diuinóque dono concessam, obtineret & coleret; hoc tamen discrimine, videlicet quòd, quàm diu in solitudine vagari atque morari iubebatur, cibis non ex terra, vtpote nullius frugis aut fructus feraci, sed ex superiori æthere assiduo prouidentiæ munere suppeditatis pasceretur, quoad inita primùm hæreditate iis fructibus de cætero vsi fuêre, quos plurimos, varios, eosdemq́ laudatissimos & optimos regio ipsa vberrimè producẽs, ob eam rẽ lacte ac melle manare dictitabatur.*

*Atque legem illam antiquam ministro Moyse Israelitis allatam, traditam, commendatam atq́ explicatam, nemo est qui nesciat; eumq́ ministrum à populo totis quinquaginta diebus non fuisse conspectum, vtpote in montis editissima parte cum Deo de legis vsu & cultu, de Israelitica republica agẽtem: postea verò rursus redditum duas lapideas tabulas attulisse, quibus præceptorum summa ratio atque totius humanæ vitæ ars continebatur inscripta. Verùm Moyses ipse ex illo tempore, quo cum Deo collocutus atque familiari magis consuetudine vsus fuit, longè maiore gloria & splendore, maiore cũ reuerentia & obseruatione, atque adeò lætitia & iucunditate spectantium exceptus deinceps fuisse dicitur, laudemq́ meruisse & auctoritatem excellẽtis atque Deo grati acceptiq́ serui, hanc adeò dignitatem probante splendore quo viri nitebat facies omni humani vultus exemplo maiore & illustriore. S. S. E. Dixitq́ Dominus ad Moysen, Scribe tibi verba hæc, quibus & te-* Exodi 34.
*cum & cum Israel pepigi fœdus. Fuit ergo ibi cum Domino Moyses quadra-* "
*ginta dies & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit,* "
*& scripsit in tabulis verba fœderis decem. Cúmque descenderet Moyses de* "
*monte Sinai, tenebat duas tabulas lapideas testimonij, & ignorabat quòd* "
*cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Videntes autẽ Aaron* "
*& filij Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere. Vocatiq́ ab* "
*eo, reuersi sunt tam Aaron quàm principes synagogæ. Et postquam locutus* "
*est ad eos, venerunt ad eum etiam omnes filij Israel: quibus præcepit cuncta* "
*quæ audierat à Domino in monte Sinai. Impletisq́ sermonibus, posuit vela-* "
*men super faciem suam. Qui ingressus ad Dominum, & loquens cum eo,* "
*auferebat donec exiret, & tũc loquebatur ad filios Israel omnia quæ sibi fue-* "
*rant imperata. Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam: sed* "
*operiebat ille rursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos.* "

*Atque huius vmbræ corpus & veritas ea fuit, cuius testimonium Iesus Christus in mundum veniens coram iudice primùm professus, deinde negotio omni expedito & peracto reapse certissimum præsentissimúmque dedit, postquam, accepta à Patre potestate omnẽ, cælorũ, totius orbis terrarum, hominumq́ omnium Dux, Dominus, Rex & Princeps, Pontifex ac Legislator & Iudex declaratus est. Data est (inquit) mihi omnis potestas in cælo & in* Matth. 28.
*terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &* "
*Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui* "

» vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem
» seculi. Atque illis muneribus omnibus in illa sua vmbra Moysen functum, omnibusq; nominibus fidelem in tota Dei domo laudatum legimus; famulum tamen perpetuò, nunquam verò filium appellatum. Hunc verò fœderis noui diuinum ministrum, libertatis publicæ auctorem, sanctißimarum legum latorem, verum Dei Filium, omnibus testimoniis, omnibusq; exemplis & argumentis comprobatum & ornatum nouimus: Ex quibus vnum maximum & grauißimum atque adeò efficacißimum diuina allocutio fuit, quam ipse à Patre suo acceptam, eorum, quos à seruitute liberauerat, mentibus per Spiritum sanctum retulit, suggeßit, & æterna virtute efficientiáque inscripsit. Maximam namque & perpetuam fidem diuina allocutio Moysi arrogauerat, quo tempore primùm lex, Angelorũ (vti iam indicauimus) ministerio, pro-
Exodi 19. mulgata fuit. S. S. E. Mense tertio egreßionis Israel de terra Aegypti, in
» die hac venerunt in solitudinem Sinai. Nam profecti de Raphidim, & per-
» uenientes vsque ad desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibiq; Is-
» rael fixit tentoria è regione montis. Moyses autem ascendit in montem ad
» Deum: vocauitq; eum Dominus de monte, & ait: Hæc dices domui Iacob,
» & annunciabis filiis Israel: Vos ipsi vidistis quæ fecerim Aegyptiis, quo-
» modo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi. Si ergo
» audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in pecu-
» lium de cunctis populis: mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in re-
» gnum sacerdotale, & gens sancta. hæc sunt verba quæ loquêris ad filios Is-
» rael. Venit Moyses: & conuocatis omnibus maioribus natu populi, exposuit
» omnes sermones quos mandauerat Dominus. Respónditq; omnis populus si-
» mul, Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. Cumq; retulisset Moyses
» verba populi ad Dominum, ait ei Dominus: Iam nunc veniam ad te in cali-
» gine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, ET CREDAT TIBI
» IN PERPETVVM. Nunciauit ergo Moyses verba populi ad Dominum.
» Qui dixit ei: Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, lauentq; ve-
» stimenta sua, & sint parati in diem tertium: in die enim tertio descendet
» Dominus coram omni plebe super montem Sinai. Quæ omnia cùm iam facta & præstita, euentisq; suis firmata illis in seculis nouerimus, quemadmodũ à sanctißimo fœderis noui ministro Pontificeq; pleniùs ac meliùs in hominum salutem expressa fuerint, obseruare vtilißimum, ignorare verò vel
Deut. 18. negligere prorsus perniciosum fuerit. S. S. E. Prophetam de gente tua, & de
» fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies: vt
» petisti à Domino Deo tuo in Oreb, quando concio congregata est, atq; dixisti:
» Vltrà non audiam vocem Domini Dei mei, & ignẽ hunc maximũ ampliùs
» non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti: Pro-
» phetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba
» mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba
» eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.

Hanc

*Hanc allocutionem atq; mandatũ hoc sibi à Deo datum sapientibus ac pri-
moribus populi prædicebat Iesus. Iterũ locutus est eis Iesus, dicens: Ego sum
lux mundi. qui sequitur me, nõ ambulabit in tenebris: sed habebit lumẽ vitæ.* Ioan. 8.
*Dixerunt ergo ei Pharisæi, Tu de te ipso testimoniũ perhibes: testimonium
tuum non est verum. Respondit Iesus, & dixit eis: Etsi ego testimonium per-
hibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio vnde veni, & quò
vado: vos autem nescitis vnde venio, aut quò vado. Vos secundùm carnem
iudicatis: ego non iudico quenquam. & si iudico ego, iudicium meum verum
est: quia solus non sum, sed ego & qui misit me, Pater. Et in lege vestra scri-
ptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testi-
monium perhibeo de meipso: & testimonium perhibet de me, qui misit me,
Pater. Dicebant ergo ei, Vbi est Pater tuus? Respondit Iesus, Neque me sci-
tis, neque Patrem meum. si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.
Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo: & nemo ap-
prehendit eum, quia necdum venerat hora eius. Dixit ergo iterum eis Iesus,
Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quò ego vado,
vos non potestis venire. Dicebant ergo Iudæi, Nunquid interficiet semet-
ipsum, quia dicit, Quò ego vado, vos non potestis venire? Et dicebat eis, Vos
de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de
hoc mundo. Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris. si enim non
credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Dicebant ergo ei, Tu
quis es? Dixit eis Iesus, Principium qui & loquor vobis. Multa habeo de vo-
bis loqui & iudicare: sed qui me misit, verax est: & ego quæ audiui ab eo,
hæc loquor in mundo. Et non cognouerunt quia Patrem eis dicebat Deum.
Dixit ergo eis Iesus, Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis
quia ego sum, & à meipso facio nihil; sed sicut docuit me Pater, hæc loquor:
& qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego, quæ placita
sunt ei, facio semper. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. Dicebat
ergo Iesus ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos: Si vos manseritis in sermone
meo, verè discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit
vos. Responderunt ei, Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquã:
quomodo tu dicis, Liberi eritis? Respondit eis Iesus, Amen, amen dico vobis,
quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. seruus autem non manet in
domo in æternum: filius manet in æternũ. si ergo vos Filius liberauerit, verè
liberi eritis. Scio quia filij Abrahæ estis: sed quæritis me interficere, quia ser-
mo meus non capit in vobis. Ego quod vidi apud Patrem meũ, loquor: & vos
quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis. Responderunt & dixerunt ei,
Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus, Si filij Abrahæ estis, opera Abra-
hæ facite. Nunc autem, quæritis me interficere, hominem qui veritatem vo-
bis locutus sum, quam audiui à Deo. hoc Abraham non fecit. Vos facitis ope-
ra patris vestri. Dixerunt itaque ei, Nos ex fornicatione non sumus nati.
vnum Patrem habemus Deum. Dixit ergo eis Iesus: Si Deus Pater vester*

„ esset, diligeretis vtique me. ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim à
„ meipso veni, sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia
„ non potestis audire sermonem meum. Vos ex patre diabolo estis: & desideria
„ patris vestri vultis facere. ille homicida erat ab initio, & in veritate non ste-
„ tit: quia non est veritas in eo. cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur,
„ quia mendax est, & pater eius. Ego autem quia veritatem dico, non creditis
„ mihi. Huius demum veritatis testimonium viuum iis, qui in se crederent, impertiturus, atque horum operâ orbi omni in salutem propagaturus Iesus Christus loci ac temporis opportunitatem indicauit, & quo pacto, quibus legibus, qua mente, quo studio & animo exspectare & poscere expediret, indixit. Denique peracto à resurrectione sua quinquagesimo die, quo in vmbra illa antiqua acceptæ per Moysen legis festum magna omniũ gentium ac nationum celebritate innumerabiliq; agebatur frequentia, dignitatis, amplitudinis ac maiestatis auctoritatisq; suæ documenta illustrißima, admiranda, planeq; diuina & efficacißima dedit, discipulis per Spiritum sanctum de tenebris & vmbra ad lucem, de metu & seruitute in libertatem, de morte in vitam, de ruditate ad sublimẽ sapientiam, de terrena conditione in cælestem, de famulis in filios, de priuatis in principes, de vulgari cõsuetudine in regale Sacerdotium traductis, & in nouum atque electum genus mutatis, cũ summa spectantium attendentiumq; admiratione, & redargutione eorũ omnium qui vel ignoratione, vel inuidentia, vel contentione illius tanti in homines beneficij diuinitati detrahere studerent.

Actor. 2. Et cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem lo-
„ co: & factus est repentè de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehe-
„ mentis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis
„ dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditq; supra singulos eorũ: & repleti sunt
„ omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus san-
„ ctus dabat eloqui illis. Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri re-
„ ligiosi, ex omni natione quæ sub cælo est. Facta autem hac voce conuenit mul-
„ titudo, & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos
„ loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nónne ecce
„ omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audiuimus vnus-
„ quisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Aela-
„ mitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum,
„ & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Aegyptum, & partes Libyæ quæ est
„ circa Cyrenen, & aduenæ Romani, Iudæi quoque & Proselyti, Cretes, &
„ Arabes: audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Stupebant
„ autem omnes, & mirabantur, ad inuicem dicentes: Quídnam vult hoc esse?
„ Alij autem irridentes dicebant, Quia musto pleni sunt isti. Stans autem Pe-
„ trus cum vndecim, leuauit vocem suam, & locutus est eis, Viri Iudæi, &
„ qui habitatis Ierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite
„ verba mea. Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei

tertia:

*tertia: sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioël, Et erit in nouißimis « diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & « prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbũt, « & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos, & su- « per ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt: « & dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & « ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sangui- « nem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus. Et erit, omnis « quicũque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Viri Israelitæ, audite ver- « ba hæc, Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus, « & prodigiis, & signis quæ fecit Deus per illũ in medio vestri, sicut vos sci- « tis: hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquo- « rum affigentes, interemistis. quẽ Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, « iuxta quod impoßibile erat teneri illum ab eo. Dauid enim dicit in eũ; Pro- « uidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne « commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: in- « super & caro mea requiescet in spe. Quoniã non derelinques animã meam « in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionẽ. Notas mihi fecisti « vias vitæ: replebis me iucunditate cum facie tua. Viri fratres, liceat audenter « dicere ad vos de patriarcha Dauid quoniam defunctus est, & sepultus est: « & sepulchrum eius est apud nos, vsque in hodiernum diem. Propheta igitur « cùm esset, & sciret quia iureiurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius « sedere super sedem eius: prouidens locutus est de resurrectione Christi, quia « neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionẽ. Hunc Ie- « sum resuscitauit Deus, cuius omnes nos testes sumus. Dextera igitur Dei « exaltatus, & promißione Spiritus sancti accepta à Patre, effudit hoc donum « quod vos videtis & auditis. Non enim Dauid ascẽdit in cælũ: dicit autẽ ipse, « Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos « scabellum pedum tuorum. Certißimè sciat ergo omnis domus Israel, quia & « Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quẽ vos crucifixistis. « His autem auditis cõpuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrũ & ad reliquos « Apostolos, Quid faciemus viri fratres? Petrus verò ad illos, Pœnitentiam « (inquit) agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi « in remißionẽ peccatorum vestrorum: & accipietis donum Spiritus sancti. « Vobis enim est repromißio, & filiis vestris, & omnibus qui lõgè sunt, quos- « cunque aduocauerit Dominus Deus noster. Aliis etiã verbis plurimis testi- « ficatus est, & exhortabatur eos, dicens: Saluamini à generatione ista praua. « Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt: & appositæ sunt in die « illa animæ circiter tria millia. Erant autem perseuerantes in doctrina Apo- « stolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Fiebat au- « tem omni animæ timor: multa quoque prodigia & signa per Apostolos in « Ierusalem fiebant, & metus erat magnus in vniuersis. Omnes etiam qui cre- « debant,*

» *debant, erant pariter, & habebant omnia communia. Possessiones & sub-*
» *stantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.*
» *Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa*
» *domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis, col-*
» *laudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem*
» *augebat qui salui fierent quotidie in idipsum.*

# Satanas Euangelio regni obsistit.

## Cap. IV.



VAMQVAM *damnatus iam, victus, & exspoliatus Dei atque humani generis hostis, efficientiæ atque virtutis Iesu Christi nihil de cætero excipere subducerève posset (S. S. E. Ille arguet* Iohan.16.
» *mundum de iudicio, quia princeps huius mundi iam iudicatus est) tamen quòd non ideo inuidiam illam rabiemq́; in homines conceptam deposuit, (neque enim seipsum vnquam abnegare potest) homines ipsos à salutis capiendæ & obtinendæ optione, facultate, & vsu auertere & abdicare iisdem, quibus consueuit artibus, molitus est, ac perpetuò experiendo molitur, hoc est, mendacio & violentia, quas ille sapientiæ & potentiæ magnificis nominibus minùs formidabiles, imò commendabiles & obseruabiles reddere semper curauit.*

*Liberatis quondam ab Aegyptiaca tyrannide Israelitis, & per medium mare sicco pede traductis, promissæ terræ & hæreditatis fructum eripere studuit; idq́; duplici præcipuè commento egit: Altero terroris ac metus incutiēdi ab iis, quos ipse suis persuasionibus inimicos & infensos inuidentesq́; effecerat: Altero diffidentiæ virtuti Dei non modò in præcipui promissi fide, sed in minoribus etiam periculis tentati. De priori scriptum legimus: Noluistis* Deut.1.
» *ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei vestri murmurastis in*
» *tabernaculis vestris, atque dixistis, Odit nos Dominus, idcirco eduxit nos*
» *de terra Aegypti, vt traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret. quò ad-*
» *scendemus? Nuncij terruerunt cor nostrum, dicentes: Maxima multitudo*
» *est, & nobis statura procerior, vrbes magnæ, & ad cælum vsque muratæ.*
Psal.77. *Filios Enachim vidimus ibi. De posteriori verò: Et apposuerunt adhuc pec-*
» *care ei: in iram concitauerunt excelsum in inaquoso. Et tentauerunt Deum*
» *in cordibus suis, vt peterēt escas animabus suis. Et malè locuti sunt de Deo;*
» *dixerunt: Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quoniam per-*
» *cussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt: Nunquid &*
» *panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?*

*Nihilo prorsus dissimilibus, immo iisdem ipsis artibus ad præsentis materiæ exemplum traducendis publicus hostis Iesu Christi veritatem ab hominum, quibus afferebatur, mente ac fide, atque etiam spe exspectationeq́; remouere*

remouere & abalienare molitus, inimicos primùm eosdem quos antea in terris conuersato Verbo instruxerat, aduersus illius famæ, gloriæ, & amplitudinis ministros, assertores, ac virtutis & efficientiæ dispensatores, ad nouam redintegrandam coniurationē coniunxit & compulit, id est, vigilantes illos & industrios iustitiæ ac sanctitatis priuatæ, quæ in carnis actione spectatur, professores, auctoritate & opinione doctrinæ tumentes, & populari vel plausu vel metu superbos, atque magistratus nomine & potestate formidabiles, in disciplinæ Euangelicæ ministros humiles aliàs & humanis opibus carenteis homines armauit, adiuncta interdum regum, principum, ac potentiorum facultate, cum persuasione commodi compendiiq́; proprij ipsorū. Deinde etiam falsos mendacesq́; prophetas, oratores, doctores, & concionatores instruxit, qui veritati præstantiæq́; virtutis Iesu detrahere contendentes, fidem abrogarent vel imminuerent; & vetera cum nouis promiscuè confundentes, verum Christianæ veritatis fructum subducerent, vel nunquā maturescere, & in vsum vtilitatemq́; hominum percipi sinerent; atque ita ingressum & aditum ad cælorū regnum præcluderent, vera Christi Dei virtute vel negata vel obscurata, aliisq́; rebus & personis, quæ neque Christi neque Christus essent, pro Christo commendatis & venditatis. Id verò nec nouum, nec inopinatū Christi Discipulis Apostolisq́; legitimis accidit, ideoq́; nec admirationi, nec terrori fuit, vtpote Magistri prædictione & hortamēto antea monitis & edoctis, atque post acceptum Spiritum sanctum Christi pleniùs ac meliùs instructis & animatis, diuinaq́; sapientia auctis, & inuictæ fortitudinis robore septis. Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient Marci 13.
in nomine meo, dicentes, quia ego sum; & multos seducent. & rursus: Videte vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis vapulabitis, & ante Præsides & Reges stabitis propter me in testimonium illis. Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Euangelium. Et cùm duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini; sed quod datum fuerit vobis in illa hora, id loquimini. Non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium; & consurgent filij in parentes, & morte afficient eos. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Et quoniam Matth. 24.
abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet cōsummatio. & paulo pòst, Tunc, inquit, si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia: ita vt in errorē inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est; nolite exire: Ecce in penetralibus; nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem: ita erit aduentus Filij hominis. Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.

Matth. 10. *Non est discipulus super magistrum, neq; seruus super dominum suum. suf-*
*„ ficit discipulo vt sit sicut magister eius: & seruo, sicut dominus eius. Si pa-*
*„ trem familias Beelzebub vocauerunt: quanto magis domesticos eius! Ne ergo*
*„ timueritis eos. Nihil enim est opertum, quod non reuelabitur: & occultum,*
*„ quod non scietur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in*
*„ aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos qui occidunt corpus;*
*„ animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum qui potest & ani-*
*„ mam & corpus perdere in gehennam. Nónne duo passeres asse veneunt: &*
*„ vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem & ca-*
*„ pilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus me-*
*„ liores estis vos. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor*
*„ & ego eum coram Patre meo qui in cælis est: qui autem negauerit me coram*
*„ hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cælis est. Nolite arbi-*
*„ trari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacē mittere, sed gla-*
*„ dium. veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduer-*
*„ sus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam: & inimici hominis, do-*
*„ mestici eius. Qui amat patrem aut matrē plus quàm me, non est me dignus:*
*„ & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus: & qui non acci-*
*„ pit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Qui inuenit animam*
*„ suam, perdet illam: & qui perdiderit animā suam propter me, inueniet eam.*
*„ Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui*
*„ recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui*
*„ recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicunque potum*
*„ dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine disci-*
*„ puli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.*

*Hæc omnia discipulis Apostolisq; suis Iesus Christus prædicebat, videli-*
*cet obeunda & perferenda tempore quo Euangelium regni omni orbi prædi-*
*candum enunciandumq; esset, hoc est, post mortem resurrectionemq; suam,*
*accepto iam diuino dono, cuius ope & auxilio, immo auctoritate potiùs nihil*
*offerri posset laboris, nihil difficultatis, nihil periculi, quod non cōstantissimè*
*perferretur, & forti superaretur animo, atque ita demum Euangelij virtus*
*& efficientia victrix euaderet. Namque antea in diebus carnis suæ, hoc est,*
*quàm diu præsens corpore & cōsuetudine Iesus discipulis adfuit, nihil pror-*
*sus quod metueretur occurrerat, cùm omnis aduersariorum contentio &*
Lucæ 22. *oppugnatio ipsum tantummodo caput petere conata est. S. S. E. Et dixit eis:*
*„ Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, numquid aliquid de-*
*„ fuit vobis? At illi dixerunt, Nihil. Dixit ergo eis, Sed nunc qui habet saccu-*
*„ lum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, &*
*„ emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptū est, opor-*
*„ tet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me,*
*„ finem habent. Ab initio itaque doctrinæ & scholæ Iesu ad mortis vsque ho-*
*ram summa securitas discipulis contigit propter magistri præsentē ac proxi-*
*mam*

mam vigilantemq́ tutelam: toto verò tenebrarum tempore, hoc est, illis ad mortem ac ignominiam crucemq́ & sepulturã Christi permissis horis, metus, pauor, fugaq́ euenit, & latibula etiam petita sunt. S. S. E. Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim, Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. A resurrectionis verò certa notitia, ad illum diem quo primùm illis videntibus & spectantibus Præceptor & Dux in cælum sublatus fuit, consolatio ac lætitia contigit, non tamen plena & absoluta, metúve prorsus ab aduersariis libera, sed qualem obiecta corporis conspectio & colloquij consuetudo debilibus adhuc & infirmis animis præstare poterat. De qua scriptum est: Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Et Maria Magdalene conuersa retrorsum, vidit Iesum stantem: & non sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus, Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu tulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum: & ego eum tollam. Dicit ei Iesus, Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magister) Dicit ei Iesus, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deũ meum & Deum vestrum. Venit Maria Magdalene annuncians discipulis, Quia vidi Dominũ, & hæc dixit mihi. Cùm ergo serò esset die vna sabbathorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dixit ergo eis iterum, Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorũ retinueritis, retenta sunt. Hic status, & hæc hominum discipulorum Iesu nondum ad Patrem sublati conditio fuit, longè inferior illa per diuinum Spiritum, ab eodem Iesu Christo & illius Patre missum, allata, oblata, & constituta, omnis prorsus metus, pauoris, atque ignorationis experte, quam ipse antea illis ex comparatione præsentium temporum prædicens pollicebatur: Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. non enim loquetur à semetipso: sed quæcunque audiet, loquetur; & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem, Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: &, quia vado ad Patrem? Dicebant ergo, Quid est hoc quod dicit, Modicum? nescimus quid loquitur. Cognouit autem Iesus, quia volebant eum interrogare: & dixit eis, De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum,

Matth. 26. Matth. 26. Ioan. 20. Ioan. 16.

» dicum, & videbitis me. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis
» vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra
» vertetur in gaudium. Mulier cùm parit, tristitiã habet, quia venit hora eius:
» cùm autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium,
» quia natus est homo in mundum. Et vos igitur, nunc quidem tristitiam ha-
» betis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium ve-
» strum nemo tollet à vobis. Et in illo die me non rogabitis quicquam. Amen,
» amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vs-
» que modò non petistis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis: vt gau-
» dium vestrum sit plenum. Hæc in prouerbiis locutus sum vobis. Venit hora
» cùm iam non in prouerbiis loquar vobis, sed palàm de Patre annunciabo vo-
» bis. in illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo Pa-
» trem meũ de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credi-
» distis quia ego à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum: iterũ relin-
» quo mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli eius: Ecce, nũc palàm
» loqueris, & prouerbium nullum dicis. nunc scimus quia scis omnia, & non
» opus est tibi vt quis te interroget. in hoc credimus quia à Deo existi. Respon-
» dit eis Iesus, Modò creditis? Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini
» vnusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia
» Pater mecum est. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mun-
» do pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

## Virtutis, efficacitatis, & constantiæ à Iesu Christo hominibus per Spiritũ sanctum collatæ periculum & experimentum multiplex. Cap. v.

DVo præcipua capita sunt maximorum donorum quæ Spiritu sancto in terras misso discipulis suis præstanda esse Iesus fuerat pollicitus: atque his capitibus innumerabilis membrorum & articulorum tenetur summa. Alterum virtutis ac sanctificationis animorum eorum quibus illa felicitas communicaretur in testimonium veritatis eius quamobrem ipse à Patre profectus in mundum venerat, & iterum, mundo relicto, ad Patrem reuertebatur. Cuius commendatio ac significatio doni eiusmodi
Act. 1 fuit: Iohannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini in Spi-
» ritu sancto non post multos hos dies. & rursus, Accipietis virtutem super-
» uenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalẽ, & in om-
» ni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Alterum verò actionis & efficacitatis ad cæterorum hominũ publicam priuatamq; informationem, doctrinam, & salutem, atque adeò ad Ecclesiæ Dei ædificationem: quod quidem

*dem donum ante ascensionem collatum, postea cum testimonij dono confirmatum, multísque nominibus amplificatum euasit. De priore, quod posteriùs, hoc est, post ascensionem datū est, nec publicè hominibus cæteris sine posterioris exemplis testatū & manifestū, posteriùs quoque agemus; ac de posteriore, quod ad prioris collatum est argumenta & signa, modò disseremus.*

*In huius alterius doni superni summa, sapientiæ diuinæ copia primùm ponitur, omni humani ingenij & studij atque etiam documenti exemplo vltra comparationem excellens, de qua promissum exstabat illud: Ante hæc omnia iniicient vobis manus suas, & persequentur, tradentes in synagogas & custodias, trahentes ad Reges & Præsides propter nomen meum: continget autem vobis in testimonium. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quid respondeatis: ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Proximam huic sortitur sedem signorum & miraculorum copia & auctoritas pro rerum ac temporum vsu, & inter cætera signa linguarum & sermonum facultas, diuino magis munere accepta, quàm humani ingenij dexteritate & studio parta. Deinde etiam sanationum atque beneficentiæ, opis, auxiliiq́ omnis opportunè præstandi, &, quod omnibus his ornamentum fulcimenq́ addit, fortitudinis ac perseuerantiæ robur in Iesu Christi amore & charitate firmatum, omnium humanarum, terrenarum, atque adeò infernarum virium & potentiarum metus expers, & laboris omnis atque ærumnæ, damni & incommodorū corporis contemnens, cum summa tamen modestia coniunctum, & charitate, atque adeò beneficentia aduersus eos à quibus tentatum impugnatúmve fuerit. Atque signorum genera hæc in boni nuncij argumentum, atq́ in humani generis auxilium & commodū vtilitatemq́ data, sic à Iesu Christo fuerant promissa: In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super egros manus imponent, & bene habebunt. Et rursum, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.*

Lucæ 21. Marci 16. Matth. 28.

*Primum igitur diuini optimi doni à Patre luminum demissi ac præstiti experimentum sapientiæ donum fuerat, cum eloquentia ac linguarum facultate coniunctum, indoctis aliàs & rudibus atq́ adeò barbaris existimatis hominibus contingens, quod eos, qui audierunt, in magnam admirationem traduxit. Sic superiùs legebamus: Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi, ex omni natione quæ sub cælo est. Facta autē hac voce conuēnit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autē omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?*

Act. 2.

*Sapientiam verò satis supérque audientibus probauit concio illa à Petro*

*piscatore antea noto, in eodem frequentissimo omnium ordinum conuentu facta de publica hominum salute per Christum parta, de diuinorum communicatione munerum, deque maxima eiusdem Iesu auctoritate & gloria, Deo assertore declarata & confirmata, antiquorum Vatum responsis ad eam rem aptissimè & sapientissimè productis: atque auditoribus ipsis ad eiusdem*
Actor.2. *salutis fidem, & spem, & curam bona ex parte persuasis. S. S. E. Qui ergo*
» *receperunt sermonem eius, baptizati sunt: & appositæ sunt animæ in die illa*
» *circiter tria millia.* *Atque huius generis quæ ad sapientiæ probationem facerent, argumentorum & exemplorum frequens illis temporibus copia constitit, ex quibus in Apostolorum historiis & scriptis multa adhuc exstant.*

*Miraculorum verò ac beneficiorum in homines collatorum, quibus diuina illa Euangelij Christi virtus tanquam signis ad sensum & ad tactū productis declarabatur, opportuna & idonea semper edita fuêre exempla, quoad cum hominibus agebatur iis qui ad sensum & experimentum, vel ad humanæ sapientiæ rationes & argumentationes, omnia reuocanda duxerant: vtrisque enim abundè satis fuit præstitum, quantum ad eos qui candidiore animo sanaq; mente præditi, propriæ salutis veritatē sincerè doceri cuperent. Namque omnibus his, eo quo agi oportebat pacto, diuina Iesu Christi sapiētia*
2 Cor.1. *& efficacitas probata fuit. S.S.E. Quoniam Iudæi signa petunt, & Græci*
» *sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis*
» *quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis*
» *atque Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.*

*Celeberrimum verò admirabileq; spectatoribus cunctis primum virtutis & efficientiæ exemplum Petro Apostolo ministrante editum fuit, quod admiratione sui simpliciores, & sanæ mentis homines, ad fidem Euangelio habendam permouit; inuidos verò & obtrectatores Christiani nominis, rei magnitudine & veritate turbauit, adeò vt de se sanctitateq; illa sua industriosa & iactabunda, deq; conseruanda apud homines auctoritate & maiestate actum propediem fore putauerint isti, nisi omnibus artibus, viribus, & opibus Christianæ doctrinæ obsisterent, atque iis præcipuè quas vulgus hominum maximè horret & vitare studet, pœnis videlicet & suppliciis cū summa ignominia decernendis & exercendis in eos qui Iesu nomen & virtutem vel prædicarent, vel probarent, & admitterent, vel sincerè profiterētur.*
Actor.3. *Petrus autem & Iohannes ascendebant in templum, ad horam orationis*
» *nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur:*
» *quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, vt peteret*
» *eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is cùm vidisset Petrum & Io-*
» *hannem incipientes introire in templum, rogabat vt eleemosynam acciperet.*
» *Intuens autem in eum Petrus cum Iohanne, dixit, Respice in nos. At ille in-*
» *tendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit, Ar-*
» *gentum & aurum non est mihi: quod autē habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu*
» *Christi Nazareni surge, & ambula. Et apprehensa manu eius dextera, alle-*

uauit

uauit eum, & protinus consolidatæ sunt bases eius & plantæ. Et exiliens stetit, & ambulabat: & intrauit cum illis in templum, ambulans, & exiliens, & laudans Deum. Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Cognoscebant autem illum, quòd ipse erat qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: & impleti sunt stupore & extasi in eo quod contigerat illi. Cùm teneret autem Petrum & Iohannē, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum quæ appellatur Salomonis, stupentes. Videns autem Petrus, respondit ad populum, Viri Israelitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificauit Filium suum Iesum, quem vos quidē tradidistis & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem sanctum & iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis: authorē verò vitæ interfecistis, quem Deus suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus. Et in fide nominis eius, hunc quem vos videtis & nostis, confirmauit nomen eius: & fides quæ per eum est, dedit illi integram sanitatē istam in conspectu omniū vestrûm. Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri. Deus autem qui prænunciauit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic impleuit. Pœnitemini igitur & conuertimini, vt deleantur peccata vestra: vt cùm venerint tempora refrigerij à conspectu Domini, & miserit eum qui prædicatus est vobis Iesum Christum, quem oportet quidem cælum suscipere vsque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os Sanctorum suorum, à seculo, Prophetarum. Moyses quidem dixit, Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquam me: ipsum audietis iuxta omnia quæcunque locutus fuerit vobis. Erit autem, omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe. Et omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps qui locuti sunt, annunciauerunt dies istos. Vos estis filij Prophetarum & testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham, Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Vobis primùm Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis: vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua.

Atque roboris constantiæq; donum ab omni metu, ab omniq; humana vel inuidia, vel gratia, vel sui ipsius cura & iniusto amore procul remotum, neque popularibus tumultibus, neque principum potentiæ ac sæuitiæ concedens, neque minus aut terroribus retinendum, neque pœnis, suppliciis, tormētísve frangendum, nec demum conditionibus muneribúsve vllis, quamuis maximis, flectendum: huiusmodi, inquam, inuictum prorsus donum in veritatis Christianæ testimonium ac signum multis variisque periculis examinatum, compertum, exploratumq; fuit: Ex quibus vnum celeberrimum ab externæ & carnalis iustitiæ assertoribus & propugnatoribus magno cum cōsilio coniunctis opibus, deliberatis sententiis, ac decretis editis factū est, frustra tamen, quippe quod in maiorē & illustriorē nominis & gloriæ Christi celebrationē

*& notitiã euasisse tum apud discipulos, tum etiã apud aduersarios cõstiterit.*

Actor. 4. *Loquentibus autem illis ad populum, superuenerunt sacerdotes & magi-
» stratus templi & Sadducæi, dolentes quòd docerent populum, & annuncia-
» rent in Iesum resurrectionem ex mortuis: & iniecerunt in eos manus, &
» posuerunt eos in custodiam, in crastinum; erat enim iam vespera. Multi au-
» tem eorum qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus viro-
» rum quinque millia. Factum est autem in crastinũ, vt congregarentur prin-
» cipes eorum, & seniores, & scribæ in Ierusalem: & Annas princeps sa-
» cerdotum, & Caiphas, & Iohannes, & Alexander, & quotquot erant de
» genere sacerdotali. Et statuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute,
» aut in quo nomine fecistis hoc vos? Tunc repletus Spiritu sancto Petrus, di-
» xit ad eos, Principes populi & seniores: Si nos hodie diiudicamur in benefa-
» cto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est, notum sit omnibus vobis &
» omni plebi Israel, quia in nomine Iesu Christi Nazareni, quem vos cruci-
» fixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.
» Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus: qui factus est in caput
» anguli. & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo da-
» tum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Videntes autem Petri con-
» stantiam & Iohannis, comperto quòd homines essent sine literis & idiotæ,
» admirabantur, & cognoscebant eos quoniam cum Iesu fuerant: hominẽ quo-
» que videntes stantem cum eis qui curatus fuerat, nihil poterãt contradicere.
» Iusserunt autem eos foras extra concilium secedere: & conferebant ad inui-
» cem, dicẽtes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notũ signum
» factum est per eos, omnibus habitantibus Ierusalem: manifestum est, & non
» possumus negare. Sed ne ampliùs diuulgetur in populum, comminemur eis,
» ne vltrà loquantur in nomine hoc vlli hominum. Et vocantes eos, denũcia-
» uerunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu. Petrus verò
» & Iohannes respondentes, dixerunt ad eos, Si iustum est in conspectu Dei,
» vos potiùs audire quàm Deum, iudicate. non enim possumus quæ vidimus &
» audiuimus non loqui. At illi comminantes, dimiserunt eos: non inuenientes
» quomodo punirent eos, propter populum, quia omnes clarificabant id quod
» factũ fuerat, in eo quod acciderat. Annorum enim erat amplius 40. homo in
» quo factum fuerat signum istud sanitatis. Dimissi autem venerunt ad suos:
» & annunciauerunt eis quanta ad eos principes sacerdotum & seniores di-
» xissent. Qui cùm audissent, vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum, &
» dixerunt: Domine, tu qui fecisti cælum & terram, mare, & omnia quæ in
» eis sunt, qui Spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti,
» Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt re-
» ges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & ad-
» uersus Christum eius? Conuenerũt enim verè in ciuitate ista aduersus san-
» ctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum
» Gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua & consilium tuum de-*

*creue-*

*creuerunt fieri. Et nunc Domine respice in minas eorum, & da seruis tuis* "
*cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo quòd manum tuam extendas ad* "
*sanitates & signa & prodigia fieri per nomen sancti Filij tui Iesu. Et cùm* "
*orassent, motus est locus in quo erant congregati: & repleti sunt omnes Spi-* "
*ritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia. Multitudinis autem* "
*credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorũ, quæ possidé-* "
*bat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia: Et virtute* "
*magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Do-* "
*mini nostri: & gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quisquam* "
*egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorũ erant,* "
*vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes* "
*Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat. Ioseph au-* "
*tem qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, (quod est interpretatum* "
*filius consolationis) Leuites, Cyprius genere, cùm haberet agrum, vendidit* "
*eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.* "

*Omnibus itaque modis quos cauere aut excipere humana scientia aut experientia posset, Iesu Christi virtutem & veritatem hominibus cõfirmatam totus terrarum orbis ad huiusmodi periculorum examen inquirere & comperire potuit, quod ad propriam hominum salutem hinc propriè ac singulariter petendam & postulandam, atque certorum documentorum studio, exercitatione, & vsu curandam & adornandam abunde satis prouisum fuerat, maximè cum ij qui seriò ac diligenter id agerent, in eam postmodo conditionem translati conspicerētur, quam præter eosdem ipsos, qui acceperant, mortalium nemo ne cogitatione quidẽ assequi posset: ij verò prorsus in alios mutati viros, verissimam Iesu Christi ac præstantissimam præsentiam & virtutem non vt homines iam deinceps, imò vt verum & veri Dei Filij professi palàm publiceq́ testarentur. S. S. E. Multitudinis autem credentium* Actor. 4.
*erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid* "
*suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia:* ET VIRTVTE MAGNA "
REDDEBANT APOSTOLI TESTIMONIVM RESVRRE- "
CTIONIS IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI: ET GRA- "
TIA MAGNA ERAT IN OMNIBVS ILLIS. "

# PRIVS APOSTOLICVM TESTIMONIVM.


VAE monstrante Deo vidit tetigitque beatus
Grex Christi, promissa olim, delapsaque ab alto
Munera in æternum solio regnantis IESV,
Præstita discipulis cuius testatus & idem est,
Hinc canere aggrediar. Iuuat obscurata referre,
Nec memorata diu, raris quoque cognita nostro
Tempore, non Superûm inuidia, sed nempe maligna
Fraude hominum, vitio ac morum, quos protulit orbi
Fouit & ambitio quo perdidit omnia, fastu,
Infera dum superis miscens, mortalia corda
Deliciis & amore sui studiísque parandæ
Ingenio proprio famæ laudísque repleuit,
Inuentóque addicta suo, & contendere docta
Naturam nescire Deíque hominúmque coëgit,
Metirive modis hominum similésve putare
Cælestes animos corrupti sanguinis Adæ.
Tantum adeò sibi confinxit mens læua malorum.
Tv mihi Nazarides magni Patris vnica proles
Atque æterna simul, cumulísque æqualis honorum
Consors ipse Deus, cuius sapientia rebus
Condendis primùm adstiterátque adstátque regendis,
Atque nouando iterum cælo terræque triumphat,
Aduenias, animo & nostro noua suggere præsens
Carmina virtutísque tuæ referentia laudem.
Námque ideo pura semper de Virgine (cui nec
Terra parem vidit, potuit nec habere secundam)
Morte carens quamquam fueras ac tempore quamquam,
Mortalis nasci non dedignatus in æuum es.
Perdere sic mortem statuisti, ac damna prioris
Vitæ amissæ hominum potiore reponere vita,
Consilium cernente Patre, ac decreta volente
Qui vobis amor est vester qui Spiritus vnus.
TVQVE adeò modò quem memini, meminisséque semper
Cuncta iubet natura orbis, quámque vltimus axis
Continet, interior moles, pars nata videri,
Pársque negata oculis nostris concessáque menti,
Spiritus alme Patri ac Nato par & vnus honore,
Vis eadem, vox, consilium, certè ac Deus idem

Prin-

Principij finísque expers, rebúsque creandis
Cum Nato ac Patre principium finísque supreme,
Adsis ô Paraclete fauens dignate pusillo
Insinuari animo vatis tua dona canentis.
Te sine nil rectum nos dicere, te sine toto
Surgere in orbe nihil possit superesséve rerum.
Atque idem fastus, hominúmque superba perosus
Pectora, terrigenis nimis à sapientibus aufers
Te procul, ac tua sacra negas, eademque modestis
Sponte bonus nouisse animis ac dicere donas.
Sacra, humiles quibus attolluntur in æthera mentes.
Tum Superis demum similes penitúsque renatæ,
In terra procul à terris sublimia lætæ
Curare & sapere, & cælestia viuere discunt.
Cælestes natíque Deo, magnóque parenti
Et cari, & grati, & vitam studiúmque probantes.
His gentem infidam sacris vulgúsque prophanum
Impurósque greges vitio, cœtúsque nocentum
Admiscere nephas. Procul hinc, procul este, maligno
Quoscumque infecit liuor, tinxítque veneno,
Et quos semper egens agitat vexátque cupido,
Quósque libidinibus variis cognata voluptas
Opprimit, assiduis morbis languere coactos.
Præsertim nostra haud adeat mysteria quisquis
Ingenio fidens proprio ambitiosa tumentis
Humani studij momenta elementáque iactat,
Et moniti impatiens, nec cuiquam cedere suetus
Inferiora sibi contemnit cuncta, neque vllam
Admittit lucem nisi quam dedit ingenij fax.
Vos verò testes Christo sociíque laborum
Delecti, duodena, priùs non docta, caterua,
Móxque data virtute boni depellere ab ægris
Morborum omne genus membris, ac tristia vincla
Rumpere, tartareus quęcunque ligauerat hostis,
Temporis & grati aduentum suadere fideles,
Atque elementa sacro dictata referre magistro:
Quæ nuper vate ex magno, certæq; salutis
Indice clamante audierat miratus Iarden.
Hæc vobis retulisse datum, præceptáque prima
Mutandæ in melius vitæ morúmque docere.
Ast iidem postquam Christi sua sceptra tenentis
Muneribus magnis aucti nituistis, & almæ

Flumina doctrinæ paradisi è fonte bibistis,
Nil iam terrenum sapere, ac cælestia claustra
Præsenti penetrare animo, superûmq; tenere
Quæq; latent homines arcana recondita priscis
Vatibus ac seclis, vos cognita dicere fortes,
Concilio mirante omni, cedentéque dictis
Quæcunque est celebrata virûm sapientia mundi:
Sanctorum mihi collegæ huc descendite ab aula
Ætherea, iuuenúmque chori, teneræque puellæ,
Ordinibúsque senes vestris adstate paranti
Non mea, sed vobis pridem quæ testibus atque
Assertore Deo didici memoranda, referre,
Nil humile aut paruum simile aut vulgaribus Anti-
Christus quæ fallax mundo spectacula promit,
Si vos indoctos aliàs, tamen alta locutos
Et certis firma euentis responsa canenteis
Vincere tentauit frustra fraus callida tetri
Principis, infernis aut promta scientia portis,
Si vos testatos diri obstupuere tyranni
Vi insueta indomito ferríque ignísque ferendi
Mille necis formas constanti ac robore victi.
QVID priùs, aut ego quem testem producere primum
Experiar tanto ex numero? quem sidera cæli
Non vincunt, neque quam Oceani quoque littore vasto
Hæsit Abrahamus metiri iussus arenam,
Chaldæus licet astrorum mundíque peritus
Cessisset nulli numerósque modósque docenti.
Tot mihi quæ laudem, occurrunt sanctissima testes
Nomina, femineíque chori generísque virorum.
Vtraque pars verax & odoris conscia Christi,
Nec sexu aut tenero affectu excipienda neque annis,
Vtraque par virtute Dei nihil vsque morati
Tempore quo quisquam genere aut sit gente locóve.
Lux cunctis eadem luxítque eadémque recepta est.
Et, quamquam diuersa sonet, vox omnibus vna,
NAZARIDEN Christum cælesti in sede superni
Sceptra tenere Patris moderantem cuncta benigno
Imperio, & quæ facta nouo cùm surgeret orbis
Principio, & quæ postremùm renouata nitescunt.
SED placet, ante omnes Romanum ducere ciuem
Insignem grauitate virum, nulláque notatum
Suspicione doli, neque conditione cauendum.

Præcipuè hunc, durum Christi quem nominis hostem
Iam pridem, imbellíque gregi sociísque magistri
Nazaridûm insidias odia atque inimica struentem
Laudauere sui proceres populúsque frequens, quem
Vrbs Solyma immeriti inuidia perculsit IESV:
Hunc rursus metuere illi, queis lædere quemquam,
Séque malo opposuisse nephas, queis dura ferendo
Vincere, & officiis malefacta reponere, pulchrum.
Hunc inimicitiæ medio in feruore furentem
Addentémque minis vireis, magníque senatus
Iure opibúsque auctum, è sæui rabidique leonis
Moribus atque truci ingenio rediisse repentè
Mite pecus, Christíque & ouis patientis & agni
Mores & formam, & mollissima corda gerentem,
Admirante pio cœtu, attonitísque suorum
Plebe ac principibus grauiúsque ferentibus, illum
Infensus qui nuper erat, nunc esse fauentem
Christicolis, mortémque pati ac tormenta paratum, &
Per mare, per terras, per plana, per ardua cuncta
Ferre cruci affixi rursúmque extantis IESV
Virtutem noménque potens & nuncia læta,
Asserere & promptum atque obiecta refellere fortem.
Illum Iudæi quondam, gentésque vocatæ,
Illum Roma potens, doctæque audistis Athenæ,
Quæ chartis commissa manent, sic ore profatum:
VNDIQVE se authorémque bonum rerúmque potentem
Rectorem Deus ostentat, seu sidera spectes,
Seu nemora & siluas, variísque nitentia prata
Floribus atque herbis anni diuisa per horas,
Seu totis quàm multa vides animalia terris
Ordine quæque suo spatiosum sparsa per orbem
Atque Deo condente datas præstantia leges:
Tum quæ præpetibus librantes corpora pennis
Aëra per vacuum & cæli per inane vagantur
Et siluis glomerantur aues, dulcísque querelæ
Vocibus & cantu ludúntque diémque salutant:
Vel qui fluminibus pisces, & in æquore plura
Monstra natant diuersa locis immania cete,
Parua quoque & similes magnis referentia formas,
Consilium curámque Dei certásque regentis
Cuncta probant leges atque altæ prouida mentis
Commoda, quæ & minimis adsit, quæ & summa gubernet.

Hanc

Hanc vult háncque docet mundi concordia laudem;
Ac nunquam labefacta suis de sedibus vsque à
Principio, cæli quæ sunt data iura sub axe
Naturæ formis cunctis, parteisq; viceisque
Perpetuas laudante Deo officiúmque fidele.
Ast hominum genus infidum, cui cætera quondam
Paruerant, nutum iussa imperiúmque subire,
Quæ terras decorant, pelagum quæcunque pererrant:
(Præstiterat namque vnus homo magis omnibus iis quàm
Aut cælum terræ, nocti aut lux alma diei)
Artificis regísque sui domimíque relictis
Legibus & iusto obsequio, malè praua monentis
(Heu!) colubri dictis assensum séque suósque
Perdidit infelix, ac iustas vindicis iras,
Quas primo scelere admisso succenderat vltro,
Vsque nouis culpis cumulandis improbus auxit;
Mortem obiens animi, æternæ sic munera vitæ
Supplicio æterno mutans, flammísque gehennæ
Perpetuò sese addicens, dum principis atri
Atque onus atque iugum collóque humerísque subiuit;
Sensit, & expertus didicit, mala plurima multis
Successisse bonis nimium cumulata repentè
Vnius ob crimen violatæ legis, & amplam
Numinis atque sacram effigiem, quæ summa tenebat
Nuper templa animi, propria de sede repulsam
Inferiore solo in tenebris & nocte iacere
Sensibus implicitam terrenæ partis, iniquo ac
Pondere depressam gemere, ac suspiria semper
Mœrente ac pauido de pectore crebra ciere.
Iámque piget voti, iámque adspirasse Deorum
Ad similem sapiendi artem pudet, vnde veneni
Tantùm adeò prauè conceptis suxerit ausis.
Quid faciat? Non vlla mali medicina putanti
Commoda succurrit; si quid tentauerit, id mox
Displicet atque nocet: tum quæ fomenta dolorem
Credita sedare, hæc rursus damnata maligno
Pelluntur succo vsque magis durantia vulnus:
Inde alia atque alia sensu meditante reperta
Nulla iuuant, quamquam studio pretióque parentur
Impenso. Quid enim poterit prodesse, vbi mortis
Vis mortale animo imperium regina tuetur?
Vnde & vita abiit morientis prodita culpis?

Quóque malæ, luce expulsa, subiere tenebræ?
Mortuus ipse sibi vt possit succurrere, nulla
Ars dedit, & natura negat ratióque medendi.
Restitit ergo nihil sibi quod mortalis egestas
Iam præstaret opis, veri auxiliíque pararet.
Atque adeò rerum decus & pulcherrimus ordo
Exciderat, pereunte homine, atque æterna trophæa
Lucifero statuente sibi, sapientis & alta
Præmia: quippe Dei superasset callidus almum
Consilium, atque apicem mundi sibi ipse tulisset.
Ast Devs vsque bonus, clemens & sponte benignus,
Qui mare, qui terras, & maxima mœnia mundi
Perpetua socians concordi & pace gubernat,
Consilij rex ipse sui, sapientis & antè
Propositi memor atque tenax authórque poténsque,
Obliqui & colubri ridens ac ludere certus
Callida facta suo inuento, atque insana docere
Quæ per humū obrepente malus mala pectore semper
Argumenta nouans reperítque vrgétque reperta,
Terrenóque vapore fouet (nam pascitur ille
Virosis terræ succis, furialiáque inde
Oua parit, nigros mox suffectura chelydros)
Huic merito tormenta pati, fraudísque nefandæ
Tartareo perferre iuges in carcere pœnas,
Post arcana Deum quondam maledicta minatum
Constans fama fuit patribus, famæque receptæ.
Res dignam cælo vocem verámque probauit:
Istud nempe caput mulieri imponere doctum,
Atque ideo sibi multa placens, instárque coronæ
Attollens cristas, & ouantia sibila fundens,
Olim femineo eductum de sanguine semen
Diuina virtute potens perfringet, & actum
Sub pedibus premet: atque iis tu insidiabere frustra.
Id recolens osor scelerúmque dolíque latentis
Vindex captiui atque hominis duróque ligati
Seruitio, assiduis operas quem reddere cogat
Criminibus ferus exactor, crudeliáque addens
Verbera, maiorum cruciétque vrátque pauore,
Ergo iam nimiúmque diu mala tanta ferentis
(Quamuis iure ferat, sese qui addixerat vltro)
Quáque solet virtute magis se efferre, misertus,
Sponte probans hominum generis, quo incensus amorem,

Séque sui similem semper, promittere & vltro
Maxima dona bonum, facere & promissa fidelem,
Ipse suum alloquitur VERBVM, cui talia mandat:
GAVDIA, Nate, mea æterna ac mea lumina, nostri
Consilij pariter compos, virtutis & altæ
Dextera certa mihi, cuius nutu omnia constant
Quæ sunt, quæ fuerint, & quæ renouanda paramus
Ipse ego, túque simul, noster simul vnicus almus
Spiritus ipse etiam pariter sapiénsque poténsque,
Tempus adest, quo nostra decet persoluere dicta,
Quæq; hominum primo quondam promissa parenti &
Credita, quamquam illo non planè cognita seclo.
I felix, terras vise, & mortalia corda
Emolli, ac tenero & facili Deus imbue sensu,
Luciferi incantata malis quæ vocibus olim
In silicem, & smiris iam durauere rigorem,
Ex quo præcipuè prætenso lumine nostræ
Legis, acerba mage & conata obsistere sanctis
Præceptis, magis in sese contracta resultant.
Hæc tu, namque potes, nec me minùs ipse bonus vis,
Atque modum sapiens nosti, caro factus homóque
In terris verè versatus, carnea rursus
Efficies, meliora parans, & idonea nostri
Numinis: & sic viua Dei viui effice templa.
EVENIT, certè euenit, dictúmque Parentis
Filius effecit: nósque hoc testamur, Vt antè,
Irarum fornax fuimus, vitiíque perennis
Et specus & fouea, & manantia sulphuris antra,
Iam rursus caríque Deo gratíque dicata
Templa sumus, purus thalamus, dilectáque coniux:
Sponsa priùs, nunc æterno iam fœdere Christo
Iunctáque nobilibus gemmis auróque decora:
Ex quo consilio arcano nos induit ille,
Suscepítque sibi rursum, vitæque prioris,
Quam mors intulerat mundo, expoliauit ab atro
Imperio, atque nouæ mutauit in optima vitæ
Munia: præterita dein conditione repulsa,
Peccati è seruis natos Patris ille supremi
Esse cohæredes secum dedit: ille benignam
Et nosse & laudare manum facit: ille beatis
Diuitiis cumulans ornat, sublimia quales
Regna tenent, qualésque palatia lucida cæli

Side-

Sideribus lunæ ac soli præstantia seruant,
Non vitium tineámve, nihil metuentia fures.
Has verò vt nobis felici sorte pararet
Perpetuo iure adscriptas, ditissimus ille
Qui fuerat, qui semper erit, subiit tamen arctam
Pauperiem, nostri causa se passus egentem,
Priuatum, atq; humilem, quo non magis infimus vllus
In terris visus: sic vnus rite litauit
Concilians nobis propriúmque Patrémque Deúmque.
Hunc etenim æterni Natum nouisse Parentis,
Decretum fuerat sublimi in sede Tonantis,
Qui vera virtute potens exstare sepulchro,
Erutáque è mortis vinclis sua membra, suúmque
Secum vnà exstinctum corpus, rediuiua valeret
Sistere, & æternùm sibi concinnata tenere,
Non iterum veteris maledicto obnoxia legis;
Quod nunquam humana virtute aut arte caueri,
Aut imis velli potuit radicibus vnquam,
Visceribus violenta lues tantùm hæserat Adæ,
Vt neque vel legis rectè præcepta tenere
Omnia, neque eadem qui ritè capesseret, vnum,
De cælo terras qui despicit, inueniffet:
Quæ tamen humanis minimè excessere decorem
Officiis quondam commissum, qualia cunctis
Cuique suas dederat parteis animantibus olim
Ille opifex propriæ indulgens bonitatis honores,
Singula partitus pro rerum sorte modísque:
Nedum iidem possent summi se dicere prolem
Esse Dei, summéque bono sua digna probare
Gratáque facta Patri, carósque decentia natos.
Hoc neque lex dederat, caro nec inimica ferebat.
En ego, qui primis iam pridem doctus ab annis,
Omnia præcepta edidici, magníque magistri
Exprimere exemplum & dictata peragere notus,
Vt nihil inuidia exciperet, nihil vsque notaret
Ritibus & patriis, lege, & celeberrima secta,
Ex quo vi iam nunc in me viuentis IESV
Mutatus mentem atque animum corpúsque renatus
Inque nouum emergens hominem de flumine puro,
Agnoui Christíque bonum super omnia nomen,
Illius & succos, & pinguia balsama nostros
Internos penitus sensi penetrata per artus,

Non secus hinc mea facta, priùs quæ pulchra putaram
Vtilia atque mihi, quàm damna ac stercora iactem.
Ipse quidem noram legem, sanctámque vocaram:
Horrebam tamen, atque metu dubiisque sequebar
Perpetuis: quamquam nullius criminis vnquam
Conscius ipse mihi aut sceleris fraudísve dolíve,
Non ideo tamen, (heu!) vitam securus agebam:
Nocte diéque pauens fluitabam semper, iniquus
Atque mihi atque bonæ legi: nam iusserat illa
NIL CVPERE, at mala mens ideo & vesana cupido
Nolentem pariter miserè, miseréque volentem,
In vetitum magis atque magis ruere vsque iubebat.
Vnde hæc monstra autem, vel quò de fonte? petenti
Sæpe mihi, Humano atque tuo de pectore, dixit
Sacra docens verum & recti curuíque magistra
Lex tabulis incisa: Mea est pars iusta docentis,
Impia quæque notis ostendere, honesta monere:
Vlterius nihil efficiam: sed cætera ab alto
Monstro petenda Deo, atque alio expectanda ministro,
Cui meus & cedat Moses, & lampada tradat.
Ergo iram, lex, instigas? Ne dixeris: immo
Et temet sanum, vitio vacuúmque putantem,
Atra per internas perfusa venena medullas
Sentire admoneo, & spem medicúmque salutis
Et iusti promissa Dei expectare fideli
Obsequio, officiísque bonis, bene consulo & hortor.
IAMQVE huius præclara dies & gratia sortis,
Non hominis iactata manu, sed amore benigni
Consilióque Patris, mihi contigit: Inde ego viuo,
Non ego, sed Christus, cui iam quidquid quidem ago & sum,
Agnosco, acceptúmque fero, laudíque repono.
Nam nos non tantis (iubet hîc phas vera fateri)
Officiis sumus vsque pares aut rebus agendis,
Sed neque consiliis tantis, quæ donat abunde
Ipsa mouens, ipsa efficiens diuina voluntas.
Hinc verò quondam saxo durísque tabellis
Demere lex nihil aut poterit damnare seuera
His, quibus immisso per membra valentia Christo,
Nil veteris superest hominis, nil carnis & Adæ:
Ast animo infusus mutatos spiritus artus
Informat penitus, sapere & cælestia donat.
Viuit enim, viuítque Deo, Natúmque Patrémque,

Vnde

Vnde datus, noſcit gaudens, nec terga locuti,
Sed videt æthercam faciem, propiúſque tuetur,
Cognitus ipſe etiámque & amans etiámque & amatus
Liber agit, carníſque ſuos à lege ſolutos
Altiùs à terris animo ſuper æthera ducit,
Et penetrare polum, & cæleſti accumbere menſæ,
Dátque epulum celebrare boni & ſponſalia Chriſti,
Per feſtáſque dapes mortalibus vſque negatas
Vſibus, & laudum æternas celebrare choreas:
Interea corpus, pridem quod regna tenebat,
Imperióque graui turbauerat omnia viuens,
Extinctum iacet; ac rurſus verſa vice rerum
Lenia iuſtitiæ ferimus iuga, legis & almæ
Mentibus inſcriptæ ſemper gaudentibus, vltro
Dulce adeò geſtamus onus, vectigalia rege
Digna Deo grati perſoluimus, illicet ipſo
Dante priùs quidquídq; damus, quidquid dare ſemper
Poſſumus, haud ideo tamen vllis rebus egentes,
Sed cumulo creſcente magis quo plura libenter
Pendimus, æternas læti ſaturíque videmus
Surgere diuitias, donando & creſcere dona.
Sic illi placitum, nos qui in noua ſecla vocatos
Omnibus antiquis mirandos ſiſtere iuſſit.
Ille heri, ille hodie, ille & cras permanet idem,
Immotúſque manens ſapienter tempora mutat,
Ac ſemper meliora offert: ſed ſecula fines
Contigere ſuos, vbi miſſus ab æthere Chriſtus
Effecit quæcunque Pater promiſerat, & quæ
Credere maiores atque expectare probatos
Audimus ſeræ ætati ceciniſſe nepotum.
Sic deinceps eſt Chriſtus, erit quoque Chriſtus: at illum
Vlteriùs negare valet vox nulla, modò ſi
Faſſis, vera bonus qui dictet, Spiritus adſit.
Ille in corde ſuum ſignat pecus, illius vtque
Signa pecus tenuit, metuit nihil, inſidiáſque
Atque vrſi atque lupi temnit rapidíque leonis
Sæuitiam, furíſque malas ante omnia fraudes.
Quid paueant? bonus ille ſuo cum paſtor ouili
Proſpicit inuigilans, nec ſomno vincitur vnquam,
Neu pecoris curam, neu mittere certus amorem.
Sed neque qui quondam pecori ſudórque labórque
Ægra ex carne fluit, vitiato aut ſanguine ſurgit,

Diuini potis vſque gregem vexare magiſtri:
Nam medicas habet ille manus, præuertere doctus
Quidquid erit genus innocuum quod lædere poſſit.
Nemo igitur quos tanta vigil cuſtodia ſeruat,
Accuſare poteſt, vt nec tentare nocendo,
Aſſertore Deo munitos nempe, ſuum qui
Nocte diéque gregem lætiſſima paſcua, propter
Dulcis aquæ ſacros fonteis fluuiósque perenneis
Carpere dat ſemper præſens, ac viuere tutum.
Nónne vides quanto vitæ diſcrimine ſancti,
Quos bonus electos Chriſtus ducítque regítque,
Ante greges alios hominum & collegia cedant?
Quamlibet hos virtus mundi aut ſapientia laudet,
Rectiùs hos illis non quiſquam comparet, ac ſi
Idem vel ſtellas lunæ vel dicere ſoli
Contendat ſplendore pares aut viribus æquas.
Si qua placet verè virtus, & lumina ſi qua
Humano fulſere animo meruêréque laudem,
Hæc eadem proprio ingenio qui adſcripſerit, errat,
Authorémque ſuum malè gratis deſerit auſis.
Quæ bene dicta ſonant, & quæ bene facta feruntur,
Omnia communem ius eſt memorare bonorum
Spirituúmque patrem docti ingeniíque magiſtrum.
Illa at præcipuum eſt virtus confeſſa decorem,
Illa Dei authoris ſapientia maximáque index,
Miratus quondam ſtupuit quam mundus in illis,
A lino & cymba, quos tu, bone Chriſte, vocatos
Eſſe facis teſtéſque tuos, veræque ſalutis
Læta iubes populis ſignatáque nuncia ferre.
HÆC etiam nos teſtati, quoque certa fatemur,
Magnificis non dicta modis excultáque verbis,
Sed præſente Dei ac veræ virtutis IESV
Vſque ſalutari euentu, quem turba fidelis
Agnoſcet porrò viuens, quandóque probabit
Seſe humilem in terris demum ſuper æthera vectam
Conſortem æternæ lucis regníque beati:
Impius at contrà, durum cui pectora ferrum
Occupat, ac mendax exſurdat ſpiritus aures,
Vnde oculos Deus & Iudex præſtringit & vltor,
Sentiet, heu, tandem, neglectáque gaudia cæli
Proficiente nihil ſerus triſtíque dolore
Inuidiæ è tenebris alios æterna tenere,

Quando

Quando ipse æternas pœnas luet, vsque videbit.
Talia clamantes diuersa sorte piisque
Et prauis casura, nihil maledicta moramur
Aut nugas hominum, magnos quos censet iniquum
Quos vulgus laudat: nostri nec pœnitet vnquam
Muneris, officiíve pudet. nos ipsa rubere
Omnipotens veri virtus vetat: & fuimus iam
Nos docti magníque habiti, chartísque librísque
Felices operas dedimus, dum prisca manebat
Illa rudis secli atque vmbrosa scientia, honestis
Frondibus vsque virens, fructus at frugis & expers:
Quam post terga dare, & potiori incumbere chartæ
Virtus vera Dei facit & sapientia CHRISTVS.
Huius nam quid ego monumenta recondita pandam?
Humanis quæ non oculis non mentibus istis
Apta capi, & quamuis alacrem superantia sensum?
Hæc nostros ditant animos, & flumina nostris
Effundunt linguis laudum sermonis & alti,
Qualia traiiciunt soli, quos spiritus idem
Productis auctos membris, ætate viros iam
Perfecit, solido & maturos robore cinxit.
Ast eadem tenero infanti, quem sugere tantùm
Vbera oportet adhuc puro exundantia lacte,
Nec nos porrigimus, cui nec præuertere phas est.
Hæc mihi quæ canerem, Tarsensem pluráque Paulum
Dictantem memini ac tabulis præscripta ferentem,
Omnia quæ angusto haud valeam concludere versu:
Nam nostræ citharæque sonus vocísque minoris
Deficiunt numeri atque modi, vincíque fatentur.
HINC etiam quid & ille grauis responderit author,
Quem sibi discipulum & comitem delegit IESVS
Gentili de stirpe, bonum priùs in mare missis
Retibus, inclusos exponere littore pisces,
Pòst homines etiam viuos è mortis amaræ
Fluctibus, æternæ vitæ traducere ad auras
Diuini captos virtute ac munere Verbi.
Hic vsu, hic magni, quam nouerat, arte magistri
Edoctus pariter fidei pariterque decori
Officij momenta, quibus Deus annuit, olim
Pollicitus quæcunque fuit, superantia longè
Eloquium mentémque hominum, sic ore diserto
Fatus ait: QVAE nos diuina atque optima dona

Imo

Immo ſenſu animi gerimus miranda, benigni
Deſcendunt de ſede Patris: nam lumina ſolus
Ille ſalutifera effundit, cæcáſque tenebras
Diſiicit, æternámque iubet ſecedere noctem.
Is nebulæ expertem maculoſæ ac nubis & vmbræ
Æternámque habitans lucem ſempérque nitentem,
Summa tenet nulláſque vices metuentia regna.
Inde volens nil promeritos nos extulit, ille
Nos genuit, natóſque ſibi dedit eſſe, fidelis
Promiſſi memor atque tenax, veréque renatos
Primitias generíſque ſui ſobolíſque Deorum,
Quam ſibi pollicitus diuina ſtirpe nouandam
Conſtituit, cælóque ſatos, non ſanguine cretos
Humano: namque illud opus iam deſiit, ex quo
Ipſe breue & magnum demittens æthere Verbum
Mentibus inſeruit noſtris, mortémque priorem
In veram voluit mutare ac vertere vitam.
Hæc promiſſa Deus toties prædictáque regna
Pauperibus dare conſtituit, voluítque benignè
Hæredes decorare ſuos hæc regna petenteis,
Non auro: namque ille auro non vincitur vllo,
Sed fide & obſequiis generoſi & pectoris igne.
His modò diuitiis vbi quiſquam pauper abundat,
Sollicitet cæli regem, quærátque volentem,
Atque oret nihil addubitans, quin fortiter inter
Pulchra petens: nam pulchra decet non quęrere lento
Aut animo aut ſtudio: ſed magna negotia magnis
Mentibus, & iuſto contingunt certa labori.
Mentem viua fides firmet, cor inſtruat ardens
Atque manus facilis pietas, quæ fratris egentis
Conſilio atque opibus curet ſuccurrere ſorti
Sedula: nam ſatis atque ſuper prodeſſe volenti
Candida ſedulitas fuerit, cui cætera præſens
Proſpiciet quæ cognorit fore commoda Numen.
Hæc pietas ſincera paret, ſed viuida conſtet
Nocte fides tota, ad noctem quoque ſolis ab ortu,
Semper auens, ſempérq; petens, ſperans quoque ſemper
Atque premat diuina tenax promiſſa, neque vnquam
Brachia firma, licet neruis contracta, remittat,
Dum ſuperet vincátque Deum maiora parantem
Præmia, felicis poſthac ornanda decore
Nominis, atque Deum, atque homines viciſſe valentis.

Hoc

Hoc ſcire, hoc ſapere eſt, atque hæc ſapientia ab alto
Miſſa polo ſuperat nubes, & nubila temnit,
Et cæli ſpatioſa libens per templa vagatur,
Omnia perluſtrans diuina humanáque rerum.
Non ideo at leuibus ventis inflata tuménsve,
Sed clemens, patiénsque mali, damníque recepti
Immemor, efficiénſque boni, officioſa quietæ
Pacis amans: non quæ velet fraudémque dolúmque
(Qualem terra ſolet turpem producere pacem)
Sed qualem pudor atque fides comitantur honórque.
Hæc niue candidior, rubro hæc ſaturata colore,
Ingenui ſenſus compos, redimitáque odoris
Floribus, exhilaránſque animos, ſpiránſque ſalubrem
Lætitiam, populos Chriſti cælíque colonos
Nutrit fruge bona, & maturis fluctibus explet.
Filius hæc Zebdi dixit Galilæus Iacob,
Quem primùm electi Solymorum de grege fratres
Pontificem læti multos nouere per annos,
Omnibus & celebrem terris, quas findit & ambit
Oceanus vaſtus, communis epiſtola quondam
Fecit, & à Chriſto teſtatum, publica fama eſt.
Iamq; operæpretium fuerit, quid ſentiat ille,
Ille, audire, ſenex tandem, cui notus IESVS
Non oculis tantùm, non auribus, appellante
Voce polis miſſa natum charúmque parenti:
Nam melior Simone iſtis fuit arbiter antè
Nemo modis. ille & natum reſpondit IESVM
Eſſe Dei viui atque vnctum iam pectore in imo
Admonitus, Chriſto hæc dictata referre roganti.
Sed nos iſta alio ponenda in tempore, Petre,
Mittimus, etſi illis ſolidi te ducere nomen,
Verax fama canit, lapidis, quem ponere primum
Nazarides nunquam mutabile fundamentum
Pollicitus propriis, quæ iam tunc templa fouebat
Surgere, tartareas nihilum metuentia portas.
Accepta externis tamen hæc tu ferſque reférſque
Senſibus atque notis, faciunt quoque ad altera, Simon,
Iudicia, & cauſam poſſunt firmare priorem,
Non primam, quam nunc agimus, quæ maxima veri
Argumenta parat penitus cognoſcere Chriſti.
Qualia iam coram populis corámque ſenatu
Te memorant miranda ſenem dixiſſe diſertis

Vocibus, & magna fortem virtute, secutis
Prodigiis signísque bonis variísque probasse.
Hæc nostris aptanda modis citharæque Latinæ,
Qualicunque tamen valeam contingere cantu,
Poscimus, haud spectes, tantùm da mente fidelem
Me Vatem posuisse tuas referentia voces
Carmina viuaces ad Christi condita laudes.
Si pia Christicolûm tibi, Petre, Ecclesia curæ est,
Si bonus ille ouium pastor summúsque magister
Ter commendati pecoris tibi charus IESVS.
Sic ego, & attentis mihi respondere parantem
Auribus atque oculis contemplor, at incipit ille:
Accipe nunc, Vates, quæ me scribente probarunt
Cappadocum populus Galatę quoque & incola Ponti,
Atque Asię innumerę gentes, gentésque Bithynæ,
Quotquot in his quondam regionibus illa piorum
Spes aluit patrúmque fides, quam vera crearant
Intra animum dictata Dei responsáque vatum:
Hos etenim variis dispersos tractibus orbis,
Ipse vbi resciui, diuinis viuere Christi
Muneribus, gaudere nouis ac funibus auctos
Longè aliis quàm queis agros fundósque domósque
Dux priscis Iosuas proauis diuiserat olim,
Protinus à nobis volat internuncia velox
Litera, contestes fratres quæ læta salutet,
Exhilarétque magis gratos, laudíque vacantes.
Æternas dignásque Deo nos reddere grates,
O socij, laudésque Patri efficientis IESV
Vncti & heri dominíque decet, qui tanta paternis
Munera visceribus nobis largitus abunde est,
Quíque suam nos progeniem dedit esse, nouámque,
Spes etiam iubet ille ratas viuásque valere,
Hæredésque datos vltro cælestis adoptat
Regni: cuius ager, ditissima prædia cuius
Nec steriles metuunt annos, nec frigora & æstum,
Non segetum pestes varias, incertáve sæpe
Tempora, non quidquid maturas lædere fruges,
Vel plantas violare potest, vel frangere culmos,
Aut oculis animo & gratum maculare nitorem:
Quippe beata fouet semper clementia cæli,
Atque salutiferis semper, sempérque serenis
Luminibus Pater ipse fauet: nam sospes IESVS

Cùm ſemel è mortis penetralibus exſtitit vnctus,
Et rediuiuus ouans mortalia cuncta reliquit
Mortua, nilque ſuam dein contingentia vitam,
Hæc vobis adeunda volens habitandáque ceſſit
Regna citò, atq; animo iam nunc meditante gerenda,
Quamlibet interea (nec longum tempus) acerbo
Tentatis rerum ſenſu per inhoſpita mundi
Et ſteriles tractus iter hoc peragentibus, arcta
Per loca, per ſalebras, & per ſcrupoſa viarum
Terribiles formæ ſeſe importunáque monſtra
Oſtentent, inimica adeò & malè ſana minaces
Hoſtes bella gerant: breuis hæc patientia tandem
Et firmata fides, ſuperis quoque cognita, vincet.
Indicibus pretij flammis ita purius aurum
Emicat, ingenuæque refert virtutis honorem:
Sic etiam quantum præſtet, quantum quoque Chriſtus
Pectora perficiens, animíque & mentis adornet
Virtutem, ſolido cor quantum robore firmet,
Edocet exemplis veſtris, propriíque decoris
Efficit ipſe ſibi laudem, noménque potentis
Vendicat, inuitis etiámque fatentibus iis, quos
Inuidia aduerſos aut inſipientia prodit.
Sic clarè rutilat Chriſtus dum fulguris inſtar
Antea non oculis viſus, ſed mente fideli
Creditus illuxit vobis, & ſolis ab ortu
Clarus ad occaſum luſtrauit veſtra beato
Lumine corda. Ergo veſtrum quæ gaudia pectus
Pertentent, narrare mihi, vobíſve referre,
Nec phas nec promptum eſt. humanis auribus iſtam
Lætitiam audire, aut linguis celebrare negatum.
Namque ſalus animi eſt potioráque munera vitæ,
Quæ vobis promiſſa Dei credentibus, vltro
Contigit. Hanc Vates vobis cecinere futuram,
Attenti atque auidi quondam cognoſcere, quando
Aurea ſecla fluent, ſibi quæ celebrare canendo
Dictabat ſuperis illapſus Spiritus oris,
Quos hominum vel quale genus reſponſa manerent.
Atque equidem non illa ſibi didicere parata,
Aſt vobis ſubeunda priùs fore dura laborum
Pondera cum Chriſto, ac paſſis mox pulchra ferenda
Præmia, & æternum nomen famámque decúſque.
Hæc eadem dicenda almus qui Spiritus antè
 Priſcos

Priscos edocuit Vates, nunc missus ab alto
Legauit vobis lætissima nuncia, & idem
Exhibet, en, præsens sanctè ritéque paratis
Quæ chorus Angelicus animo prospectat auenti.
Quales vos omnes moneo atque exhortor vt altè
Succincti ac prompti tanti expectetis honoris
Munera, quæ gratis ingenti inductus amore
Ipse suum Pater effundit testantia Christum:
Quæ sancto similésque Deo producere habenteis
Deductóque valent cognomine dicere sanctos.
Illa priùs vobis vulgata obscuráque vitæ
Seruitia à patribus seruis deducta, neque auri
Libra neque argenti in dulcis mutauit honestum
Conditionis onus (vitium metalla subire
Quę possunt, pretium nunquam cęlestibus æquant:)
Sed sacer ille cruor, nullóque parabilis auro,
Qui semel occisi fluxit de corpore Christi,
Agni olim primis qui destinatus ab vsque
Principijs orbis fuit vnica victima nullis
Vel morbis vitiosa vnquam maculísve repulsa:
At nunc postremis seclis iam tempore vestro
Pro vobis producta litat, mactatáque ad aras
Crimina cuncta vnus damnabilis expiat orbis.
Hæc vos nempe Deo fidi mysteria testes
Assentis Patri, Christum qui sistere rursus
Viuentem voluit, summæ ac virtutis & alti
Nominis æterna donatum viuere laude.
Laude, fides quam vestra sonat, quam concinit alma
Spes celsis innixa polis, spes viua parente
Digna Deo, stirpem referens sobolémque renatam
Et vitij experte & generosi seminis ortu,
Efficiente Dei verbo, quod vt omnia quondam
Iusserat esse orbis veteris, quæ & iussa fuerunt,
Sic noua nunc nasci dedit, & noua viuere, nunquam
Vel moritura, vllos vel dissoluenda per annos,
Illicet æternum viuumq; imitata parentem.
Cetera quæ carnem sapiunt, pulcherrima quamuis,
Quamlibet & vigili studio atque exculta labore
Hæc videas decorare agros campósque patenteis,
Et mirere adeò totis vernantia pratis,
Vana cadunt subitò, atque æstu tentata, repentè,
Fœni instar, cum flore suo moriuntur & arent,

Semi-

Semine non vllo,non vllos commoda in vſus.
Longè alia æterni virtus è ſemine Verbi
Æternos fructus æternas ferre per horas
Fertilis,& nullo ſterilis vel degener æuo.
Hanc vobis audire dabant bona nuncia nuper:
Quæ ſimul attentis cepiſtis auribus, imo
Pectore diuinas vires penetrare,nouóſque
Formari vos in fœtus, penitúſque foueri
Senſiſtis,vos infantes in luminis auras
Eductos, vitij hinc experte & ab vbere mentis
Viuite demulſo,iam puro & creſcite lacte.
Vos rogo vt expertos,Dominus quàm dulcis in altos
Libatus penetrat ſenſus reficítque medullas?
Filius ille Dei eſt viuus lapis, ille domúſque
Principium,ſibi quam princeps componere curat
Ipſe Deus,lapis electus,nitidiſſimus, atque
Firmus,& æternum ſolidus, gratóque decore
Artificis laude inſignis. mortalia quamuis
Iudicia, & malè ſana hominum mens inſcia veri,
Quæ ſibi nunc altam turrim, nunc conſtruit vrbem
Inceptis ruitura ſuis, molimine multo
Reiicit hunc lapidem, nec partem nec caput vſquam
Eſſe operis, quod ipſa parat, dignata repellit,
Et tamen immenſam molem contendit ad vſque
Supremum cæli ſe tollere poſſe cacumen.
At vos cælicolis poſtquam lectiſſimus ille,
Ille lapis iuuit placidos, tetigítque volentes,
Contactus virtute ſui in pretioſa redegit
Viuáque ſaxa. adeò Chriſtum contingere mirum eſt.
Inde ipſi vt lapides viui conſurgitis vnum
Inq; opus, inq; domum pulchram quam Spiritus intrà
Incolit atque animat ſacer, & ſacraria ſancti
Eſſe ſacerdotij vos deſtinat hîc vbi multa
Myſtica grata Deo aſſiduas defertur ad aras
Hoſtia,cui nomen,cui vitam ſpiritus ipſe
Indidit,& Chriſti vires ſuffecit inunctæ.
Hoc fuerat ſanctis foliis quod iam Deus antè in-
uoluerat arcanum, quod nunc reſerata reuelant
Euenta: En ſummum, electum,pretiíque ſupremi,
Qui geminos iungat muros claudátque reuinctos,
Ipſe mea lapidem ſpectandum pono Sione:
Quiſquis & hunc ſanis oculis & mente fideli

Excipiet, verùm expertus. non illius ora
Confusus rubor inficiet, non pectora prauus
Sollicitare metus poterit, malesuadáve cura.
Hic igitur vobis bene creditus auxit honorem
Egregiúmque decus, sed non credentibus idem
Despectus fabris, opere ac reiectus ab omni,
Artificíque Deo geminis ex arte locatus
Fit caput in muris, latus & committit vtrumque:
Ast verbo infidis & contemptoribus, huius
Quos sibi substrati lapidis malè pœnitet, & quos
Vel huic diuersum iuuat indere fundamentum,
Hic erit offensæ turpi immaníque ruinæ
Exitióque lapis: Namque hæc Deus omnia fatus.
Vos verò simul alma fides connexuit illi
Viuentes viuo lapidi, partémque beatæ
Esse domus iussit, latéque patere nitentes
Electum genus agnoscens, cui regia princeps
Ipse sacra efficienda Deus ferat, ipséque sanctam
Assimilémque sibi gentem, populúmque redemptum
Secretúmque sibi, & victoris iure dicata
Pignora: perpetuis queis testibus illius alta
Virtus & toto resonet victoria mundo,
Principis & claro celebretur fama triumpho,
Cuius ope è vinclis nuper tenebrísque malignis
Erepti in miras venistis luminis auras,
Ipse salutiferis quod pennis irradiat sol
Iustitiæque suæ communicat ipse calorem,
Frigentésque priùs populos (fueratis vt ipsi)
Inuisósque Deo quondam, valet ille parenti
Conciliare suo, & gratos carósque reponit.
Hæc vestris probat exemplis ac firmat IESVS,
Qui mea, qui vestra, ac terram confusa per omnem
Crimina suscipiens, vnus contra omnia pendens
Sustulit, ac ligni librato examine vicit,
Victáque in infernos retulit, liquítque sepulta.
Vnde valens viuúsque suo quos ille cruore &
Vulnere restituit, sanos facit inde salubri
Tutos iustitiæ securæ & viuere paci.
Efficit in vestris animis hoc cura benigni
Pastoris præsens, qua dum caruistis egeni
Atque ouium tristes instar, dubióque timore
Antè turbatos iuuet admeminisse vagatos,

Vt studio maiore animi celebretis IESVM
CHRISTVM pro iniustis, licet is iustissimus, vltro
Vulnera pro nostris culpis & mortis acerbæ
Sensum in carne semel maledictáque probraq; passum,
Non se, sed nobis meritis hæc omnia, vt in se
Inque suis membris nostræ mortalia carnis
Membra bonus moriens exstingueret, inde supremo
Viuentíque Deo potuit nos sistere viua
Et noua membra sui viuentis corporis, in queis
Iam rediuiuus agit, iam viuit spiritus, illa,
Illa Dei, quondam quæ exstincta iacebat, imago.
Hoc etenim Christi monstrabat Spiritus olim,
Dulcia dum vitæ ac lætissima verba profatus
Illis, quos leti effigies retinebat in arcto
Carcere, persimiles mortali à carne solutis
Spem tamen atque fidem viuam retinentibus vsque
Spiritibus certis certam sperare salutem.
Et quísnam tunc mortalis miranda volebat
Credere, dum longis consurgeret arca diebus
Verbo iussa Dei, ac docilis constructa Noachi
Arte, opere & multo, quantum diuina ferebat
Mutandas hominum exspectans patientia menteis,
Atque monens & prædicens suadénsque maligni
Communísque fugam sceleris, quod publica culpa
Verterat in mores atque in solennia penè
Iura, metu legum procul atque pudore fugato.
Donec ira Dei vindex, fabrefactáque cista,
Illa malum è terra scelus expiat, ista piorum
Octo animas tantùm seruat, viuásque reponit,
Postquam digna malis data sunt sub iudice iusto
Supplicia erratis: mox nam clementia moris
Nominis atque sui memor, euocat, & iubet atro
Carceris ex antro tenebrosa & imagine mortis
Prodire incolumem numerum, quem spésq; fidésque
Securos totum medias tenuere per annum
Inter aquas magnis demissas imbribus, inter
Stagnáque præruptus fudit, quæ gurges abyssi.
Atque ita Tellurem, Tellurique aëra summæ incumbentem, quo cuncta auras animalia spirant,
Contigit vndarum gemina virtute lauari,
Quo melior posthac animantum spiritus intra
Viscera deductus recreet, animásque salubri

Per-

Permulcens haustu, potiori exerceat vsu.
Hoc nobis nunc, sed multo generosiùs, instar
Restituit Deus, è cælo vitalibus vndis
Intra animi effusis penetralia: non caro quali
Deposuisse solet sordeis abluta, lauacro
Vsque repetendis purgandas sæpius vndis
Semper fontis egens, alio sed, quo pia mentis
Membra interna lauans, maculas sordésque remouit,
Et penitus renouans idem lotósque reuisens
Ipse suum sibi tersit opus, tersúmque fouebit,
Vsque sui totum prorsus illinit Inuncti,
Ne maculæ aut vitij externi per læue morari
Quicquam aut hærendo penetrare ac rodere possit.
Præstitit hoc nobis virtute exstantis IESV
Atque vncti atque Deo nati dextróque sedentis.
[Qui, quam pro nobis admisit, morte vorata
Æternæ vitæ socios nos reddidit vnà
Hæredes secum] Iam nunc in celsa profectus
Cæli regna, sibi nil non subiecit: at illi
Angelici parent cœtus & cuncta potestas,
Quidquid & aut nomen fert aut virtutis honorem.
Filius hæc Ionæ, memini, mihi certa rogatus
Reddidit in tenuis dignatus carminis arcta
Vincula constringi, quæ scripserat ille solutis
Diuinæ pennæ calamis, & ad astra volantis.
Idem aliàs dum contestes sociósque per omnem
Dispersos orbem, solet appellare monendos
Et commune bonum officium, & commune, notátque
Inferni insidias hostis studiúmque nocendi
Seu vi siue dolis occulti ac fraudibus hami,
Vt pater, vt senior, fratérque vt denique pastor
Publicus atque vigil, pecoris quem cura moratur
Quod sibi pastorum Princeps commiserat vsque
Antè & mandatum, quàm regna paterna reuisens
Cederet è terris, non longè à fine supremo
Mortalis vitæ, ipse quoque hæc postrema canebat
Albus olor cygnis pariter candentibus, vnà
Quos fore contestes prænorat conscius ipse
Atque Dei atque Deo geniti efficientis IESV,
Scribere sic orsus: Vobis vt gratulor istam
Iustitiámque fidémque Dei sortémque benignam
Communis mecum quæ vobis contigit almi

Munere certa Dei nostri & seruantis IESV,
Noscendum qui se nobis monstrauit Inunctum,
Et promissa olim, iam nunc largitus abunde est
Diuina virtute potens, quæcunque beatam
Dona Dei vitam efficiunt, quæcunque probanda
Commendat pietas, postquam nos sponte vocatos
Ipse sua bonitate vltro proprióque decore
Séque patrémque suum ostendens cognoscere iussit
Donis, queis nullum vel par pretiíve secundi
Esse potest, nos efferri ad consortia diua
Congeneréſque Patri atq; Patris dehinc viuere Nato,
Mundi à vulgari longè latéque remotos
Conditione hominum cupientum turpia, quæ vel
Concupiisse nephas, nedum tenuisse petita.
Euehit hæc adeò nos, tantum hæc gratia mutat.
Hæc senior nobis priuata hæc publica Simon
Discipulúsque idémque comes, certissimus idem
Arbiter à primo sese ostendentis IESV
Tempore, promissi doni clarissima adusque
Horæ momenta illius, quæ tertia luxit
Felix diuini dicti exspectantibus alma
Euenta, & quæ prima nouo lux constitit orbi
Clara salutiferi pennis & lumine solis,
Qui simul exortus fulsit mortalibus, antè
Semotam, è cælo in terras deduxit amicam
Iustitiam superis, æquantem prima supremis,
Et paria imparibus moderantem examine iusto,
Quo teneat vis quæque suos laudabilis actus.
Huic nihil inferior summæ virtutis & acri
Iudicij exemplo socius, quamuis minor annis,
Iam venit in parteis atque in monumenta rogatus:
Testis enim primos inter, quæcunque peregit
Tempora Nazarides nouit, dúmque ille subibat
Munia doctoris vitæ præcepta ferentis
Atque addentis opem doctrinæ, lumina quando
Reddidit ille orbis, & surdas commodus aures
Restituit, mutósque loqui, mirabile visu,
Iussit & edocuit subitò, claudísque volucri
Planta agiles cursúque dedit præuertere ceruos:
Languentes alios è tristi limine leti
Ereptos retulit, iussósque repentè valere:
Partem etiam, exstinctos defunctáque corpora vita

E mortis tenebris lucem reuocauit ad almam,
Membráque feruentis resoluta tepore sepulchri,
Viuificæ sola vocis virtute refecit
Continuò, notos vt non magis integra ad vsus
Vnquam aliàs vitæ subiissent munia primæ.
Hic aderat quoque & oranti quandoque magistro
Difficileis inter pugnas carnísque labores
Intrepidíque animi, quo tempore publica nostri
Pondera peccati excepti, nimis ille molesta
Senserat expertus primùm : namque antea ab omni
Immunis prorsus culpa nostráve suáve
Is fuerat, própria qui æternum immunis in æuum
Constitit, ast ternis nostrum scelus ille diebus
Sponte subire bonus luiturus præstitit vnus
Mortalis intra conclusus viscera terræ:
Non secus atque olim tenebroso in carcere ceti
Horrendæ mortis vallatus imagine Ionas
Immanes fluctus pelagi subiisse profundi
Fertur, & ad puri reuocatus luminis auras
Se signum immenso populo Ninæque tyrannis
Exitij certi aut certæ exhibuisse salutis.
Sed quamquam ille altis gemuit circundatus vndis
Vndique, non tamen impositum, qua parte subibat,
Sustinuit pontum, spatioso piscis in aluo
Inclusus toto triduo consistere viuus
Atque auram potuit, licet, adspirare, calentem,
Ac meditata loqui, & querulum componere carmen,
Et cantu mulcere Deum, atque in vota benignum
Reddere, vt hunc sospes tandem celebrare canoris
Versibus auditus, qui nostra in secula durant.
Ast alia innocuum longéque grauissima moles
Nazariden oppressit postquam post mystica cœnæ
Sacra, Pater voluit totius crimina gentis
Sustentare vnum, iusto quæ examine libræ
Terræ & onus maris & superant pondúsq; modúmq;
Nec spatij quicquam intererat mortalia & ipsum
Peccata Adami subeuntem cuncta vetusti,
Nec locus aut corde in terræ spirabilis aura est:
Vnde tremor, pauor, ac mœstus, totósque per artus
Egelidus mixto manabat sanguine sudor:
Ac, nisi vis olei sacri natiua fuisset,
Quæque animum summa imbutum virtute iuberet

Tot constare malis tanto ac superesse labori,
Obrutus infestis latuisset protinus vndis
Indomitæ mortis, potuit quam vincere fortis,
Et penitus victam (postquam lux tertia cælo
Enituit) propriáque relinquere morte sepultam.
Omnia quæ à primis hic, quem producimus, almus
Principiis vidit iuuenis, propiúsque notata
Perscripsit: quippe ille etiam morientis Iesu
Adstitit intrepidus ligno, matrémque dolentem
Indignos nati cruciatus, ipse fidelis
Et comes & socius, nati quoque nomine posthac
Clarus, postremis commendatam bene verbis,
Excoluit pietate valens, propriámque suíque
Obseruans Domini duxit sanctíque magistri.
Atque hæc, magna licet fuerant, tamen ipse minora
Æstimat iis rebus, quas nos audire paratos
Condidicisse cupit simul atque optasse tenendas,
Naturæ melioris opus causámque prioris
Ortúsque & vitæ, quam cæli missus ab arce
Filius exegit summi Patris. Ergo libenteis
Narrantem iuuet audire ac sublimia fassum.
PRINCIPIO viuens Verbum vitæque perennis
Author qui fuerat, vita idem semper & atræ
Expers mortis ERAT. Propriis vidisse fatemur
Hoc oculis, ante auditum narrante Deo, sed
Nuper idem certum ac proprium sentire sine vllo
Ambigui sensus dubio, testamur, vbi vltro
Exstitit hoc, nos & viuenteis noscere iussit
Non oculis tantùm obiectum, sed robore denso
Ac solidum virtute sui, quod ritè probatum
Nunc nostræ tetigere manus tenuerúque Verum.
Hæc Patris æterni consors æternáque iuxta
Vita erat, ac sese nobis dedit ipsa benignè
Insinuans, illapsa vsque in penetralia nostræ
Mentis: & illa sibi (quod vos vnà ipse peroptem
Nobiscum) esse facit socios Natóque Patríque,
Atque Deo atque Patri natos, quos Vnctus IESVS
Participes fratrésque vocet, perfundat & alma
Lætitia nullos vnquam metuente dolores.
Hoc iterúmque iterúmque monet lux ipsa canenteis
Asserere ac laudare: Etenim non passa latere
Sese hominum præbet generi, tenebrásque perosa

Protinus hæc nobis vitæ se tradit in vsum.
Lucis enim fons est Deus, ac lux est Deus idem
Obscuri nihil admittens. Permixta tenebris
Lumina quisquis ait viuentem cernere sese
Hísque Deo charum ac socium præbere, laborat
Vana ferens mendax, mendacem sistere & hunc vult,
Quem vanum natura negat, quem falsa loquutum.
Iste sua sibi fraude miser nocet, iste procul se
Dimouet à veri rationibus, ac mala prauis
Auget, peccando socium qui se putat esse
Luminis æterníque Dei; nos qui sibi notos
Adscribit socios, vbi puri in luce diei
Versari videt, agnoscens, qualem Pater atque
Filius ille Patris lucem colit Vnctus IESVS.
Ille vnus scelere immuneis nos sistit ab omni.
Quo sese verax nemo vixisse carentem
Dicere iure queat: sed quisquis fassus egere
Iustitia veniáque Dei, petat ille patrono
Iustitiam veniamque Dei suasoréque Christo:
Qui proprij nos viuifici virtute cruoris
Expiat, immunes ac sistit crimine ab omni
Præteriti moris, dum ritè errata fatenteis
Sponte sua semper iustus propriíque fidelis
Atque tenax dicti, peccata remittere prorsus
Eluerévque valens, puros nitidósque redire
Efficit. Ille etenim solus placare Parentem
Nouit, & errantum, vitæ quos pœnitet antè
Non bene decursæ, clementem reddit iniquis
Criminibus, iamque oblitum facit esse malarum,
Vindice iudicio quas pœnas ille parabat.
Tantum adeò Christus nobis confecit IESVS,
Siue omni potiùs mundo: namque vnica solus
Hostia pro toto Christus semel orbe litauit
Suffecitque Patri atque satis dedit vnica abunde;
Legitimi cuius testes sumus, illicet & nos
Nouimus experti quantum ille effecerit, vt qui
Quod iubet is prompti atq. hilares seruamus & æqua
Exequimur: nam diuino qui flagrat amore,
Hic Patris ac Nati obseruat præcepta libens, hic
Agnoscítque Deum, atq. Deo simul agnitus idem est,
Ac similes versat curas, exempláque Diuis
Digna edit noctu atque diu vitámque per omnem.

Fallitur ac fallit mendax, qui agnoſcere Inunctum
Seſe ait, à cuius dicto mandantis aberrat.
Lumina vera hodie lucent, pulſisque tenebris
Omnia clara nitent, odiis locus haut manet vllus
Heic, vbi lux amor atque vigent. quin fratris amantem
Hunc pede inoffenſo verſari in lumine conſtat.
Hoc pater, hoc noſtis pueri, iuuenéſque virique
Teſtantur, quicunque Patrem nouere fauentem,
Inſtructíque Deo vireis vicere Maligni.
His mala mundani luxus procul atra libido,
Abſceſſit procul his & amor ſceleratus habendi,
Et quæ mortaleis agit inflans gloria cæcos.
Hæc pereunt, perit ac mundus, nec permanet vlla
Gloria, non caro quod ſuadet quærítque cupido.
Vna æterna Dei manet obſeruata voluntas,
Quam Pater & Natus firmant ducuntque benigno
Conſenſu, felíxque ſibi parentibus ambo
Pollicitum præſtant æternæ & munera vitæ.
Nónne intra mentem vobis hæc ſuggerit alma
Vnctio? quam quiſquis verè ebibit, ille & inunctus
Omnia ſcit ſeruátque Dei documenta, manétque
Firmior, officia atque facit digniſſima iuſto
Vſque Deo, quippe & natus referénſque parentem.
Cernitis, en, quantum eſt nobis largitus amorem,
Quos natos Pater eſſe Dei dicique probauit,
Ignotos mundo; nam mundo ignotus & ipſe eſt.
Nondum etiam quid nunc ſumus vlteriúſque futuri
Conſtitit; huic ſimiles certè oſtendemur & ipſi,
Ille vbi ſe oſtendet nobis referétque videndum
Integer integris. Hæc quem firmiſſima alit ſpes,
Sanctè agit, & ſancti mores imitatur agendo.
Diſſimile huic quiſquis peccat: nam praua ſequutus
Incedit, rectiſque procul declinat iniquus:
Quippe æquo ac rectis peccatum diſtat & error.
Suſtulit hoc ille adueniens, quo nempe carebat,
Nóſque carere potens effecit: quiſquis in illo
Rite manet, ſceleris expers purúſque faceſſit
Iuſſa Dei: quiſquis peccat, nec vidit eum nec
Agnoſcit. Nemo contrà perſuadeat author
Vobis, queis cordi eſt verum: nam iuſtus habendus
Iuſtitiam quicumque valens exercet, honeſti ac
Incumbit ſemper ſtudio, ſimiliſque potenti

Iuſtitiæ authori Chriſto ſpectatur, at iſte
Quiſquis erit peccans, tetrum cacodæmona ab vſque
Principio prauum damnandis exprimit actis.
Finxerat hæc Dæmon malefacta inuentor, & arteis
Peccandi intulerat mundo: diſſoluere at iſta
Filius ille Dei veniens potuítque volendo,
Atque vltro voluit: quare & caro factus in orbe
Exſtitit, atque Dei natos, quos iuſtus adoptat,
Peccato immunes reddit, letalis eoſdem
Criminis oſores penitus, quos ſemine pingui
Diuini generis natos renouauit, & inſtar
Annuit eſſe Dei, natorum actíſque docere.
Ergo peccandi exemplum certumque periclum
Vnum interque Deo atque inter Cacodæmone natos
Diuidit, atque hominum parteis manifeſtat vtraſque.
Iuſtitiam quiſquis non præſtat, iuſtus haberi
Censérique valet minime, nec ſemine ab alti,
Eſſe Dei natum dicam, cui è fratribus vnus
Aut carus minùs eſt, aut ſemet vilior ipſo.
Hæc veri ſumma eſt, hoc certum examen, vt almi
Pectora noſtra Patríſque oculis mentíque probemus.
Nemo noſtra Deum, quamuis occluſa putet (ſi
Conſcius ipſe ſibi eſt) cordis ſecreta latere:
Namque latere ſolet maior quandoque minorem
Magna ex parte ſui, minor aſt, quem circulus ambit
Et ſuperat magnæ virtutis, fallere non quit
Maiorem. Deus, ille Deus, cor, viſcera, pectus
Et renes, & quodcunque ſumus, & cuncta ſub axe
Quę fuerint, quę aut eſſe queunt, non edita quamquam
Ambit mole ſui immenſa bene prouidus orbis,
Nouit & antiqua & quæ ſunt præſentia, quæque
Proxima naſcendi vel ſunt ſub limine, vel quæ
Exſpectat promenda dies, licet vſque remotus.
Quod ſi noſtra adeò ſibi conſcia pectora nil iam
Arguerint facti aut ſtudij, fiducia ſoli
Nixa Deo conſtabit, age, & iam poſcere phas eſt
Dona vel excelſas hominum ſuperantia mentes.
Horum nam nil ſubducet, nihil ille negabit
Huic, ſua qui fidus peragit præcepta, nec vllis
Diſplicet æqua Deo mandanti partibus. Atqui
Hoc breue mandatum eſt, OPERA EFFICIENTIS IESV
CREDERE, ET ALTERVTRVM FRATRES CONTENDE-
RE AMANDO.

Præcipit hoc vnum ille suis, hoc suggerit ipse,
Suggestum conseruat item æternúmque tuetur
Iis, quibus insinuat sese, quósque ipse receptos
Consouet vsque sibi caros. Cognoscere at illum
Felicem penitus nobis veréque fauentem
Spiritus ille docet, quem munere cepimus almi
Et Patris & Nati superantem cetera cuncta.
Nam genus est varium, neque eodem congener ortu
Spirituum, mala pars quorum mendacia iactans
Plurima, diuinos seque & sua dona volentum
Vendere pro diuis. Horum fuge credere nugis
Quisquis eris qui vera cupis, qui certa tenere.
Spiritus ille Dei vireis ac dona fidelis
Præstat, qui in carne aduenisse fatetur IESVM
Munere præsentis certæ ac virtutis inunctum
Promissa asseruisse Patris magni vngere fortem.
Hanc veræ quisquis formam speciemque salutis
Atque fidem Seruatoris dissoluerit, illum
Non Deus agnoscit, sed Inuncti iudicat hostem
Partibus adscribens mundi sibi commoda doctum
Verba loqui, ac mundo suadentem talia, mundus
Diligit, his demens audit plauditque libenter.
Hunc vos, queis nostrum sermonem agnoscere phasest,
Vicistis, notique Deo carique supremo,
Edocti quis vera ferat, quis spiritus erret
Vana docens miseros mortaleis seque vicissim
Ambitione mala inuidiáque odiisque prementeis.
At nos nata Deo proles, quem dicere Amorem
Carmina sacra docent, nos illum protinus ac nos
Pectore diligimus penitúsque experte veneni
Liuorisque mali, fraternáque commoda nostris
Præferimus, cui noscendum veréque tenendum
Se Deus insinuat, nos huic & sistere notos
Consequitur. Tali est sensus discrimine vterque
Spiritus, alter enim verax, mendacibus alter
Proloquiis parit errorem mortalibus ægris.
Mutuus at nos semper amor deuinciat: est nam,
Est amor hic authore Deo, sed & auspice ductus.
Quisquis amat verè, ille Deo quoque notus amanti est,
Ille Deum noscit, notúmque appellat Amorem,
Quem prorsus nescit quicunque haud diligit: Est nam
Ipse Deus amor, ac nostri monstrauit amantem

Sese dum proprium natum, quem nulla secundum
Anteierat proles, mundo edens misit. in hoc dat
Vitam:quodque illi,& quod nobis viuimus inde est.
Illum noster amor non impulit, at mage nostri
Primus amor fuit; atque ille vt nos primus amauit,
Ipse suum misit natum, qui crimina mundi,
Nostra, inquam, purè mactatus diluit vnus.
Nec Deus his oculis potuit mortalibus vnquam
Inspicier, sed amor verè intra viscera fusus
Dat nouisse Deum verum interiúsque manentem,
Ac non visa homini priùs aut audita creantem
Pectoribus nostris, iubeat quæ noscere certo
Pignore, quo potuit nihil vsquam certius esse.
Efficit hoc suus ille,dedit quem,Spiritus almus
Nobis. hoc nos testamur nam pignore, in orbis
Auxilium solidum missum, diuámque salutem,
A Patre promissum Natum, mittíque volentem.
Esse Dei natum qui ritè fatetur IESVM,
Hunc Deus agnoscens, templum sibi comparat, in quo
Permaneat cultus,Deus atque hunc sustinet idem.
Nouimus hoc etiam nos & qui credimus ipsi,
Quem Deus & qualem nobis impendit amorem.
Tum nostri perfectus amor dignoscitur ergo
Iudicij adueniente die,cùm iudice summo
Nempe Deo,similes illi fiducia constans
Intrepidósque etiam valet hoc insistere mundo:
Nam perfectus amor procul hinc iubet ire timorem,
Horribilésque metus, & quidquid denique pœnæ
Affine est. Viget vnus amor solúsque gubernat
Mentem,animum & nostrũ,impensè fratresq́.Deumq́.
Semper amare iubens, hunc dilexisse priorem
Miratus: namque ille prior dignatus amare est.
Ast homines,quos ille Pater tollítque fouétque,
Quósque sibi sobolem natósque benignus adoptat,
Fraternis quoque nos animis & amore secundo
Addecet excipere,aut potiùs dicemus,oportet.
Nemo (testor enim) verax se dicet amantem
Esse Dei,atque hominem fratrem simul oderit idem.
Nam si præsentem fratrem,quem conspicit, odit,
Vel ducit minùs hunc animo quàm se sibi carum,
Qui potis iste Deum, quem nondum adspexit, amare?
Quippe amor est Deus, hunc & quisquis diligit, idem

Quos

Quos amat ille etiam, simili quoque amore sequutus
Diliget. Hoc iubet vsque Deus, quod præstat & ipse.
IAM repetam mea sensa iterum: nam vera profatum
Testem nec decies etiam repetisse pigebit,
Vos & adeste animis, quibus hæc sapientia cordi est.
Mira quidem, sed vera loquor, certissima, nobis
Testibus, auditu dignissima: quippe eadem sunt
Quæ valeant homines facere & seruare beatos.
Vnctum quisquis erit præsens qui credit IESVM,
Ille & rite Deo natus dicetur, & omnis
Cui Genitoris amor constat, constabit eidem
Et Nati quoque viuus amor: namque hoc bene pacto
Nobis esse Dei natos certissima amoris
Pignora firmamus quo iure Deúmque Patrémque
Diligimus, quo & dilecti præcepta fideli
Obsequio exequimur. præstantis quippe & amoris
Non verba, at benefacta magis probat ille lubens qui
Iussa Dei iam nil grauia, at dulcissima seruat.
Hunc diuinus amor ducítque animátque supremo
Munere, & à vulgi exemplis procul vsque remotum
Eximit, ac superare facit vel maxima mundi.
Quidquid namque Deo natum est, mundana superstat
Omnia. Nostra fides vera est victoria. Vincit
Hæc eadem mundum & mundi fortissima quæque.
Nam quis regna potest mundi peruincere, quísnam
Mundi elementa valet quęcunque & summa putantur
Mundanis, superare, nisi qui credit IESVM
Flumine purgantem sordeis? nec flumine tantùm,
Sanguine sed puro tetrum scelus expiat orbis.
Hunc verum quoque & hunc Vnctum testatur & almus
Spiritus, ac fidei documentum legitimum dat
Cælicolis testis trinus qui & vnus & idem
Testatur, natum esse Dei atq. Vnctum quoque Iesum.
Sunt Pater & Verbum atque his sanctus Spiritus vnum.
Ac totidem in terris testes quoque terrigenis sunt,
Spiritus in menteis illapsus, sanguis, & vnda.
Hi tres efficiunt vnum, testantur & vnum.
Atqui certa fides mortalibus vsque duobus
Legitimè inductísve tribus fit testibus: ergo
Credendum magis esse Deo, phas iuráque cuncta
Et ratio vincit. Superat mortalia nullo
Componenda modo secum, quodcunque Dei vox

Mentibus in noſtris teſtabitur. Ille ſuo ſic
De Nato teſtatus agit. Iam quiſquis in illum
Crediderit teſtante Deo natum quoque faſſus
Eſſe Dei, interno documentum pectore ſeruat
Efficiente Deo quæcunque receperat olim.
Hoc ſi quis pacto non credidit, iſte procul ſtat
A veri ratione, Deum vult ponere vanum &
Mendacem, quem mentiri, quem fingere quicquam
Sancta negat pietas, negat & natura bonorum.
Atqui non verbis ſua iam teſtata referre,
Sed voluit virtute Deus præſtare fidelis,
Remque ipſam exhibuit nobis, vitam dedit, inquam,
Æternam, expertem mortis, quam Filius in ſe
Obtinet æternus: nam vita eſt ille ſalúſque
Filius: hunc ſecum ſi quis tenet, hic tenet idem
Vitam, qua procul eſt quiſquis procul eſt & ab illo.
Hæc noſtris diſtincta notis me ſcribere vobis
Par fuit: ipſi etenim teſtes agnoſcere noſtra
Aſſerere & vos arcanum teſtantia verum
Scripta boni, quibus æterna eſt data vita benigno
A Patre iam Nati in nomen credentibus. Vnde eſt
Hæc precibus conſtans firma ac fiducia noſtris,
Dum petimus quæ grata illi ac digniſſima voto
Nouimus, & monſtrante ipſo & donare volente
Omnia quæ ad veræ conducunt munera vitæ.
Hoc etiam certum eſt ac nobis dicere promptum,
Non peccare Dei natos: namque ipſa parentis
A ſcelere immuneis vis & natura tuetur,
Dum genitos facit eſſe ſibi, quos praua maligni
Inuidia & mala fraus conatur tangere fruſtra.
Hęc tamen (heu!) mundũ penitus contaminat omnem.
Nos verò gens ſacra Deo, gens cara parenti,
Filius adueniens altis quam ſenſibus auxit,
Et iuſſit nouiſſe Deum, voluítque teneri
Fulciri ac virtute ſua & bene nota fateri.
Nos, inquam, verum eſſe Deum hunc ſolúmq. valemus
Dicere, & æternam vitam dignoſcere vanis
Et fictis rerum & ſermonum. hæc ipſe vitare
Vos gens cara mihi falſique inimica monebo.
Hoc igitur, quod principio monſtrante magiſtro
Ac dictante animis meminiſtis ſæpe referri,
Vltro perſequimur conſtanti pectore. non vt

Fortè nouum dicas præceptum: quamlibet illud
Atque nouum atque vetus pariter dixisse vetat nil:
Nam phas, antiquum censeri quod Deus ipse est,
Cui non principium fuerit non vltima finis.
At nobis dictum esse Deum meministis amorem.
Iamque nouum laudari etiam dicique licebit
Præceptum, quod nunc plenè (mortalibus antè
Ignotum) sese insinuauit mentibus alto
Pectore perscriptum veréque indixit agendum.
Hic amor est, qualem nobis Deus ipse probando
Exhibuit, qualémque iubet præstare vicissim.
Multi adeò propriis instructi fraudibus Vnctum
In carnem venisse mali inficiantur IESVM:
Quippe hunc, quem norunt minimè, piget vsq. fateri,
Dum sibi, non Christo, laudes & commoda auari
Ambitione mala venantur. Hic tibi quisquis
Et quantus fuát, hic author fraudísque dolique
Exitiíque tui veniat molitor habendus:
Ille idem est Christi prædictus sæpius hostis,
Qui præsens mundo, tamen expectatur vt absens,
Mundo nunc hoc, nunc aliúdque aliúdque petenti
Nomine doctrinæ veræ, & nihil vsque paranti
Mercedis magnæ dignum. Doctrina sed Vncti
Cui certa, cui scripta animo, cui pectore constat,
Hunc Pater agnoscit verax, hunc Natus adoptat
Commendátq. Patri, atq. idem bene noscit vtrumque.
Siste procul quicunque aliter sentísve docésve.
Hæc ego quæ canerem nostris cauerémq. recepi
Discipulo referente illo, cui gratia nomen
Fecerat: huic magnum Christus partitus amorem
Maxima donauit mysteria condere Verbi
Virtutísque sacræ, postquam Roma exul ad vdos
Consedit scopulos patiens, arctúmque recessum
Quem pelago insinuat medio breuis insula Pathmus.
Non nostri cœpti nec nostri arcana laboris
Illa referre rear. Paucis narrabile tantum
Est opus, atque aliud tempus sibi postulat, imo
Vocem aliámque aliásque aures, discretáque vulgi
Vsibus atque Deo penitus data pectora poscit.
Tu quoque carminibus nostris, dignissime sancti
Frater Iacobi, partem permitte tuorum
Sermonum, bone confessor, monitúsque referri,

Assiduus quibus ipse pios hortaris vt almi
Doctrinam Christi constanti pectore seruent,
Rursus at instabileis animos indoctáque veri
Corda hominum atq. huius quærenteis commoda vitę
Fucata fictæ specie pietatis & vmbra,
Obiurgans iusto atque graui sermone magistros,
Sedulus absterres, studio dictísque seueris
Exagitas, meliora monens, & recta secundus
Indice demonstras digito, tum deuia damnas
Cetera, queis non apparent vestigia IESV,
Cuius & humani generis te cura fatigat.
En ego dum voces istas exempláque rerum
Contemplor, quibus exponis vel munera Christi,
Vel commenta hominum atque ausus mendacia praui,
Interno partim congaudeo pectore, partímque
Horreo commotis tremefactus artubus. Et quis
Non timeat? dum luxuriæ turpissima damna
Audit, iudicium & magni aduentúmque diei,
Æternáque malis innexa caligine vincla?
Quis Sodomas & Ghamoras, finitima & illis
Oppida perpetuæ pœnæ testantia flammas
Intrepidis spectare oculis animísve queat te
Omnia de viui exempli pingente figuris?
Tum minus audentem Satanam colligis istis,
Queis leue, queis facile est diuina & maxima CHRISTI
Numina, quæ ignorent ipsi, contemnere, iidem
Ad sensum sibi quæ placeant, brutíque ferarúmque
Instar, in his toto demersi corpore gaudent
Corrumpi: atque animis, homicidæ sæua Caini,
Bilghamíque & auara, Chore ambitiosa sequuti
Exempla, impuri obsequio gens dedita ventris,
Vento actæ obscuræ nubes, tamen imbrium inanes:
Qualis & autumno tantùm quæ planta virescit,
Et sterilem subeunte gelu deperdit honorem,
Funditus auulsam cultor quam destinat igni.
Hi velut instabiles fluctus maris ad scopulúmque
Allisi, confusa nimis spumosáque iactant
Doctrinæ ac placiti commenta, vrgéntque vicissim,
Opposita atque ipsis etiam pugnantia secum.
Hos densæ tenebræ, in tenebrísque æterna seuero
Iudicio subeunda Dei manet vsque procella.
Sic Vates cecinere, tulit quos proxima mundi

Principiis ætas. Gregi isti nil satis vnquam
Ad votum fuerit, neque auaræ plurima menti
Commoda sufficiunt; alienum nil placet illis
Detrahere alterius famæ iustóque labori
Assuetis, minùs ille modo labor vtilis exstet:
Namque vbi lucri spes præfulserit, illicet artem
Nouit adulandi gens prudentissima, laudis
Prodiga, personam non res mirata, superbo
Corde tumens, contraq. æquum contendere prompta.
Discipulos Domini atque vncti meministis IESV
Pridem istud vobis pecus indixisse cauendum.
Simplicibus animis dicendo imponere cautum,
Quos nulla inducit pietas, quos dura cupido
Transuersos agit. hos animæ sensúsque animantum
Vltro seiunctos non mens informat, & ille
Spiritus, illa Dei summi cælestis imago.
Vos verò, gens cara mihi, lectissima plebes,
Quos Deus in sacrum templum sibi regnáque diua
Instruit ædificans, properate ac reddite summo
Artifici faciles, age, vos habileisque dicando
Ornandóque operi. Assiduis hoc poscite votis
Et precibus: fidei nostræ sanctissima vobis
Perpetua & constet ratio. vos spiritus almus
Quæque & agenda bonus, quæ sint poscenda docebit,
Dummodo feruenti studio idem, dummodo amanteis
Discipulósque Dei inueniat, Christique benignum
Ac domini atque hominum casus miserantis IESV
Aduentum exspectare probet, donare volet qui
Æternam vobis vitam, tunicaque molesta
Carnalis vitij exutos, lustralibus vndis
Fontibus atque suis puros præstare parenti
Atque sibi: namque ille potest, potuítque neque vllo
Temporis aut spatij (quamuis longissimus absit)
Fine potestatem propriam determinat, vltro
Integer efficere, atque vltro seruare paratus.

# TESTIMONIVM ALTERVM, ID EST, IGNIS.


ACTENVS vt renouare hominum, & quo fonte lauare
Corda IESVS valeat, quæ pura & idonea cæli
Reddere promisit regno, iam testibus illis,
Carmine vel tenui, exposui, quos ille ministros
Læti ac polliciti comites delegerat, & quos
Euenti doníque sacri dedit esse fideli
Arbitrio viua exempla & certissima in omnem,
Qua tegitur, qua & præfulget sol aureus, orbem.
Quantum agat, & mutans quantum nouet ille beandis
Mentibus, è solio delapsus Spiritus alto.
Altera nunc superest tua vis mihi, Christe, canenda,
Quam terræ proles genus & miserabilis Adæ
Difficilem durámque putat, nimiúmque cauere
Dum studet exhorrens, mollem turpémque timorem
Non dubitat mendax confundere nomine honesti
Constantísque viri: mundi hoc sapientia quippe
Comprobat & sequitur dubiis inimica periclis
Atque sibi nimis indulgens, dum commoda vitæ
Mortalis, veram viuendi dicere causam
Arguitur, non tam verbis, quàm munere & vsu.
Cælestes contrà ciues & pectora Christo
Plena, nihil simile huic mundo sentire probantur:
Namque incensa tuo penitúsque calentia amore,
Christe, metum superant vilem, furiásque minaceis
Contemnuntq; cruceis, tormenta ac vincula & enseis,
Tum quæcunque fauens sibi mundus mollia credit,
Despiciunt animi dociles, & fortia summo
Corda renata Deo, atque aspera cuncta subire
Pro Christo, veram vitam regnúmque perenne
Esse docent: has delicias & candida semper
Gaudia mirantur, nullum quæ terminet æuum.
Efficit hoc flammis ardens vitalibus ignis,
Quémque fouet sibi natiuum propriúmque tuetur
Viuidus ille lapis, cæli qui sustinet axem,
Qui terram solidans fulcit, penetrátque calore.
Vritur ipse etiam semper, sed non tamen vstus
Deperit, aut partem propriæ virtutis in auras
Vel tenuem soluit fumum, quin integer ardet,
Et viuit, vitámque suam communicat author.

Iis,ſibi quos pecus in proprium determinat ornans,
Et notos ſibi ſeponit noſcendus & illis.
Non ita balantem conſueta noſcere matrem
Voce,tener ſolet exultans,herbæ inſcius agnus,
Vt grex ille pius paſtoris dulcia IESV
Sibila, cæleſtis nouit vocémque magiſtri.
Hanc vbi purgatis hauſerunt auribus, omni
Sollicitudine mordaci curíſque ſoluti
Nil cupiunt, nihil aut metuunt, quod turba profana
Aut cupit,aut metuit, ſperat, gaudétque vbi fortè
Oblatum ſibi contingit, lugétve negatum.
Vmbroſas ergo valles ſaltúſque frequenteis
Vrſis atque lupis rabidis, vicina leonum
Et loca,terribilem quamquam oſtentantia mortem,
Haud metuunt paſtore ſuo præeunte ſubire,
Vinculáque & fuſteis & mille pericula fortes
Euadunt,iterúmque iterúmque obiecta refringunt:
Siue opus eſt, atque hoc ſummi prudentia Regis
Conſulit experiens, ac paruis magna domare
Conſtituit,vitámque breui vult morte redemptam
Præſtare, intrepidi atque alacres vultúque ſereno
Vincere certi adeunt hoſteis,mirabile dictu,
Vincunt occiſi,& victorem in vincula ſæpe
Captum coniiciunt viuum dominóque lucrantur.
Tantùm adeò ſe mutatum tantúmque valere
Noſcitur intinctus, viuentis quiſquis IESV
Hauſit amoriferos venis flagrantibus igneis.
His probat electam gentem vulgóque remotam,
Et puri facit incenſa fornace nitenteis
Auri inſtar prodire pios,queis regia cæli
Ornatur,nullis offendens ſordibus vnquam.
Hoc priſci cenſere patres proauúmque ſecuti,
Armeniis quondam primus qui ductus ab oris
Immemor & cognatorum fundíque domúſque
Hoſpes in externos populos ignotáque regna
Seceſſit,nihil hîc propriæ telluris agríue
Agnoſcens,tamen hæc olim promiſſa recepit,
Credidit ac ſeris tradenda nepotibus arua.
Idem tentatus carum plus ſe ſibi & vnam
Spem ſobolis natum pedibus manibúſque reuinctis,
Nil dubitans, nil diffidens mactare parabat
Aris impoſitum ſacris & ſtructa prementem

Ligna,

Ligna, quibus flammas Pater incendisset edaceis,
Ni magnum satis exemplum obsequióque fidéque
Spectatum Deus exciperet, cleménsque probaret
Cælestem per præconem, qui parcere nato
Et ferrum collo iuuenis remouere iubebat.
Hæc ego dum meditor stupefactus imagine tanti
Obsequij atque sui oblitum contemplor Abramum,
Quem neque iam senio sterilem, nec fine supremo
Fortè minus longè absentem, tamen vnica proles
(Qua melius nihil orbi inerat specieque pudoréque
Et pietate Patris monitum exemplúmque secuta)
Non tenet, id mandante Deo, quin imbuat aras,
Vlla neque, obsequium præter modò, cura moratur.
Pluraque communi dum sensu cogito, tantum
Queis facinus digno trutinare examine conor,
Sentio clauigeri ætherei vellentis & aurem
Retibus assuetam bene dextram ac piscibus antè
Flumine Nazarióque lacu stagnóque trahendis,
Pòst homines doctam viuos cepisse, & in alti
Stagna salutifera ac viuaria mittere cæli.
Is mihi, quidnam agitas animo, & quid cõsulis, aut quid
Humano sermone paras tenuare supernis
De rebus? quas diuinus terrísque remotus
Versat amor solus sapiens solúsque beatus?
Dura quidem hæc rudibus, nimis & peregrina videntur
Hospitibus terrarum ac mundi ciuibus, hi nos
Mirati spectant variis persæpe periclis
Obiectos; at nos nostri ducis ardua Iesu ad-
Vsque polum à terris vestigia trita tenere
Et iuuat, & comites decet, ingenuámque professos
Militiam. Sudor, puluis, vulnúsque cruórque
Certantem laude exornant, dignúmque triumpho
Legibus instituunt nostris spolia ampla manentem,
Hunc fortísque viri titulis donantque corona.
Hanc veteres tenuere viam, quos clara tonanti
Fama canit placuisse Deo profundere vitam
Pro pietate sacra promptos, fusóque cruore
Testatos numen verum, & testata paratos
Sanguine ponendísque animis firmare, Deus cùm
Sic statuit: quem nec pedicis laqueóque retenta
Aut auceps frustratur aue, aut cecidisse latens hunc
Vel poterit denso tenuis de vertice crinis.

Nil

Nil nos ergo noui patimur mirive ferentes
Vincula,probra,necem,& mundo quæ dura putantur.
Cetera, sint quamuis iniusta indignáque nostris
Moribus & studiis: nulli quos prima nocere,
Omnibus & prodesse etiam, vel & hostibus atris,
Cura secunda subit: referendis denique Christo
Cælestis vita exemplis & imagine viua
Intenti atque alacres agimus:tum qualia mundi
Iudicia atque hominum experiamur præmia tantis
Grata vel ingrata officiis ac partibus, vsque
Securi: namque hoc cælum nos antè docebat
Vnde mali, vnde boni radiantia lumina solis
Temporáque accipiunt & lætos frugibus imbreis:
Tum verò veniens,quod condidit omnia, VERBVM
Plenius ac melius docuit nos: ille salubri
Præsentíque manu languentia membra fouebat,
Ille oculos cæci nati plus cernere iussit
Quàm aquilæ, atque ipsum sapientiùs vsque profari
Quàm quos ingenij atque artis laus prima canebat:
Ille fame oppressam turbam saturabat,& idem
Doctrinæ veræ sitientia pectora plenis
Fontibus explebat, vitalia denique cunctis
Munera & æternas sedes requiémque parabat:
Interea tamen insidias & probra, malámque
Inuidiam, maledicta hominum, malefactaq; passus,
Pro quibus ipse venit, quorum de sanguine solus
Peccato immunis natus, sine crimine solus
Vixit,& hos sibi consimiles, magnóque parabat
Reddere legitimos natorum iure Parenti;
Reddidit ac plureis, animo qui & mente fideli
Dedere se miti obsequio voluere vocantis:
Et faceret cunctos, nullúmque excluderet Adæ
Progenitum,nisi mens læua & sapientia carnis,
Natiuæ ac mala nequitiæ vis fraude maligna
A vero sensu auersos retineret inani
Seruitio,atque iugo duro imperióque subactos
Principis æternæ mortis priscíque tyranni,
Obsequiosa igitur tantum patientia CHRISTO
Nominis ac tituli imperiíque adscribit, vt inde
Et superis animis cultus sempérque colendus
Exstet & infernis animis metuendus & vmbris
Atque tenebrarum ducibus, terrásque iacentes,

Et mortale genus pro numine temperet. Ergo
Nos eadem secum expertos pro viribus istis,
Quas fouet ille potens & ad omnia dura valenteis
Sufficit, æternæ laudis sortísque beatæ
Participes reddet secum: sic vera probabit
Dona, quibus pro se patienteis spiritus auget.
Sic inquit senior, primum quem Christus amatas
Pascere iussit oueis, ac vincula sæua manere
Præmonuit, quæ is, dura licet, persæpe subiuit,
Atque crucem, præceps inuerso & passus acerbum
Stipite supplicium, sensit nil dulcius vnquam
Quàm cari posuisse animam pro numine IESV,
Atq. vnum exstinctum arcano de corpore membrum
Sponte pati, sibi quo totum rediuiuus & extans
Conciliet Christi corpus: namque omnia Christus
Omnibus est, quoscunque auctor sibi vendicat artus.
Ipse caput populi, sibi quem concinnat, & vnum
Conficiens corpus magnis virtutibus ornat:
Atque Patri capitíque suo templúmque domúmque
Dedicat: at Pater adueniens de sede superna
Nati opus ac sibi sacratam bonus approbat ædem,
Dignatúsque suo possessam numine complens
Æterni statuit solium inuiolabile regni,
Cuius & hic senior, quem laudo, clauiger audit.
Post hunc & Solymis quem consuluisse priorem
Pontificem decuit: facilè at cessisse vicissim
Discipulis Christi serieque locóque paratis,
Quando vnum cunctos studium, cura vna moratur
Diuini obsequij, atque hominum communis agendum
Vtilitatis opus tenet, exercétque frequenteis:
Vnde simul dicenda agitant, ac dicta facessunt
Liberi ab inuidia, coniunctis partibus atque
Diuisis pro re nata capiúntque ferúntque.
Qualis apum, concessa quibus prudentia, regis
Imperium curare labor partitus, & idem
Coniunctis animis, opibus: certúmque loquaci
Omnibus vnus inest obseruatúrque susurro
In commune bonum, & generi opportuna libenter
Subsidia: has nulla vt priuatæ gloria laudis
Nulla rei propriæ stimulet vesana cupido.
Ergo hunc Pontificem pulchra & preclara monentem,
Fortia spéque boni firmantem pectora finis,
Audire

Audire est operæpretium dum talia fatur:
O fratres,non parua modò, sed & integra vobis
Gaudia præcipimus,diuersa ferentibus,& quæ
Magna rudis vulgus putat ac fugienda, pericla
Pro pietate: Deus comitum sic sæpe suorum
Pertentare solet menteis ac fortia bello
Pectora & obiecto discrimine nescia tergum
Vertere, at vsque pati, atque fidem patiente probare
Corde animóque duci summo.Patientia ad vsque
Extremum constans perfectum reddit amatæ
Artis opus: vanum est artem didicisse professos
Cùm pigeat conari & opus, vel cœpta supremum ad
Firmo animo , assiduáque manu deducere finem:
Præcipuè cùm pugnantum dux ipse magister
Suggerat auxilium præsens vireisque petenti
Discipulo & comiti: cuius sapientia votis
Sufficit exuberans, nec vllis inuidet horis.
Tantum adeò Christum propter mala damnáq.amanti
Exiliúmque ac probra pati & conuitia dulce est.
Concilio quondam pleno densisq cathedris
Iurgia dura ferunt, rigidi quoque verbera flagri
Iudicibus, passos gaudere,stupentibus, illos,
Imbellis quos terruerant verba antè puellæ,
Vel strepitus tantùm trepidantum vincula Christo
Tendere,tunc qui nulla ipsis ex parte nocerent.
Namque vbi Christi ardens imas penetrare medullas
Cœpit amor, vel acerba pati pro nomine amati
In votis iubet esse nouis, ac ponere vitam
Pro cari laude atque fide redamantis IESV,
Hoc lucrum æternúmque decus docet esse, nec vllam
Inuidiam, prauæ aut metuens mala nomina famæ.
Quippe polo hæc monimenta locat Deus, vndique & amplis
Exornata dicat titulis , astrísque decorat,
Altè conspicua attollens longéque videnda.
Ac veluti incensis per mollia viscera flammis
Æger agit longas horas, ac tempora noctis
Vt meliora cupit, rursus quoque lumina solis
Aurorámque vocat, sperans reperire quietem,
Quam neque clara dies affert,nec densa tenebris
Sufficit obscuro incedens nox humida gressu:
Interea occulto quæ incendia sulphure cepit,
Exuperans artus depascitur arida febris,

Tum verò flammata ſitis fonteiſque lacúſque,
Flumina, prægelidos riuos meditatur & optat,
Et quodcunque valens iam faſtidiebat aquarum,
Nunc fluxiſſe cupit calida in præcordia, nilque
Præter aquam fluuióſque agitat curátve petitve,
Quamquam adeò certus fore non innoxia lymphæ
Pocula, letiferum membris paritura ſoporem,
Vel lentum longos morbum ductura per annos,
Crebra & plena tamen ſitiens repetitáque poſcit:
Nam bibulas fauces vrit ſitis ignea, venis
Dum ſuperat feruor, dum membra calentia ſiccat.
Sic & flagranti Chriſti qui tactus amore,
Internos igneis ac viua incendia ſentit,
Nil prius in terris optat, quàm nomina IESV
Et Patris & ſacri Afflatus defendere fuſo
Sanguine, vel multis aliquam de partibus, olim
Quas hominum ſtudio ardenti vigilíque ſubiuit
Filius ille Dei, ſe etiam retuliſſe minorem,
Terrenam licet hæc conſumere idonea vitam
Vſque breueis minuántque dies reddant & acerbos:
Sed tamen his exultat amor, dulceiſque frequenter
Expoſcit Chriſti calices, quos vulgus amaros
Iudicat, & ridens miſeros vocat vſque bibenteis
Talia, nec tamen inuitos nec acerba gementeis,
Hos fuſo tandem miratur ſanguine mortem
Victores ſuperare, nouámque acquirere vitam,
Et patriam & regna haud vnquam peritura, triumphos
Ducere perpetuis redimitos tempora ſertis.
Hæc primum iuſtum Solymûm ſermone ſeuero
Pontificem dixiſſe ſatis, factóque probaſſe
Gaudentem rubro intingi baptiſmate Chriſti,
Ac præceptoris calicémque merúmque bibiſſe.
IAM nunc quem primò Chriſto cognouimus hoſtem,
Pòſt aſſertorem gentes videre, ſtupénſque
Audiuit Iudæa, crucíque non ita pridem
Membra ſalutiferáſque manus & crura pedéſque
Afferre aſſuetos pulcherrima nuncia mundo,
Affixiſſe ſatis non duxerat, hunc niſi ſæuis
Ingrata exigeret verbis, inimicáque dicta
Nazaridæ atque cruci ingereret, gentémque peroſa
Chriſtocolûm, deteſtandas cenſeret habendam
Interoueis ac ſupplicio mortíque dicatas:

Hunc

Hunc etiam iuuat ad partes reuocare secundas
Legitimè primis defunctum & largiter antè.
Ergo adsis ô Tarsensis mihi Saule canenti,
Seu tu Paule modò Romane libentius audis,
(Namque vtrumque alio atque alio tibi tempore rite
Conuenit) edoceas Christi quæ infirma vocare
Sæpe soles, quæ sint? an ne aspera duráque credam?
Mundus enim fugienda atque hæc ingloria censet,
Ac mundi proceres prudenti & prædita sensu
Orbis rectorum vulgo quæ corda putantur.
Sic mihi consultus respondit Paulus: Ego iam
Posthabui, præclara olim quæ credita mundo,
Amplexus, quæ inhonesta idem, quæ vilia falsus
Autumat, atque horrens magno molimine vitat.
Ille cruci velut affixum me spernit & odit,
Ipse cruci affixum mundum verè autumo: namque
Mors homines agitat, mundi mors versat habenas.
Non sumus ergo pares trutinato examine rerum:
Quæ asportanda domo ac turpia stercora duco,
Mundus pulchra tenet, votóque frequentat auaro:
Mortalis quærenda putat nam commoda vitæ,
Mortalémque vltra vitam nil altius esse
Non sermone tamen cura studióque locutus,
Hoc agit, hoc frustra exercens meditatur & optat:
Namque eadem, vitam quam prædicat hæc misera est mors,
Atque die ac nocte hæc moritur fallítque colenteis
Plus nimio sese, in mortémque impellit amaram.
Sic mors culta refert mortis fœcunda nocenteis
Fructus, pro cunctis culturæ partibus auctos.
Mors est iste adeò, quem mundus dicit honorem
Ambitione mala partum per pháſque nepháſque,
Quæsitum pérque insidias violatáque iura.
Diuitiæque & opes & magno inuenta labore
Interdúmque malis ac dignis vindice culpis
Prædia lata, pecus, vestes, & pondera plura
Argenti atque auri, ac lapides Erythræáque gemma,
Quid nisi curarum morbi? atq. hæc quid nisi sunt mors?
Quippe & desidiam pariunt, luxúmque superbum,
Et, bene parta licet fuerint, (rarissima pingo
Nunc exempla: malis quoniam plerunque feruntur
Fraudibus atque accepta dolis) iustissima ab ortu
Sint quamuis, seruata tamen penitúsque retenta,

Aut vni possessori famulantia in vsum
Priuatum, ac sæpe indignum, sine crimine sanis
Libera iudiciis certè mittenda negantur.
Scilicet in tantis gregibus numeris & egentum,
Fortasse & meliorum hominum, quos nulla vt inerteis
Otia praua notent, sibi diues vt vnus abundet
Mortifero exundans vitio, fragilique solutus
Vsque voluptate? Hæc etiam pereuntibus affert
Letum: nam mortem pariens nocet atra voluptas.
Ergo vesano tria sunt pulcherrima mundo
Gaudia, Maiestas tumida, & Furiosa libido,
Et nunquam expletura animum mala diuitiarum
Esuries: Quibus hæc adsunt, dictante beatis
Solis esse licet mundo, quo & iudice solis
Et gaudere datum est, & semper viuere lætis.
Contrà autem censet, mecum qui sentit. Honestum
Et pulchrum, magnum, & felix, plenéque decorum
Pauperis atque humilis Domini vestigia Christi
Vsque sequi, quáque ille Patri placuisse supremo
Inuentus, regni æterni soliúmque decúsque
Obtinet, atque Patri dexter, metuendus & imis
Principibus barathri, ac cælo terrísque colendus,
Hac iter æternam in patriam sedésque beatas
Tendere, nil vsquam dextra læuáque vagari.
Ergo humilis cui crux Christi vitámque bonúmque
Attulit optandum solum hoc, solúmque petendum,
Nulla crucem præter Christi iam gloria constat,
Nulla nisi Christi exemplo laudanda voluptas,
In morte, exilio, in vinclis probrísque ferendis.
Insanorum hominum maledicta iniusta, piis qui
Officiis & consiliis studiísque rependunt,
Et quæ languenti carni huic inimica videntur
Et grauia, infirmis onerosáque viribus, hæc mens
Iam meliùs edocta probans, oblata capessit.
Non temere adeunda, tamen cùm causa magistri
Vera agitur, subeunda, animo & certanda fideli,
Intrepido ac semper sensu Sic maxima tandem
Vincimus exigui quamuis: nam fortia corda
Sufficit ipse suis Christus spectator & author,
Vt sibi, non nobis, vincendi gloria constet:
Vincit enim, nostrísque suam demonstrat ouantem
Vulneribus causam, veram solidámque reponit

Virtutem,quam humana modò natura negabit
Esse hominum cuiquam,pręsens Deus hunc nisi dexter
Afferat,inuictum & iubeat contemnere dura.
Sic adeò me compedibus manicísque reuincto
Currit Euangelium Christi,volátque per altum
Æthera, & ad cælum surgit terrísque vagatur
Cuncta per ora hominum de se de méque loquentum,
Mirantum & quæ discipulis patientia Christi
Quantáque sit,neque eam certo sine numine posse
Pœnarum aut tantum durare aut vincere tantum.
Sic spectata meo non firmo corpore,Christi
Virtus vna mihi est atque vnica gloria semper
Et repetenda animo læto & celebranda libenti
Atque optanda adeò , nec me tantum ardua terrent
Quæque caro vitare cupit sibi conscia paruis
Viribus,atque boni atque mali non inscia, quantum
Ardua delectat subeuntem duráque Christus
Virtute assistens oportunóque fauore:
Nam tum etiam ipse suo sese bene munere prodit
Noscendum,quibus est diuina potentia cordi,
Ergo alacris gaudénsque feram,seu turba nocentum
Me premat innocuum , siue insectetur amarè
Inuida gens, vireísque & opes infestáque iungat
Arma simul:nam (vera loquar)tum fortior exsto
Mente animi internóque valens tum robore , quando
Languida durato exercentur membra labore
Nomine pro Christi. nam Christus me sibi quondam
Infestum, docuit, causas pugnásque suorum
Esse suas, séque has ferre, se & vincere in illis,
Arcanum quibus ipse sui est partitus amorem
Atque Patris, veniente illo , quem spirat vterque
Perpetuò, sancto afflatu. namque vt tribus vnum
Numen erat,sempérque fuit,sempérque manebit,
Sic etiam mundi in causas est vna voluntas,
Vna tribus vis, æterna & sapientia, & vnum,
Vnum opus Adami in vitam sobolísque salutem.
Nemo autem quos ille sibi deuinxit amando,
Secreuítque pecus proprium,pastórque colore
Ipse suo pinxit,diuinóque igne notauit,
Nemo hominum separare potest,nec tollere ab illo,
Horum imbuta semel fuerint quo pectora, amore:
Nam quæ tanta hominum iurata potentia iunctis

Conſiliis opibúſque ſimul, virtute dolóve, aut
Artibus iis, quibus ima valet confundere ſummis
Gens hominum, ſibi contendens nocuiſſe viciſſim,
Vt nos, quamquam humiles, tenues, & corpore inermi,
Offendat, tamen à claro diducere Chriſto
Aut ſtabili remouere fide turbaréque poſſit?
Hinc premat anguſtis ſpatiis nos vexet & hoſtis
Ingenti clamore vrgens & voce minaci,
Inde fames maleſuada ferat maciémque metúmque,
Deliquiúmque animæ, mordentia frigora nudis
Vel æſtu nimio noceat canis ignea membris,
Adde pericla etiam varia, atque incommoda, nos &
Inuadant plureis inſectentúrque cohorteis,
Et captos ferrum laceret, gladiúſque trucidet
Vile pecus veluti, diſcerpendæque macello
Inſtar ouis: cunctis tamen his ſupereminet ardens
Chriſti amor, inuictúſque ſuum ſic propoſitum vrget,
Deditus huic prorſus, nos qui iam primus amauit.
Sancta fides, certa hæc demum ſententia conſtat,
A ſacro Chriſti nuſquam diſcedere amore,
Immineat licet atra ſuper mors, vitáve dulci
Illiciat vultu, longos promittat & annos,
Arguto aut ſermone paret ſuadere ſupernam
Angelus in ſpeciem viſus, qua fallere certet:
Vel maiore gradu princeps, vel crebra poteſtas,
Non præſens quicunque dolor, duríque futuri
Temporis euentus, triſti qui obſcura timore
Pectora ſollicitat. Fortiſſima quæque recenſe,
Adde alta è cælis, aut quæ promentur Auernis
Sedibus, aut imo ex barathro, pelagíque profundo.
Denique nulla omnem fuerit natura per orbem,
Nos ab amore Dei & Chriſti quæ ſeparet vnquam.
OMNIA vincit amor Chriſti: huic concedat amori
Quidquid erit, fuerítve vſquam. Super omnia Chriſtus.
Ille ego cùm quondam inſanis inflatus agebar
Pro patrio ritu ſtudiis, quem nempe putabam,
Stultus ego, æternum, immotum, noſtríſque futurum
Aſſertum curis atque animis, ſeruilia ſæpe
Supplicia & pœnas crudeles ferre notabam
Diſcipulos animo conſtanti Nazaridis, qui
Nomen adorantes, Sanctúmque Vnctúmque vocarent,
Iurati hunc vnum magni promiſſa Parentis

Expediisse bonum facere ac præstare valentem,
Atque eadem constare sibi possessa suísque
Partibus atque modis, quîs lex, quîs carmina Vatum
Exspectanda olim & nunc obseruanda monebant.
Tunc mentis illis constantia quanta, sereni
Quantus honos vultus, dicto & sententia concors
Vsque sibi, atque aliis, eadem quos causa seuero
Iudicio patrum sistit; licet antè remotis
Carceribus clausos, mirabar consona sacris
Cum Vatum foliis sanctóque volumine Moysis
Promere verba senes, iuuenes, teneráfque puellas,
Quos nemo antè pedes sapientum viderat vnquam
Versatos, vt ipse fui versatior omni
Gentili æqualíque meo, tamen ipse stupebam,
Hunc terræ populum de magnis dicere tantum
Tamque aptè arcanis: Animo tamen vsque superbo
Et laudis propriæ studio, perdenda fateri
Non poteram, dictata meis quæ sæpe magistris
Tempore condiscens longo variata tenebam,
Partibus hæc multis sibi non hærentia. Namque
Quisque gregem proprium formam & priuata docebat
Vitæ præcepta, & sensus habitúsque precandi.
Attamen illi omnes ore vno ac pectore, ad vnum
Dum noua Nazaridem referunt antiquaq; Christum,
Doctorum nec Scribarum potuere cathedris
Vinci; nec longis sermonibus, atque minarum
Pleno interdicto gens est deterrita, IESVM
Ne diceret Christum cælo terráque potentem.
Complures memorem, nam sæpe recordor in horas,
Constantes animis, alto sapientia cælo
Quos illapsa Dei dono miranda monebat
Dicere vera, neque aut nostris sapientibus antè
Audita, aut Scribis lecta, & quæ posse refelli
Qui bene doctus erat prudenti & corde, negaret.
Cum primis verò (pro multis sit satis vnus)
Felicem memini iuuenem, cui sacra corona
Romanum dederat celebrandum nomen in astris,
Hunc puerum proprij Stephanum dixere parentes:
Cui tunc prima genas decorarat flore iuuenta,
Cùm grege de sancto electum præfecit alendis
Pauperibus Christi populus prudénsque senatus.
Hunc quoque densa suis spectauit turba ministrum

Partibus assiduas nauantem non sine magna
Sedulitate operas multum officióque fideli,
Interdúmque, vbi res peteret, vel publica Christi,
Vel priuata hominis miserandi vita salúsque,
Vulnera,languores,plagas,Satanis & arcta
Vincula sanantem verbo,imperio & soluentem:
Nec Solymi tantùm ciues videre frequentes,
Sed peregrina suis habitu diuersáque linguis
Hospitibus,quibus vrbs colitur,varióque receptis
Ordine, sic speciem peragrati continet orbis.
Hunc Nazareno de Christo digna locutum
Interdum sermone, magis tamen officiis &
Multa ope seruandis ægris, circunstetit arcta
Turba, Cyrenenses docti,Cilicésque feroces,
Vrbis Alexandri & ciueis, quam Nilus amatam
Et pariter patriis & Graijs artibus ornat,
Tum Libertini adfuerunt,quos nulla tyrannis
Auocat à studiis, patriis ac ritibus, & quos
Magna Asia in Solymos ac sanctam legat in vrbem.
Cunctorum cùm dicta simul collatáque magno
Consensu interdùm & magno clamore citata
Argumenta Iesvm temere impugnantia Christum,
Huic nullus superare labor, Vatum sed apertis
Responsis magis atque magis victoria firmum
Fulciret Stephanum , verè & monstraret Iesvm
Nazaridem esse Dei Natum,monstraret & Vnctum,
Vnctum illum, variis quondam, queis Spiritus almus
Partibus ornatum ac magnis virtutibus antè
Dixerat exspectare iubens hominémque Deumque,
Terrigenum in vitam certam diuamque salutem
Venturum; nihil vt possent contendere contrà
Clara Dei iuuenem certa ac dictata ferentem,
Priscorum & responsa patrum distincta modis ac
Temporibus causísque suis depromere doctum.
Interea , si dicentis spectare liberet
Os habitúmque viri & speciem, demissa sereno
Numina de cælo in terras animámque putares
Angelicam humano vestitam corpore, nostros
Exstare ante oculos,hôs & præstringere claro
Lumine,tantus honor vultus decorarat & ora,
Tantáque maiestas dicenti : sed malè nostris
Turbati studiis, priuatæ ac laudis amore,

Omnia

Omnia pulchra graui inuidia temerare parati,
Inscitiæ morbum miseri errorémque fouemus,
Et cupimus prorsus lucentia exstinguere natis
Ingenio ex nostro vel conturbare tenebris:
Hinc fraus, hinc dolus, insidiæ, atq. hinc nata dolo vis,
Et culpæ rabies, atque artes mille nocendi.
Protinus in iuuenem falsò conficta mouentur
Crimina, iam testes inuenti sacrilegi, quos
Gratia vel metus infamis vel munera cæca
Suppeditant, tunc præcipuè cùm dira libido
Principibus nata est miscendi fásque nefásque,
Quos viles animi ac fracti plerunque secuti
Ad facinus quodcunque iuuant, laudántque peracto.
Causa igitur Stephano, culpam formante maligno
Teste vno atque alio, subitò dicenda notatur:
Concilióque patrum populi plenóque senatu
Sistitur ante graues proceres, templíque supremum
Pontificem, cui non virtus, seriésve vocati
Sanguinis Aronij sacrum adscribebat honorem,
Sed praua ambitio atque impensa pecunia magno
Pondere: in hanc fuerat ducta (heu!) respublica labem.
Sistitur ergo reus, quo nunquam integrior alter
Visus homo in terris mortali sanguine cretus,
Et voce & referens facie cælestia pulcher
Numina, miratis patribus cum iudice crudo.
Noscere crimen erat iussus certúmque fateri,
Diluere aut, quamuis iuratis testibus. Atqui
Culpa erat, in Moysis legem atque in sancta locutum
Antiqua, in niueum templum, ritúsque sacrorum:
Omnia quæ peritura citò, efficiente ruinam
Nazaride, in cælis qui iam regnabat IESV.
Hoc caput effícti testati & criminis, hoc vel
Rumpere vel firmare suo discrimine iussus,
Luminibus cælum primùm intendentibus, vnde
Et sibi res & verba, Deo dictante, ferenda
Credidit, attentas aures & commoda poscit
Tempora dicendi vera, astantíque coronæ
Vtilia & patribus, quos ille appellat amicè.
Mox alto sermone orsus sacra ora resoluit,
Promptáque de cæli arcanis mysteria prisca
Et noua coniungens, causam perorauit IESV:
Quam Pater ipse hominúmque sator, seclíque futuri

Princeps cumque choro superum plaudente, probauit.
NAM referebat vti, cælestia iussa secutus
Abramus quondam, patriáque domóque relictis,
Longum iter in Chami sedes alienáque regna
Cultoribus conferta suis, fecisset, vbi hospes
Nil opis & propriæ agnoscens, tamen omnia demum
Crederet atque sibi atque suis donanda benigno
Esse Deo, post exhaustos per secla labores:
Vtque heic arcano celebrat dum sanguine fœdus
Se, populósque suos diuinis legibus atque
Ritibus assertum statuit: Tum dulcia subdit
Pignora Ridentem natum sobolísque futuræ
Spem certam & sanctæ, Luctatorémque nepotem,
Quem duodena senem natorum turba decoret,
Felicem, nisi fraternum turbaret amorem
Inuidia, Ægyptum sapiens qua pulsus Ioseph,
Venditus in seruum descenderet, heic vbi vinclis
Eductus tandem ac duro de carcere, genti
Attulit Ægypti atque suæ, prudente salutem
Consilio, interpresque Dei Seruator & idem
Audiit, è seruo princeps regique secundus.
Hunc pater, hunc fratrésq. virum, numerosaq́ fratrum
Hunc soboles, tantum imperium mirati vt adorent,
Prospiciente Deo sibi & hunc authore benignum
Per casus tantos, tot per discrimina, credunt
Deductum, laudántque animis incommoda tandem
Tempora seruatum populi generísque fouendi.
Addit & æquatum fusæ per littus arenæ
Sideribúsque parem populum, quem surgere videt
Nilus, & immitis metuit quoque sæua tyranni
Aula, immane nefas, conata euertere sanctum
Semen, cui diuina tamen promissa fauerent:
Nam Seruatorem vicino flumine Moysen
Interea expositum, puerum penetralibus altis
Educat instituens præclaris regia virgo
Artibus, & proprij nati cognomine adoptat:
Vt iam præstantem credas ad maxima natum
Munia, iam rebus bellíque domíque gerendis
Prudentem. Genus hunc proprium sperare salutis
Debuit, optandæ libertatísque ministrum.
Præcipuè postquam vidit defendere fortem
Conciues, quos Camesis vexabat iniqua

Proge-

Progenies, postquam Sabulo sepelire nocentem
Niliacum, nimiùm fuerat qui iniurius vni ex
Gente sua; quam pacificis componere dictis
Dum studet, & placido fratres deuincere amore,
Accusatus, & iniusto sermone repulsus
Incidit in regis rabidam implacabilis iram, ac
Penè subit durum capitis discrimen amaro
Supplicio, nisi tum fugiens procul exulet, oris
Et Madianitis ignotus viuere discat,
Conductas & optet oueis deducere pastor,
Hospes lustra decem patiens, Orientis & vsque
Principibus gratus: tantùm nam viuida virtus
Commendare virum non nota in gente valebat.
Donec sacra animo meditantem & credita semper
Inter oueis promissa Dei & responsa parenti
Chaldæo mandata olim, de sede superna
Nuncius hunc per non solitæ vestigia flammæ
Erigit alloquio arcano, populóque suorum
Atque ducem atque assertorem legúmque magistrum
Esse docet, superûm arbitrio iussuque creatum:
Quem paueat cuncta Ægyptus, Nilique tyrannus
Quem metuens nullis valeat deuincere sæuus
Consiliis, opibus, magicis aut artibus: vnde
Liberum & erectum tandem celebrémque triumpho
Multis ornatum spoliis inuitus abire
Dum videt, & retinere parat, mala plurima regno
Vsque suo atque sibi molitus sentiat: vnde
Ipse & cum populo sospes victórque resurgens
Sacra Deo laudésque ferat, quîs ritè peractis
In regni speciem populum per tesqua, per oras
Desertósque Arabum tractus deducat in illas,
Quas Deus Abramo conuentu ac fœdere quondam
Pollicitus fuerat, sedes, nunc præstet habendas.
O quoties & quæ multa indignissima Moyses
Pertulit à patribus, duro quos compede fortis
Et prudens grauibúsque operis eduxerat. an non
Sæpe hic reiectus votis aliúsque petitus:
Et dux & rector? quin & Deus alter ab illo,
Vnius auxilio cuius contigerat alma
Libertas, malè quam ponens temeraria plebes
Luxuriæ & potu atque cibo ludísque dicabat
(Turpe nefas) vitulo inuitus quem fuderat Aron

Cum populo patribus poſcentibus. Atra libido
A vero diuerſa Deo mortalia corda
Sollicitat: Proauos noſtros hæc praua fefellit,
Hæc ſtellas cæli iuſſit, ſignúmque Molochi
Remphani ac ſidus colere, impuriſſima monſtra,
Permittente Deo. POSTREMA hæc numinis ira eſt,
Linquere in augendis homines erroribus, atque
Conſilio ridere ſuo ingenio & pereunteis,
Diuinis poſtquam iuſſis parere, piiſque
Vatibus audire obſequio piget. Ergo monentum
Certa pericla docent, veræ virtutis honorem
Nullum eſſe in terris, ſed ritus omnia vanos,
Relligionis item & veræ pietatis inanes
Concelebrata, malo ſenſu ſtudióque retentis
Moribus, atque errore magis per crimina adaucto.
Nónne & qui dictante Deo exemplárque ferente
Erexere olim communi mobile ſumptu
Arte tabernaclum diuina, operíſque dicatum,
Et gemmis, auro, varia & ſpectabile veſte?
Cuius honos quoque conceſſis regionibus iſtis
Conſtitit ad primos ſapientis principis annos:
Quem firmam poſuiſſe ædem ſtabilémque putatum
Toto orbe excelſæ celebrarat gloria famæ.
Sed domus è niueo quamuis pulcherrima ſaxo,
Auratis muro ac trabibus, cui cedrina tecti
Credita materies longum durare per æuum,
Excelſo damnata Deo ſæuíſque relicta
Hoſtibus, & ferro & flammis Babylone furente
Corruit, atque ſuos cultores, reddere quos nec
Forteis nec poterat ſanctos, parere ſuperbis
Regibus Euphratis permiſit. Non Deus æde,
Quam manus inſtruxit mortalis, conſidet: ipſe,
Ipſe ſibi templum æternum ſedéſque parauit,
Magnum opus artificis cæleſtis, quem Pater almus
Exemplarque operis poſuit, poſuítque magiſtrum.
Non noua, non noſtro nata hæc ſententia corde,
Præceptor ſed quam antiquus, cælóque probatus
Legifer arcano ſcripſiſſe volumine Moyſes
Creditur, atque ſacris legitur fertúrque diebus:
Ille ſalutiferum populo, legíſque miniſtrum
Diuinæ Vatem exſpectandum præcinit, atque
Hunc iubet audiri cunctis, ſua queis modò conſtet

Cara salus, queis perpetua sit cura beatæ
Ciuibus esse vrbis, queis regni fine carentis.
Sed fera gens proaui vestri, neque credere Vatum
Responsis didicit, nec veris Vatibus vllis
Parcere sueta, per insidias, per crimina ficta,
Per vim, perq. dolum, & fraudem, populiq. tumultum,
Dictanteis mandata Dei, Iustíque canenteis
Optandum aduentum, exiliis letóque dedere:
Vósque patrum similis soboles suffigere ligno
Non puduit IVSTVM, aut piguit, qui nempe daturus
Et legis potiora orbi præcepta ferebat,
Et mentem, quæ mandatis parere valeret.
Prodidit hunc sed vestra ferox insania Iustum,
Non minùs ac priscas leges, quas Angelus olim
Tradiderat vestris proauis. Hæc dixerat ille:
Quæ prauis dum nostri animis, dum mente proterua
Excipiunt, oculos penetratum in æthera figens,
Cerno patefactum cælum, inquit, sede suprema
Atque Dei à dextris hominem contemplor IESVM
Regnantem. Hoc prudens ac verax assero testis.
Hæc vbi dicta chorus seniorum percipit atque,
Cætera turba, graui fremitu & clamore trahentes
Correptum Stephanum portas & mœnia propter
Vrbis in expositæ vallis duxere recessum,
Supplicióque dedere graui, saxísque petitum
Exstinxere virum constanti pectore mortem
Inuictóque animo lapides ac dura ferentem
Pondera, letiferósque ictus, quos vertice, tergo,
Pectoréque excipiens, tamen haud oblitus IESV
Exempli & cura & feruenti cordis amore
Seque animúmque suum cum vita tradit IESV,
Commendátque Deo iam iam moribundus, & hostes
Excusat, satagítque pius veniámque precatur
Testibus, accusatori, & spectantibus illas
Immeritus duras pœnas quas ipse ferebat.
His tunc Saulus ego intereram; lachrymásque tenere
Vix possum, quoties memini. me turba videbat
Seruantem vestem, quam mos est ponere testes
Dum tollunt in damnatum lapidésque molestos
Coniiciunt: ipse occisique iacentia membra
Migrantémque animam è terris ad sidera vidi.

FINIS.

# INDEX CAPITVM.


LIB. I.


DE Veritate Dei. Pag. 1
De Natura Dei. 5
Deum natura vnicum, personis esse trinum. 10
De Nominibus Dei. 13
De Prophetis. 18
De Angelis. 23
De Proposito Dei. 24
De hominis natura. 29
De viri ac mulieris communione & societate. 33
De Lege naturæ. 36
De Angelorum electione, ac Lege. 37
De Angelorum quorundam improbitate, defectione, & abdicatione. 39
De hominis electione, ac Lege. 42
De præceptis homini in principio datis. 45
De defectione & casu hominis. 48
De conuersione humani status. 53
De antiqua Luciferi lite & causa. 58

LIB. II.

De reuocatione Hominis. 62
De hominis ingenio, facultate, labore, cura & inconstantia, à constitutione mundi. 70
De experimento hominis vario. 73
De hominis Arbitrio. 89
De propagatione humani generis, & morum atque doctrinæ corruptela. 97

LIB. III.

De hominum instauratione, & salutis publicæ curatione. 113
De diuinis institutionibus post diluuium, ac maximi promissi instauratione. 116
De gentium propagatione, atque diuersorum morum causa. 120
De diuisione prima gentium, familiarumque & studiorum varietate. 127
De variis gentium studiis & moribus. 134
De posteritate Semi. 139
De Abrami euocatione. 141
De circuncisionis fœdere. 151
De tentatione Abrahami. 157
De promotione diuini propositi apud Isaacū. 166
De Iacobi indole. 168
De promisso promissique conditionibus ad Isaacum repetitis & instauratis, déque perpetua & certa prouidentia diuinæ erga pios tutela & cura. 170
De primario hæreditatis iure, Iacobi causa firmato. 172
De Iacobi felici fuga, exsilio, ac labore. 178
Israelis historia. 190
De statu hominum ad Moysis vsque ætatē. 193

LIB. IIII.

De Legis beneficiis & causa. 199
De altero præcipuo Legis munere & beneficio. 206
De gente in regnum optata, deque Legis opportunitate. 211
De Lege manifestè publicata, ac Legumlatoris Dei haud ambigua fide. 215
Adlocutionis forma. 218
De partitione ac diuisione Legum, earumque exercitatione & vsu. 220
De officiorum siue actionum generibus diuina Lege definitis. 222
Imperiorum siue iussorum enumeratio & catalogus. 225
Vetitorum tabula. 250

LIB. V.

De Legis promulgatione, exceptione, fœdere: de duplici promissorum ratione: tum de minis & maledicto. 273
De seueritate, concinnitate, ac sanctimonia legis externa. 276
De fœderis pactionibus & conditionibus. 282
De legis promissis & veritate. 285
De instaurato fœdere. 290
De fide promissorum Dei. 293
De expugnatione ac possessione regnorum in terris, ac de eiusdem stabilienda lege, pacto, & comine. 298

LIB. VI.

De humanarum rerum varietate, inconstantia, & crebra in peius mutatione, ex hominis culpa ac vitio. 304
De animorum & consuetudinum impotente deprauatione. 305
Clementiæ & benignitatis Dei exemplum illustre. 311
De nouo & indigno præposteroque hominum consilio. 313
De Rege homine, & regni vario vsu. 315
De populi ac principum insolentia. 318
De maturata regis abdicatione propter nouum peccatum. 320
Deum salutis publicæ gratia hominum rebus quantum præsens ferre valeat conditio, rectè & opportunè consulere. 323
De varia & instabili rerum facie, ex principum populique inconstantia, & mutabilitate mentis atque morum. 326
De hominum bello cum diuina lege. 334
De partibus, munere, officioque Vatum. 341
De quarto prophetici muneris officio. 345
Diuinæ legis doctrina de hominum salute ex Dei beneficio ac liberali dono exspectanda. 352


Idem.

*Idem de publica salute promissum responsis diuinus Vatum operâ celebratum & firmatũ.* 356
*Salutis humanæ à Vatibus pranunciatæ summa ac breuis descriptio.* 358
*De testimoniis & oraculis in Psalmorum libro frequentissimis.* 398

LIB. VII.

*De salutis publicæ maturatione & oportunitate.* 404
*De instructione, vnctione, & veritate ministri, & expiatoris publici, humanæq; salutis Pont. Max.* 409
*De Seruatoris publici declarata præsentia.* 413
*Hominum varia iudicia in salutis authore excipiendo.* 415
*De Indicis Nomenclatorisq; munere & officio.* 421
*De manifestatione Iesu Christi, & boni nuncij ministerio.* 424
*De duplici Christi ministerio secundùm carnem.* 426.
*Prioris ministerij Iesu Christi summa narratio.* 428
*De arcanæ doctrinæ magnitudine.* 432
*De altera doctrinæ Iesu Christi parte.* 434
*De officio discipulorum Christi erga hominem.* 443
*Doctrinam Iesu Christi quemadmodum homo excipiat.* 450
*Diuinæ legationis mandata à Iesu Christo perlata, opportunè digesta, administrata, & confecta.* 456
*Eiusdem argumenti denunciatio à Iesu peracta, plebis altercationibus & procerum calliditate & inuidia exagitatur.* 460
*Instauratio actionum Iesu de vnctione sua, & hominum partim inconstantia, partim peruicacia.* 462
*De patientia ac iustitia Dei aduersus hominem sermo Iesu.* 468
*Iesu Euangelistæ postremæ actiones.* 470
*Senatusconsultum à sapientia & sanctitate carnis initum decretumq; factum.* 471
*Verbum Dei caro factum, Iesus Rex promissus publicè datus ac declaratus à simplicitate salutatur, ab industria repudiatur.* 472
*Satanæ per ministros & satellites suos ad Regem calorum interficiendum occasio quæsita, insidiæ exstructæ.* 474
*Cælorum Rex ipse pro salute publica vltro deuotus ac donatus, hostiaq; constituta.* 479
*Communionis inter nouum & veterem hominem sacrosanctum arcanum.* 485
*Christus hostiam ad sacrificium sese præbet, pro populi salute facit.* 495
*Iesu Christi victima.* 498
*Salutis publicæ arcanum à Lucifero tandẽ cognitum frustra contaminare conato.* 502
*Sacrificium Iesu Christi.* 503
*De morte Iesu publica notitia, varius hominum sensus.* 509
*De Resurrectione Iesu Christi.* 513
*De legitimorum testimoniorum Resurrectionis Iesu Christi sancta fide.* 517
*Iesu Christi ex mortuis exstantis officium ac doctrina prior.* 519
*Iesus Christus ex mortalium conspectu sublatus ad Patrem rediit.* 528

LIB. VIII.

*De Parasceue.* 529
*Præcepta discipulis data promissi diuini exspectandi causa.* 530
*Euangelicum sabbathum.* 532
*Satanas Euangelio regni obsistit.* 538
*Virtutis, efficacitatis, & constantiæ à Iesu Christo hominibus per Spiritum sanctum collatæ periculum & experimentum multiplex.* 542

FINIS.

# APPROBATIO.

PROPTER dignitatem auctoris libri huius, D. Benedicti Ariæ Montani, cuius pietatem, doctrinam, fidem, atque eloquentiam optimè nouimus, non possumus non, vti & alios eius labores atque opera, sic & præsens scriptum Lectori beneuolo ac Catholico plurimum commendare.

*L. Torrentius, Episcopus Antuerpiensis.*

*IN hoc doctissimo & exquisitissimo ipsius Adam generationis & regenerationis volumine, quod S. Rom. Ecclesiæ Catholicæ, vel bonis moribus, vel Regiæ Maiestati contrarium sit, inueni nihil: & propter vtilissimam harum rerum cognitionem hoc insigne opus & imprimi, & ab omnibus legi posse iudico. Datum Antuerpiæ, anno 1592. calend. Aprilis.*

D. Henricus Sibertus Dunghæus, Sacræ Theologiæ Doctor, Cathedralis Ecclesiæ B. Mariæ Virg. Canonicus, lib. Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS priuilegio cautum eſt, ne quis citra voluntatem Ioannis Moreti, Typographi Antuerpienſis, librum cui titulus eſt, *Liber Generationis & Regenerationis Adam, &c. Bened. Aria Montano Hiſpalen. deſcriptore*, intra ſex annos poſt impreſſionem vllo modo imprimat, aut alibi impreſſum in ſuas ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecus faxit, præter librorũ omnium aliter quàm ex dicti Moreti voluntate impreſſorum confiſcationem, pœna aurei nummi pro vnoquoque exemplari multabitur: vt latiùs patet in ipſo diplomate dato Bruxellæ, XVIII. Iunij, M.D.XCII.

Signat.

*A. Prats.*

P

dem,
non,
ſcrip
men

I r
*nis*
*prop*
*prin*
*cale*



